ILLVSTRISSIMO
&
MAGNIFICO DOMINO,

D. STEPHANO

de RYCHTY in SOKOLEC

HVMIECKI,

DAPIFERO REGNI,
TRIBVNO ALTILERIÆ POLONÆ,
GUBERNATORI RZECZYCENSI, &c.

Dño, Protectori, & Mæcenati
AMPLISSIMO.

NOn ad Corvigeri Ammonis Oraculum; à cujus responso, crudæ adulationis fucum retulit Magnus Macedo; sed ad triumphale Gentilitij AGNI Tui Signum, cæ-

)2(lesti

lesti Ariete fulgentius, *venerabundus accurro, vt Ascetico operi favorem & Patrocinium inveniam.* Illustrissime & Magnifice Domine. *Scio equidem opusculum hoc exiguo chartarum volumine contextum, in comparatione Magni Nominis Tui vilem posse videri Athomum; caeterùm cùm & minimae Athomi in Illustrissimo Sole saepiùs comparere soleant, hac libertate erigor. Et jure optimo, cum enim* AGNI *Immaculati illius, qui tollit peccata mundi, toto cursu & seriè spiritualium motuum in paginis expreßorum, premat vestigia, quae viã signãt Olympo; nõ potuit nec debuit feliciùs in Lucem niti publicam, quàm sub eximia protectione & annuentibus Auspiciis, candidißimi* AGNI *Tui, qui pascitur inter Lilia animorum heroica opera Tua, altùm aestimantium. Respirium hic Viatoribus, post longa mundanae vanitatis ludibria, & devios circuitus defeßis, in solitudine Spirituali proponitur. ego quoq; post aestum & pondus exacti labo-*

ris

ris, sub Vmbra singularis Tuæ Gratiæ respirare desidero. In cujus sinu, Cælestibus, quia omnium domi forisq; virtutum præsidijs coronato; inter funesta dissidia & fatales casuum calamitatumq; reciprocationes, vix spirans Patria requiescit. Ea nempe Heroici AGNI Tui Indoles, ut semper Innocentiæ, Mansuetudinis, & Pacis, innatum candorem tenoremq; retineat; sed cum pro DEO, pro Fide, & Libertatis vindicijs agendum est, Leonem animo induit. quatenus ope & exemplo AGNI Apocalyptici stantis tanquam occisi, omnia pacem turbantia vincat, ut Leo de Tribu Iuda. Hunc illi bellacem simul & pacificum animum; indidêre faventes Poloniæ Superi, ipsis coronatis Regni Initijs, magnanimos Heroës Iunoszios, tanquam faustos & salutares Genios providendo. Qui deinceps per omnium sæculorum memoriam, ingentibus belli pacisq; munimentis præcellendo, Ducum Mazoviæ, & Serenissimorum Regum Poloniæ Principales

)(fa-

favores & gratias meruêre. Quippe arduis præclarè functos Reipublicæ negotijs, excelsa honorum fastigia fas est capeßere; ut eandem viam meritorum capeßentibus, spes parium præmiorum paretur. Non suffecerant AGNO Tuo, tot in sacris Pontificum Trabeis Gemmæ, tot Purpurata in Senatorijs Curulibus Conchylia, tot in primis Regni Ministerijs Sigilla, tot in publicis Legationibus Caducei; omnium denique Insignia Honorum nō suffecerant; nisi Principum quoque in Orbe Polono Familiarum conjunctos Splēdores, in maximi incrementum Nitoris per tædas geniales traduxißet. Ejusmodi Magnorū Siderū faustam Sarmatiæ Conjunctionem, quæ ingeminat splēdore publicæ felicitatis diem, si referre vellem, umbram offunderem, lucidißimo Animi Tui celsißimi Phœbo. in cujus rara summi judicij præcellentia, Entheo eloquii & consilij vigore, in illa magnanimi pectoris eminentia, collecti majoris fortunæ fulgores, non aliter transparent, quàm solis radij in Crystal-

stal-

stallo. *Quidquid ergo Heroicæ Celsitudinis in gestis gerendisq; honoribus, Civilis Prudentiæ & Dexteritatis, in componendis è re boni publici limitum Controversijs inter Regnum Poloniæ & Tomsam Radulumq; Valachiæ Palatinos, Magnus Tuus Proavus* ADALBERTVS HVMIECKI *Castellanus Camenecensis, in theatro gloriæ Immortalis exhibuit, quidquid magnanimitatis & magnificentiæ, fama perennis celebrat in* ALEXANDRO de Rychty HVMIECKI *Castellanida Camenecensi Avo, Trophæis & Triumphalibus Palmis Moschoviticis inclyto, sub auspicijs, gloriosissimi Poloniæ Regum* VLADISLAI IV. *cujus amor & delicium erat. Quidquid Splendoris, Sapientiæ, & Industriæ, in belli pacisq; artibus, in publicis consilijs memorandum & hodie optandum reliquit, desideratissimus gloriosæ Memoriæ Parens Tuus* ALBERTVS de Rychty HVMIECKI *Vexillifer Podoliæ: omnia hæc eminentia in omni fortuna Heroum De-*

cora, ingentibus implesti factis, & amplius implere non desines, justus hæres Avitorum Splendorum. Quidni desinere debeas, quem ad egregium publicum, magnæ fortunæ exempla, Pater Patriæ Æneas ingentium Trophæorum Rex IOANNES III. *& Avunculus Hector Illustrissimus Cracoviensis Palatinus, tot Triumphalibus ornamentis veteris & præsentis ævi, Ducum gloriam æquans, formavêre. Post decessum Magni* IOANNIS, *ubi omnium turba malorum, Orbi Polono incubuit, Tu publicis malis eminentior, præcelsum Animum, & pectus selectissimis dotibus coronatum, irruentibus opposuisti fatis. In Eurippo Generalis Convocationis, Sapientissimus dissentientium animorum Moderator; in periculoso illo dissensionum freto, rexisti navigium Reipublicæ ut è scopulo in tranquillum reduceres; capere Eurippum dissidiorum promptior, quàm capi. Cum igitur Gentilitius* AGNVS *Tuus in alto Orbis Sarmatici Polo, propriâ & avitâ in-*

gen-

gentium meritorum luce præradians, è natura beneficorum ſiderum in commune bonum ſeſe gerat; etiam vmbratile hoc Opuſculum, Spiritualis Exercitationis, benigno ſidere reſpicere dignetur. Atq; ut Princeps Aſtrorum in Arietis Signo, cum vere purpureo Annum temporum, aperire ſolet; ita, hoc Illuſtriſsimum Phænomænon Tuum, magnum gratiarum meis votis, ac deſiderijs Annum pandat. Qui ſum

Illuſtriſsimæ Magnificentiæ Tuæ

Obſequentiſſimus Servus
MICHAEL GORCZYNSKI.

AP-

Approbatio.

LIbrum, cui titulus, RESPIRIVM VIATORVM Sacris Colloquiis, ac devotis praxibus, ſuper Beneficiis DEI, ac æternitatis felicitate recolligenda refectum, aſcetico & erudito labore, Admodum Reverendi Domini AQUILINI MICHAELIS GORCZYNSKI, I.C. & Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, Canonici Regularis Cõgregationis S. SALVATORIS Lateranenſis, ex præcipuis Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum & Doctorum locis, & authoritatibus, collectum ac conſcriptum legi, qui, cum, legentes ſe, in eam

Soli,

Solitudinem Spiritualem ducat, in qua ſalutariter ad gratiam DEI quærendam excitantur, vt propter omnium vtilitatem prælo imprimatur, facultatem dedi. *Datum in Collegio Majori Academiæ Cracovienſis, Die 15. Maij. A.D. 1704.*

M. PETRVS PRACZLEWIC
Sac: Th: Doct: & Profeſſor
DECANUS Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI
ad Cracoviam, ejusdemq; Diæceſis Librorum Cenſor.
mpp.

Ami-

Amico Solitudinis
PROLOQVIVM.

Isai: 42. DVcam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam, ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta. *Non est hic animus ex Cœnobiorum Incolis, sylvicolas formare, & Mundum legitimis spoliatum decoribus, in nativam vocare ruditatem, sed potius Cœnobia, ab imperfectionum cœno depurare, & terræ habitatores Cœlo similes reddere unicum erit studium. Næ, auderem grande nefas, si eos (quibus hæc scribendi votum, quosq;* status Professio hu-

Hymn: de S. August. manæ salutis administros fecerat) *quodammodo excanonicando, Eremicolarum Institutum amplecti vellem, cum ipsos Eremitas à solitudine populosa Vitam & Nomen trahere non ambigam. Pro Præfectis animarum solitudo mentis satis est, quam in universum oro omnibus* PAVLVS III. *anno 1548. approbavit;* PAVLVS V *Indulgentiam Plenariam (qui solivagos intra Penates* deno dierum *spatio, DEO vacarent) anno 1610. concessit;* ALEXANDER VII. *absq; diminutione Plenariæ Indulgentiæ 1657. ad octiduum restrixit;* INNOCENTIVS XI. (*nixus forsan illi S. Hieronymi principio, quod ille vivens sacrosanctè observabat:* Clericum solitudo facit non publicum) *ordinandis præsertim, usum ejusmodi exercitiorum fieri indixit; & novissimo decreto de Anno 1699.*

die

die 25. Ianuarij INNOCENTIVS XII ad Pastores Animarum Parochos videlicet Confeßores & Concionatores extendit vt segregati à peccatoribus, & per contemplationem supernorum, excelsiores cælo facti, similiter per octiduum in exercitijs spiritualibus se occuparent, vbi Magistro DEO illuminati magis, commissis sibi gregibus tanquam vberioris Gratiæ Discipuli, salubriora pascua cum majori suo spirituali emolumento, ministrarent. Non alius præsentis Opusculi à mente vniversalis Ecclesiæ scopus, quàm internam solitudinem Religiosis cordibus (à quibus omnium pendet salus) instillare, hácq; mediante vnam saltem implantare virtutem, juxta illud eruditum dogma: virtus est vitium fugere & sapientia prima; stultitia caruisse. hanc qui negligit aliam non habebit, cum sit parens cæterarum, non parturiendo, quia negativa est, sed ad esse cæterarum, subjectum inhabile disponendo; non enim est homo qui non peccet. Hinc Summa potißima & vera intelligentia hujus Libelli erit, vitare peccatum. Solitudo non alia quàm mentis secessus; ex sensu Prophetæ: Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum Reformatio; ipsa interioris hominis absq; externa immutatione innovatio approbante idipsum Apostolo qui dicit: nolite conformari huic sæculo sed reformamini in novitate sensus vestri.

hæbr. 7. — 3. Reg. 8. — Iob. 28. — Isai: 26. — Rom. 12.

L I.

LIBELLI INIMICO

Ex Authographo D. HIERONYMI antigraphos.

Epl. 50. ad Eustoch.

AUt profer meliores epulas & me convivâ vtere, aut qualicunq; cænulâ Nostrâ contentus esto

Ad Directorem Animarum.

1. ad Tim. 4.

ATtende tibi & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

Eccli. 10.

Secundum Judicem populi sic & Ministri ejus, & qualis Rector est Civitatis, tales inhabitantes in ea

S. Lauren. Iustin. de discipl. & perf. Monast. Conversa. C. 8.

Heu quanti ariditate Spiritus confecti, & devotionis gustu alieni, quia sicut oportuit in primordio conversationis, spiritualibus non fuerunt imbuti, vocationis gratiam quam habere meruerant, perdiderunt.

Ad Virtutum Discipulum.

S. Franc. de Sales in Philoth p. 3. C. 37.

BOnum certe signum est tam bonum appetitum habere (scilicet pietatis, mortificationis, obedientiæ &c.) at vide num omnia quæ comedere cupis. digerere poteris? itaq; Patris tui spiritualis consilio & suasu tot inter desideria ea selige, quæ practicari & executioni mandari possunt: illa continuare perge, & constáns in illis esto. &c.

CA-

CAPVT I.

De Ingreßu in ſolitudinem Spiritualem.

DVcam eum in ſolitudinem *& loquar ad cor eius.* Felices hominum paſſus quorum DEUS dux & via. illi ſoli aſſequuntur id quod ſequuntur; digni ſanè vt ad loquentem DEUM pertingant. *Viam tenent Regiam*, qui erratici Orbis calle relicto, orbitam *Regis gloriæ* amplectuntur, toties ductu cæleſtis explanatam veſtigii, quoties præeunte DEO à tot Sanctorum viritim calcatam millibus; & quid mirum, ſi etiam *in terra deſerta & invia* DEUM inveniant? Perdit greſſus quiſquis etiam cum amata ſponſa *per vicos & plateas Civitatis* quærit dilectum ſuum, qui *non invenitur in terra ſuaviter viventium*; in deſerto plerumq; inhabitat, ibi velut in rubo Moſaico, ſolitudinis amans DEUS, figit ordinariam conſiſtentiam, prout exemplo

Oſee 2.

Hymn de S. Aug.

Pſal. 62.

Cant. 3.

Iob. 28.

 decla-

declarat rem, quidam Monachus nomine Macedonius; quem cum Princeps illius Regionis Venationi incumbens, in profunda eremo offendisset, stupere primùm eo loci hominem reperiri, deinde adire, etiam & alloqui, quid ibi

Theodoretus.

actitaret, cæpit: at Monachus vt competentiùs responderet primum locum dari petiit quæstioni: Cuius rei gratia illuc Princeps accesserit? respondit: *Ego veni vt venarer cervos & apros.* Subiunxit Macedonius: *Ego autem veni vt venarer DEVM meum &c.* (prout accidit Eustachio &c.) quo responso patetice demonstravit *in loco solitudinis* DEUM frequentare libentius, extra popularem turbam inveniri illum si quæratur faciliùs, illic seipsum amanti animæ ocyus insinuat, inter frondosa vireta hortulani more spatiatur, clamat, invitat, *& pertransit bene faciendo.*

Act. 10.

Experto crede nullibi magis beneficus & disertus, ac in deserto DEUS, trimulos etiã infantes altissima quæq; fari edocuit, & sine articulata voce *vocem clamare* fecit *in deserto.* Nec

Joan. 1.

alibi

alibi *illi alij dilecto* Christi *Discipulo* re-velata sunt secreta cælestia, & dictata *magnalia DEI*, Apocalypsi authentica-ta à DEO, nisi in Patmos solitudine: *Factum est verbum Domini ad Joannem in deserto.* Jn Deserto Sanctæ Pecca-trices: Magdalena, Pelagia, Thais, cæ-teriq; *pænitentiam agentes & præ angu-* Sap: 5.
stia Spiritus gementes, salutem *in lachry-*
mis seminarunt, quam nunc *in exulta-* Psal. 125
tione metunt. hinc ne crede steriles es-se lachrymas in deserto; his enim suc-
crescit *flos campi & lilium convallium* Cant. 2.
sanctarum cogitationum *in corde ter-ræ; pinguescunt speciosa deserti* sanctis
mortificationibus, *& exultatione col-* Psal. 64.
les accinguntur, rerum cælestium con-templationibus. Et bene quidem;
nam vt scite observat Petrus Blesen: Epist: 17.
Animâ sabbathizante à concupiscen-tiis sæculi, sapientia DEI liberius se infundit inquirenti.

Quid verò de Patribus Abraham Jsaac, & Jacob, nonne illi beneficas DEI declarationes possederunt in de-
serto? *Semen Abrahæ* amplissimo re- Gen. 22.
promissionum Divinarum privilegio

 ob-

obtento, tot *benedictiones ſicut ſtellas Cæli* & *velut arenam quæ eſt in littore maris* participare meruit, cum *ad Abraham locutus eſt DEVS in deſerto.* Iſaac rediviva factus eſt hoſtia præſervatione Divinæ manus *ſuper vnum montium* in deſerto. Et ille M. Patriarcha Jacob non alibi *ſupernorum Civi-*
Gen: 28. *um ſocietatem* deprehendit, ſimul eius comprehendens myſteria, quam cum requieviſſet in Bethel; nam vt ingeniose obſervat Petrus Bleſen: *Qui* à
Epiſt: 9. terrenis vacant ſpiritualium naturā facilius conſequuntur. Hinc eruditus in Divinitatis ſchola David. *Videns iniquitatem & contradictionem in*
Pſal: 54. *Civitate elongavit fugiens & manſit in ſolitudine;* vel ne contaminaretur à vitiis, vel vt ſtrepentes mundi paſſus,
Pſal: 30. *abſconditus à conturbatione hominum*, tutius declinaret, qui plerumq; impediunt mentis attentionem; cum enim
Joan: 1. indigitante Joanne: *DEVS ſit verbum*; hinc ſine verbis adeoq; in ſilentio, *lo-*
Pſal: 84. *quitur pacem in plebem ſuam & ſuper Sanctos ſuos & in eos qui convertuntur ad cor*, vt ita omnibus omnia eſſet.

Et vt se fiducialius, nec non cum maiori cuiusq; emolumento effundat, cum singulis bonis & malis familiarissime conversatur, adeoq́, nullum vult colloquii testem, solus cum solo quietem & solitudinem reposcit. Sic dum Moysen in Principem populi sui, investire decrevit, *in montem excelsum seorsum* duxit, vel vt Moyses superna penitius perciperet, vel ne DEUS ab infima plebe loquens perciperetur; præterea caliginosa nube eum contexit, vt cum maiori serenitate menti eius illaberetur. Exod: 24.

Cum igitur vt per se patet ex *sanæ intelligentia scripturarum* Augustino, *Locutio verbi sit infusio doni*, quis non pleno affectu aspiret ad solitudinis felicitatem? quis non ambiat cum DEO ' ascendere ad familiaritatis dignita- ' tem? Grandis fortuna à populari- ' bus censetur, vtcunq; misceri Aulis ' Principum, numquid vile reputabitur secretioribus circa propriæ animæ statum *Magni Regis, summi DEI* consiliis admitti? cuius respectu quantaquanta terrena Maiestas, (si non infinitè mi- Serm: 45. Petr. Blesen: Epistol: 47.

 nor)

nor) tanta eſt, quaſi ſi cicindelæ lumen ad ſolis fulgorem compararetur. Tanto magis deberemus anhelare ad familiaritatis cum DEO participium, quia vt ait Sapiens: *Non habet amaritudinem converſatio ejus, nec tædium convictus illius ſed lætitiam & gaudium:* cum Dynaſtis huius ſæculi quis neſciat moleſtiarum iliades?

Sap: 8.

Ergo adhortante mellifluo Bernardo: *Aſcendamus poſt eum duobus, quibuſdam pedibus, Meditatione & Oratione; Meditatio docet quid deſit, Oratio ne deſit obtinet, illa viam oſtendit hæc deducit;* in hac enim virtutum aſſiſtentia, nec ſubeſſe errandi periculum, nec ſuſpicari poteſt viarum aſperitas; iam ſiquidem ſemita cæli Opifice DEO dilatata, iam devia compita *inferioris inferni* deleta, iam *inclinati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Et ſi qua forte impervia difficultas reſtare videtur, eam *in brachio forti* auxiliantis gratiæ, datâ per Prophetam fide facilitare promittit: *Omnis Vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aſpera*

Habac: 3

Iſai. 40.

spera in vias planas, tantummodo *re- ctas facite in solitudine semitas DEI no- stri*, imitantes eum qui *viam Domino præparavit in eremo*. Si enim *Sanctus ab vtero* non prius aggressus est Præcursoris officium, quam exercue- rit *vocem in deserto*, quis incircumcisus corde, incultus moribus, *pollutus labijs in medio populi*; Divini Præconis offi- cium assumere audebit absq; tali exer- citio? Et si ipse *Sanctus Sanctorum* an- tequam inhoasset redemptionis my- sterium, integris quadraginta diebus non est dedignatus indulgere solitu- dini, non capio qualiter *circumdatus infirmitate, alios salvos faciet seipsum non valens salvare*, non præmissa simili in solitudinis sacrario, si non quadrage- nariâ, octodenali saltem quotannis di- spositione? O si attenderes bene, (quam professus es) perfectioni, nun- quam publicum secreto, Civitatem e- remo, solicitudinem solitudini præfer- res cum Regio Psalte, *similis factus pe- licano solitudinis & sicut paßer solitarius in tecto*.

Luc: 3.
Jsai. 40.
Jsai. 6.
Hæbr: 5.
Psal. 101

Hæc recogita quisquis loquentis

DEI promiſſis potiri deſideras, & ſi
Math. 19 *vis perfectus eße ſequere* Chriſtum, cu-
ius te iactas diſcipulum. Non dedi-
gneris fidele cum DEO conſortium,
qui te ab *initio ſæculorum* tot beneficiis
dignatur. Summa dignatio eſt ſervum
cum Domino, DEUM cum homine,
Supremum cum infimo, intimo mi-
ſceri commercio, & ſanctæ converſa-
tionis novitatem amplecti, per quam
Ephes. 4. *veterem* in te *hominem* poteris refor-
Joan. 11. mare. Jdcirco *tolle grabatum tuum &*
Psal. 44. *ambula, intende proſpere procede*, alio-
qui ſi non procedes dolebis, ſi appre-
hendes procedes. Non vtiq; vocaris
extra popularem mundum vt Moyſes
& Abraham; nam Petro Damiani te-
ſte etiam *in populoſa Urbe amor artifex
ſolitudinem invenit*. Non amandaris
in Bethel cum Jacob, nec relegaris
in Patmos cum Evangeliſta Joanne,
vel *ad antra deſerti* traheris cum Ba-
ptiſta, ſed intra domeſticos lares in-
Epiſt. ad dulgere paulisper ſecreto, ſuadente
Nepotiā: iuberis Hieronymo: *Adhibe tibi in
Urbe ſolitudinem, & remotus ab homini-
bus iunge te DEO*, ſeponendo videli-

cet inanes curas prout patenter amplificando demonstrat S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: *Eia, nunc homuncio fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, abijce nunc onerosas dissensiones tuas, vaca aliquantulum DEO, & requiesce aliquantulum in eo. Intra cubiculum mentis tuæ.* quasi diceret: Noli differe solitudinis gratiam, cum habes, forte hæc vltima est, æternum non reditura hoc ipsum te moveat, quod hactenus plures similes occasiones neglexeris, quarum meritò non sine ingenti dolore aliquando recordaberis. quapropter stude vt nunc saltem oblatam accepetes, time si negligas. Cap: 1. Prosolog.

CAPVT II.

De Iucunditate Solitudinis Spiritualis.

GVstate & videte quam suavis est Dominus. Psal: 33. Sociale animal homo, omnium admittit consortia, solam fasti-

dit

dit perfectionem, quia fugit solitudi-
Job: 28. nem. *Nescit* miser *pretium eius* fidamq́; sancticatis ignorat amicam inculcante Spiritu S.
Thren 3. *Sedebit solitarius & tacebit & levabit se supra se.* Fingit imaginarium quendam labyrinthum, nec reflectit quod perplexiori defacto *à saeculo nequam* involuatur. Nondum *ad*
Galat: 1. Deut:32. *locum* vt putat *horroris & vastae solitudinis* componit pedem, & iam spargit & dicit:
Prov:26. *leo est in via & leaena in itineribus*, ne vel à *primo* limine virtutem insensatus salutet, vel ne primis saltem labris solitudinis suavitatem degustet, cuius DEUS condimentum est.

Non sine iniuria solitudo creditur receptaculum chymerarum, aut carcer Ascetarum, quae sanctioris vitae hominibus tantum semper in deliciis fuit vt dicat Hieronymus: *Viderint alij*
Epist: 4. ad Rustic de vivë: form. *quid sentiant, vnusquisq́ enim suo sensu ducitur; mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus est.* Nec est adeo sola prout eam ethymologia nominis depingit, vt omnem alium á conversatione ex-
Tu ad Frat: de mont. DEI. cludat teste S. Bernardo: *Nunquam minus sum solus quam cum solus.* Num-
quid

quid ille dici poteſt ſolus cui Angelorũ Dominus innumerabili Cælitum ſeptus aſſiſtentia *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum, os ad os colloquitur ?* aut aliquid deeſſe poteſt etiam penuriâ rerũ laboranti, cui DEUS ſatis eſt? Nonne poſſidet omnia ſi habeat eum, qui eſt omnia? docente Petro Bleſen: Cui DEUS adeſt nihil abeſt, & cui Chriſtus ſufficit nihil deficit ; ſicut è contra: *Nimis avarus eſt cui DEVS non ſufficit.* *O ſi carnalis homo percipere vellet quæ ſunt Spiritûs DEI*, non minorem experiretur guſtum ſolitudinis abſq; mundi adminiculo, ac quondam Hieronymus: *O quoties in deſerto ferarum tantum ac ſcorpionum ſocius, præmortuus ieiunijs & pænitentijs, putabam me tamen Romanis intereſſe delicijs & puellarum choris.* Ecce quantis abundat ſolatiis ex ſolius DEI aſſiſtentia genuinum ferarum ſtabulum, & monſtruoſa ipſis etiam animantibus habitatio, quo præſente ipſe quoq; infernus Paradiſus foret! quid non ſentiendum de Civica ſolitudine, quæ terrenis non ſpoliat, & ſupernis opulen-

Exod: 33.
Serm: 49.
Fernad.
1. Cor: 2.
ad Euſt: de Cuſt. Virginit.

lentissime ditat & munerat; provt
irrefragabili certificat vaticinio Jsaias:
Jsaiæ 51. *Ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem, quasi hortum Domini, gaudiū & lætitia invenientur in ea.*
Et licet deserta fastidium pariant
Matti 11 *filijs huius lucis qui mollibus vestiuntur* & *habitant in domibus Regum*, *filijs* támen *DEI* loca solitaria iucundissima sunt adeo, vt suavitate sua etiam ipsos Reges vel abdicare Jmperia vel fastidire fecerint Regales delicias; quia scin-
Jsaiæ 35. duntur eis salutares *aquæ in deserto & torrentes dulcedinis in solitudine.* Visitat illos Dominus qui respuunt hominum commercia & venit super capita eorum misericordia DEI *sicut ros*
Psal: 132 *Hermon qui descendit in montem Sion.* Felices illi qui aut semper aut ad tempus fugiunt de medio Babylonis (ne forte societate peccatorum inquinentur) in solitudinem, vbi onagrorum more liberi, & soluti à vinculis occasionum & perturbationum, ingre-
Gen: 27. diuntur ad pascua electorum *& delectantur odore agri pleni.* O quam iucundum, quam suave & quam desi-
derare

derabile est otium illud, in quo silentibus passionibus & imaginationibus importunis Filia Sion dulcissimè Sponsa DEI requiescit in amplexu suo? Hæc est sors eorum qui terga vertunt mundo, quorum *anima concupiscit & deficit in atria Domini*: Non solicitat eos ambitio non avaritia &c. Filiorũ Adæ, quia omnia desiderabilia mundi reliquerunt propter DEUM qui est totus honor & hæreditas illorum. Vnde bene noster Thomas Kempen: *Beatus qui odit hunc mundum & quæ in mundo allicere possunt ad peccandum & fugit cum Elia in desertum à facie multorum periculorum, quæ sæpe trahunt hominem incustoditum ad infernum.* Psal. 83. Vall. liliorum. Cap. 25.

Talis erat Carolus V. Jmperator qui blanda fortuna mundi imo & omni *confusione contempta* amplissimum patrimonium transtulit in Filium Philippum II. vili contentus tugurio, dummodo Jmperii solicitudines, solitudine mulcere liceret, quarum pertæsus etiam pacificus totius Orbis Possessor Octavianus Augustus, extremam Jmperii diem avidissime exoptabat quâ Hæb. 12

illud

illud exueret, teste Seneca: Sed & ipse Philippus non absimilis Patri successor ad eandem aspirans felicitatem cedro notandam moriens edidit vocem: Utinam Corona Caput non cinxisset; pænitet fuisse Regem, melius in aliquo deserti angulo extra mundanorum negotiorum tumultum vixissem. Quid de aliis sexcentis Monarchis utriusq; Ordinis dicam? quam anxioso anhelitu cum Jsaia: *Secretum*
Jsaiæ 30, *meum mihi, secretum meum mihi.* Vix non latibula bestiarum cum Jeremia
Jerem. 9. appetebant: *Quis mihi dabit diversorium in solitudine & derelinquam populũ meum.* Ex quam plurimis vnus hic coronatus Psaltes sufficit, qui vix in penetrali clausus secreto degustavit supernæ suavitatis dulcedinem, acsi nunquam delicatius inter Regias dapes probasset obsonium, ingenti sa-
Psal; 30. tisfactionis suæ sensu exclamavit: *Quã magna multitudo dulcedinis Tuæ, quam abscondisti timentibus Te.* quasi diceret: Non credidi vnquam Domine quod tales ac tantas reservaveris delicias *in*
Ibidem *abscondito faciei Tuæ*: hic salus, hic vi-
ta,

ta, hic tantum solatium, quod *nec lingua dicere, nec litera exprimere* valet, soli probanti quantum valeat gustus eius reservatur, dicente Bernardo: *Non capit intelligentia nisi quantum experientia attingit* hic *lætitia Spiritus inenarabilis & pax* imperturbabilis *exuberans omnem sensum.* hic *lassi in via iniquitatis secus decursus* defluentium ab oculis *aquarum* inveniunt *dulce refrigerium.* hic innocentes agnelli velut *in hortis aromatum* deliciis spiritualibus *pascuntur*, & gratissima *colligunt lilia* gaudiorum. hic famelici cælestium consolationum *manna omne delectamentum in se habente* restaurantur. hic veri amatores DEI *torrente voluptatis* Divinæ assiduè *potantur.* hic soliloquiorum cum DEO *unguentis optimis* recreantur, & præ deliciarum affluentia, dulcissime in DEUM colliquescunt. hic Petri Blesensis testimonio: Locum pænitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu S. munus salutis, & contra passiones mentis efficax beneficium medicinæ, omnes inveniunt. Vt dici pos-

sic

Lib. de nat. & dignit. Div. amor. C. 10.
Philip. 4.
Psal. 1.
Cant: 6.
Sap: 16.
Psal. 35:
Cant. 1.
Epist. 18.

ſit quod dictat Eccleſia: *Advenerunt nobis dies pænitentiæ ad redimenda peccata ad ſalvandas animas.*

Prov:31. *Guſtavit & vidit quia bona eſt negotiatio eius.* Magnus ille tot ſcientiarum poſſeſſor & Profeſſor P. Suarez, Tom: de Grat: in vit. ejus. quas licet non ſine peculiari delicio, vtpote advitalitio labore partas, tenuerit, nihilominus pluris æſtimans ſpiritualis ſolitudinis delicias, potius ſe dictitabat omnem prorſus ſcientiam paratum amittere, quam aliquo die vnius horulæ Meditationem omittere.

Deut:32. *Vtinā* ita *omnes ſaperent, & intelligerent ac noviſſima providerent,* & tanti Doctoris exemplo, datâ diei horâ, anno hebdomadâ, ſpirituali ſolitudini incumberent, procul dubio exularet infamis ſæculariſmus à Clauſtris, peſtilentes abuſus à Clero, ab omnibus arceretur monſtruoſa larva vitiorum; & quod modo acerbum videtur dulcius Pſal.18. redderetur omnibus *ſuper mel & favum.* Probet qui negat & nullibi ſolidiores Th.àKēp. Soliloqu: anim. C. 11. delicias mentis, ac in modo dicta ſolitudine inveniet *cuius dulcedo vincit omnem dulcedinem & dulcorat omnem amari.*

maritudinem teste Thoma Kempensi.
Hanc qui diligit Jerusalem pro Baby- ' Epist: 86.
lone, terram promissionis pro Ægy- '
pto, pro exilio patriam, Cælum pro '
inferno, quietem & pacem pro labore '
& miseria acquirit, ex Petri Blesensis
Sententia. Solitudo in naturam fera-
rum degenerata ingenia reformat,
nec non *iugum Domini suave & onus* Matt. 11
leve facit: solitudo dat *quam mundus da-*
re non potest pacem & omni iucundita-
te replet cuiuscunq; conscientiam, vt
non immerito exclamans Bernardus
statui omni bonorum aggregatione perfecto
eam parificet: *O beata solitudo, sola be-*
atitudo! te portum tranquillitatis inveni-
unt, qui naufragium mundani fluctus eva-
dunt, reclusio quidem es corporum sed li-
bertas animorum. Et alibi: *Vbi solitudo &*
silentium ibi quies Religiosorum.

CAPVT III.

De Vtilitate Solitudinis Spiritualis.

ECce nunc tempus acceptabile, ecce 2. Cor: 6.
nunc dies salutis. Jn parvo semper

 censu

censu habet qui non gustat solitudinē. Nec mirum nam sicut *ignoti nulla cupido*, sic vilissima taxatio; quis enim re-
Prov: 23 cte *æstimat quod ignorat?* vtilitas eius tanta est quanta ipsius DEI; hinc quadam infinitate bonorum mensuratur. Hæc est basis & firmamentum Chri-
Horol: asc: C. 2. §. 9. stianæ perfectionis ex sensu eruditissimi Card: Bona; nam vt alter Cardinalis, Magnus ille vitæ spiritualis Magister Bellarminus sine exercitio Orationis mentalis (quæ est quidam modus orandi Angelicus) ad minus vno quadrante quotidie, obligationi Christianæ moraliter satisfacere posse negavit, sic nec ego à linea recti aberrabo, qui desumpto ex libro experientiæ argumento, perfectam virtutum possessionem, impossibilem moraliter sine solitudine dixero, quam tanti, quanti DEUM appretio; hæc enim DEO cōstat, DEO compensatur. Etenim ibi liberalius effundit suam bonitatem, & infundit patentius sui cognitionem; ibi expressius patefacit suum amorem, misericordiam & id genus attributa. Ibi erectâ Cathedrâ *multifariam multisq; mo-*

dis

dis loquens DEVS, partim per illuſtra- Hebr. 1.
tiones mentis, nunc per inſpirationes
voluntatis, tum per infuſionem inter-
narum affectionum cordis erudit igno-
rantem *& docet hominem ſcientiam.*

Nec tantum iuſtis ſeipſum in præ-
mium offert, ſed & graviſſimum quen-
quam in ſecretum ſermonis, peccato-
rem admittit, illius memorialia beni-
gne excipit, neceſſitatibus ſuccurrit,
amaritudines dulcorat, mortificandi
paſſiones modum ſuggerit, *de tentati-* 1. Cor. 10.
one proventum parat, laborandi & pa-
tiendi ſtudium accendit, virtutes do-
cet, dedocet vitia, *mentem elevat*, ſen-
ſum deprimere facit, ad charitatem,
humilitatem, Crucis tolerantiam, &
cætera ſancta exercitia, verbo & facto
animat. Paucis multa: ibi inſtillat ma-
lis bona, bonis meliora, omnes incre-
dibili facilitate in vno *verbo docet omnia*,
& cum his in pignus vitæ æternæ ſeſe
inſinuat dicens: *verba quæ locutus ſum* Joan. 6.
vobis ſpiritus & vita ſunt. hinc bene ſæ-
pefatus Bernardus: *Vtilitatem ſolitudi-*
nis profitentur peccatores, & promovent
perfecti, ſuavitatem deguſtant Sancti, &

Ps. 118. in ea delectantur *sicut in omnibus divitijs.* contenti magis de sac. Recollectionum exercitiis per dies octo, quam ex Assueri Regis 180. dierum (si ei interessent)
Esth. 1. convivio; quanquam nil præsto habeant
1.Cor.2. *nisi JESVM Christum, & hunc Crucifixū,* prout apposite memorat Scriptura: *Est*
Prov. 13 *quasi dives cum nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis divitijs sit.* Ad rem facit recapitulans vtilitates spiritualis solitudinis, *profundissimus Divinitatis scrutator* Augustinus, in hæc verba: *Medi-*
Lib. de Spir. & anim. C. 70. *tatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio verò perficit orationem.* quas qui largius explicatas videre volet *Dux Peccatorum Ludovici Granatensis Lib.* 1. *par.* 2. *Cap.* 14. *& sequent:* ostendet. *ipsum sequens non deviabit* nec fraudabitur desideratis.

Quodsi nec ista movent quempiam ad vtilitatem solitudinis moveat saltem quem tenet studii ardor; *omnes* quippe *naturaliter scire desiderant.* Plura discet in hac Vniversitate Sanctorum, vbi omnes & singuli Ecclesiæ Doctores & *primi* Religionum Fundatores M. Antonius, Basilius, Benedictus, Do-

minicus

minicus, Franciſcus & cæteri, doctam mentem excolebant ad virtutem, quàm ſi quis longo ſtudio, omnes vniverſi peragraret Academias. Hic magiſterio Divinæ vocis eruditur lingua qualiter *cum Domino debeat proferre ſermonem*: hic ſine voce animus acuitur in fervidos affectus, vbi *audiuntur verba quæ non licet homini loqui*: hic Gordii nodi inſolitarum difficultatum facili negotio diſſolvuntur: hic abſtruſiſſimæ quæſtiones ſcripturarũ & reconditiſſima Divinitatis arcana, operâ Spiritus S. ſine labore deteguntur: hic vna hora dat quod alibi totus denegat annus, quoniam *declaratio ſermonum ſuorum illuminat & intellectum dat parvulis*, ita vt *ſuper ſenes intelligant* & omnes Conſiliarios Pharaonis & Divinatores Chaldæorum tranſcendant. 2. Cor. 12. Pſ. 118.

Dicat Jgnatius *homo literarum plane rudis*, quando & qua in Academia tantum profecerit, vt brevi tot Sanctorum & inſignium Theologorum Pater eximius, animarumq; ſolicitus venator evaſerit, ſi non per familiaria ſibi vnius Menſis in Spiritu exercitia? Huius Brev. Rō.

morem gerens Bartholomæus Torres Canariensis Episcopus doctrina & pietate conspicuus, tantum se per paucos dies de mystica hac Theologia hausisse in manuscriptis testatur, quantum per triginta annos in Scholastica, quam, profitebatur, non profecerat. Similiter Petrus Ortizius Cæsaræus Legatus Theologiæ Doctor gloriari solitus erat, se præstantius Theologiæ genus per exercitia Spiritualia didicisse Vt sciag

1.Cor.3. hic sapientes huius mundi stultos esse, & simplices idiotas ad suprema erudiri, quæ plerumq́; *sapientibus & pruden-*

Matt:11. *tibus huius mundi absconduntur & revelantur parvulis.*

Impendat quis quantum potest

1.Cor.2. tempus *doctis humanæ sapientiæ verbis*,

1.Cor.13. *loquatur omnem scientiam hominum linguis & Angelorum*, & inter primos mundi Magistros Eminentiæ Cathedram, obtineat, vix sacris elementis nomen dabit, prout ipsemet contra se cum Doctore Gentium ingenue fatebitur: *Cum*

Hebr. 5. *deberetis Magistri esse propter tempus rursum indigetis vt vos doceamini & facti estis quibus lacte opus esset non solido cibo:*

Qui

Qui vult primæ Sapientiæ nosse rudimẽta in hac Academia, exeat de Mundo cum M. Gregorio qui de se talia profert: *Secretum locum petij amicum mærori meo, vbi omnia quæ de mea mihi occupatione displicebant, se ostenderent, & cuncta quæ infligere dolorem consueverant ante oculos venirent.* Ad idem exercitii genus alterum Papam Eugenium, suum quondam spiritualem alumnum allicit Bernardus: *Memento non dico semper non dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsum tibi, vtere tu quoque te inter multos aut post multos.* Brevis vox est: *Nosce te ipsum.* sed præ longioribus scitu difficilis dicebat vnus de septem Græciæ Sapientibus Thales Milesius, quid de *nosse DEUM* dicam? de obligatione hominis in Creatorem? & quantum se effuderit *benignitas Salvatoris nostri DEI*, in fragilitatis humanæ subsidium? &c. Plus enim (egregie dicit vt assolet acutus Petrus Blesen.) DEUS in sola redemptione hominis quam in tota mundi fabrica laboravit, factus de Domino servus de divite pauper, de immortali mortalis, de *Verbo* Caro, de Filio DEI filius ho-

In Præf. Dialog.

1. Cons. Cap. 5.

Laert. lib. 1. P. Manut. in Apol. pag. 567. §. 8.

Tit. 3.

C. 7. in Job.

minis. Equidem Alphabetum hoc nemo capit quod adæquat Sacramento recondita quæq; mysteria, nisi illud faciliter Magistra virtutum solitudo. Non potest sine hoc speculo abstrusæ infirmitatis nostræ recta haberi cognitio, nec sine hac specula (vt altiora arcana prætercam) caute observari *quærens quem devoret adversarius.*

1.Petr.5.

Verum quidem est multum conducere ad præassertum finem etiam horariam (dummodo quotidiana sit) Meditationem, melior tamen evadit quà coniuncta solitudini, sicut cum hac suavior solitudo. Non bene nectuntur quæ immediate concatenari amant virtutes, distinctis & minus frequentatis actibus, nec clare illuminari potest mentis humanæ recessus, dissitis luminibus; admovendum est passo suum agens, & vt fiat *virtus vnita fortior* continuato exercitio excolenda. Recte proinde monet nostri Ordinis decus Infulatum D. Petrus Chrisologus: *Dedimus corpori annum, demus animæ dies; impendimus tempora nobis, deputemus tempus Authori, vivamus DEO paululum qui sæculo viximus*

Serm. 12.

mus totum, seponamus domesticas curas. Non minus acutiore penna adstipulatur ei Ambrosius scribens in illa Jsaiæ verba: *Erubesce Sydon ait mare. Fatigati elementi vox ista est* inquit *verecundiores venti sunt quam vestræ cupiditates; illi habent otia sua, nunquam vestra feriantur studia. Vexatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine.* Ubi patenter solidissimo zelo humanam arguit dementiam, quæ *in labore* quærit *requiem* portum fingit in charybdi, *aggravat iugum suū serviens mammonæ absq; vlla spe*, & vt in DEO respiret, vnicum medium solitudinem aversatur. Lib.de Elia C.9.

CAPVT IV.

De Necessitate Solitudinis Spiritualis?

RVgiemus velut vrsi omnes, & sicut columbæ meditantes gememus. Filius lachrymarum homo, nondum salutat nascentis vitæ primordia, en iam intonare cogitur lamenta, necdum lucis vsuram mutuat à natura, iam hæreditariæ illachrymatur miseriæ. A fortiori Jsai 59

vix

vix è materno ad vitam exilit ergastu-
Jer: 1. lo, iam velut Jeremias *nesciens loqui a a a*
initiali litera ProtoParentis Adami in-
Sap. 7. cusat aperte infelicitatem & *primam plorans edit vocem* dum maledictam o-
riginalis culpæ sortitur successionem,
tot scilicet malorum iliadem.

Fæcunda quippe miseriarum geni-
trix Originalis culpa simul ac nata est
Psal. 7. & *ecce concepit dolorem, parturijt iniustitiã & peperit iniquitatem*, nec non adeo hor-
rendis replevit mundum malis, vt iam
natare homo debeat in lachrymis, dum
attrocissimis vndiq; obruitur calami-
tatum procellis. Nec mirum, quia vi-
ta hæc ipsa quædam procella est, cuius
Psal. 116. vndæ lachrymarum *nunc ascendunt vsq; ad summum, nunc descendunt vsq; ad abyssos* desperationum, quibus alternanti-
bus anima nostra misere præfocatur &
Psal. 83. *deficit concupiscens in atria Domini.* Ti-
mores, iræ, tristitiæ, discordiæ, ambi-
tiones, cupiditates, innumerabiles, cum
aliis perturbationibus absq; numero,
Psal. 103 quid aliud sunt quam *mare magnum & spatiosum manibus*, omnis perturbationis
molestia exæstuans, & nullum perfe-

ctæ consolationi locum relinquens. Vltra hæc in ferarum ingenia transierunt homines, & se ad invicem *morsu amarissimo* adeo exagitant vt nullum verius esse possit quam illud dicterium: *Homo homini lupus*, ideoq; exuberat *reptilibus quorum non est numerus*. Meritò proinde Jeremias re & nomine *videns* ærumnas mortalium, *pressuras Gentium*, convulsiones Nationum, ruinas Regnorum, extermínia Monarchiarum in Unius persona omnes alloquitur, & invitat in societatem lachrymarum: *Deduc velut torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi neq; taceat pupilla oculi tui.* Deut. 32. Psal. 103 Thren. 2.

Numquid non potiori iure vndequaq; inuolutus malis sine requie lamentabitur, homo, si Propheta mille querimoniis deflet partem ærumnarũ? Numquid non tangent magis filios Adæ infinitæ miseriæ, quam Jeremiam communis calamitas super Jerusalem & vna stilla furoris Domini? Jpsa Respubl: membrorum, ipsa harmonia hominis o quam dissonis vocibus disturbat miserum, dum non consentiunt

extreme

extrema primis, *prima secundis* haud respondent; quia nimirum *Spiritus* militat *adversus carnem caro adversus spiritū concupiscit;* quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam*; *colluctatio* non tantum *adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra Spiritualia nequitiæ in cælestibus*, continuo inquietat, vt semper pati necesse sit, *foris pugnas intus timores*; Passiones indomitæ & sensus externi velut equi sine fræno sæpe sæpius excurrunt ad externa solatia, ideoq; multocies in captivitatem abducti *erraverunt ex vtero Matris suæ*. O DEUS bone *quomodo facti sunt in desolationem*! Hæc est servitus filiorum Adæ vt in seipsis ferant domesticos inimicos, qui rebellant contra *Regem pacificum qui facit vtraq; vnum*. Ipse *locus flentium vallis lachrymarum*, *patria ærumnosa* cuius & quas non eliciet oculorum stillas? *Numquid lætabimur & exultabimus in terra captivitatis? aut quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* revera:

Gal. 5. Sap. 9. Ephes. 6. 2. Cor. 7. Psal. 57. Psal. 72. Ephes. 2. Judic. 2. Senec. in Troad. S. Ambr. in Ps. 36. Ps. 136.

Non est conveniens cantibus iste locus,

Vbi

Vbi *occupatio magna creata est omnibus hominibus & iugū grave super filios Adā à die exitus de ventre Matris eorū vsque ad diem sepultura. Cogitationes eorum & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis, à residente super sedem gloriosam vsque ad humiliatum in terra & cinere: ab eo qui vtitur hyacintho & portat coronam, vsque ad eum qui operitur lino crudo: furor, zelus; tumultus fluctuatio & timor mortis, iracundia perseverans, & contentio,* & alia innumera mala lancinant, & in præceps trahunt miserum terrigenam. *Heu qualis est hæc vita* (ingemiscit noster Kempensis) *vbi non desunt tribulationes & miseriæ, vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia; nam vna tribulatione & tentatione recedente alia succedit; sed & priore adhuc durante conflictu, alij plures superveniunt & insperati. Quomodo potest amari vita tantas habens amaritudines? tot subiecta calamitatibus & miserijs? Quomodo etiam dicitur vita tot generans mortes & pestes. &c.* Eccl. 40. Lib. 3. de init. Christ. cap. 20.

Magna equidem sunt ista eiulatus perennis materia, sed nil est respectu vnius maculæ mortalis, ad quam eluendam

endam non satis sunt totius æternitatis lachrymæ, non admisso hyssopo Passi Salvatoris. Heu miseros nos! *ascendit mors per fenestras* & per portas quæ sine custodia patent *ingressæ sunt Gentes* (innumerabilium occasionum peccandi, tentationum, distractionum &c. quas generat *figura mundi*) *in sanctuarium DEI & templum sanctum suum*, & despoliaverunt illud. Hinc bene monet Card: Bellarminus: Ploremus præ ' tristitia, quia Parentem optimum ad ' iracundiam provocavimus. si enim ' ut notat *columna & firmamentum ve*- ' *ritatis* Augustinus: *Qui novit in pressura se esse mortalitatis huius & peregrinari à Domino, gemit quotidie*. Et cur non *amarissime fleam* cum B. Aloysio Bertrando *cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus* imo certò sciam me damnandum *testimonium perhibente veritati* sceleratissimâ vita meâ ut observat modo dictus Card: Bellarminus: Defleant alii lachrymis mortes Charo- ' rum, & iacturam pecuniarum, aut alia ' temporalia detrimenta, quæ cum spi- ' ritualibus comparata levissima sunt: '

Jer. 9. Thren: 1. Lib. 1. C. 1. Rub. Tr. 6. in Joan. Joan. 1. Lib. 5. Cap. 9.

at mortem animæ & iacturam Regni Cælestis non deflere nonne stuporis & amentiæ est argumentum? Numquid non totus *operiar inenarrabilibus lachrymis? nec inebriabor fletu & mugitu?* Malach.2.
cum ex mente *solidissimi rerum Statistæ* Augustini solâ boni apparentiâ non substantiâ & tot mundi fallaciis decipi & illaqueari me non ambigam? dicit enim: *Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam, certũ dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* S. August. Epist. 39.

Jgitur adhortante Jeremia: *Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis* idq; vt ait D. Basilius: *Ob peccatum vberes fluant lachrymæ, nec singultus ex imo corde procedentes deficiant,* defluant inquam si non toto vitæ nostræ tempore saltem per octiduũ spiritualis solitudinis; hæc enim pretiosum momentum est quo poterimus indignationem Divinam avertere, damna nostra resarcire, iniuriam vniversi compensare. Discreta tibi o Anime afflictio præscribitur vt DEO servias hilaris: Jer. 9. Jn Julitt. de grat. Vbiq,

us, suaves suadentur lachrymæ feraces æternorum gaudiorum quibus *lætitiam*
Psal. 50. *salutaris tui* nanciscaris. *Est quippe in*
S. Bern. sup. Can. *illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, reconciliationis iucunditas, & serenatæ conscientiæ suavitas.*

Deberes quidem grandi rictu *ululare cum bestijs comparatus iumentis insi-*
Psal. 48. *pientibus* per efferatos mores tuos *& similis factus illis*, si bene penetras magnitudinem iniquitatis tuæ; at solitudo tam potens est sublevatrix laborum vt
Ezech. 23. dolorem diminuat, *calicem mæroris & tristitiæ* quæ *occidit multos* evacuet *in fletu* mirabiliter afferat *solatium*, & moderato gemitu sine felle volucris, te *in altum provocantis*, omnem reatum debitorum exolvat. Jn solitudine spiritu-
Senec. in Trod. ali *fletus ærumnas levat & lachrymæ pro-*
sunt sincere lugentibus: extra solitudinem
Ovid. l. 1. de art. amaritudinem pariunt, & angustiarum
S. Bern. augent cataclysmum. Hic *deliciæ Angelorum sunt lachrymæ* (iuxta quod dicit
Luc. 15. Lucas: *Gaudium est in Cælo super vno peccatore pænitentiam agente*) *& fletus, cibus animarum ad Nuptiales Agni epulas anhelantium*: extra, *fel draconum & venenum*
Deut. 32.

aspi-

aspidum insanabile. Jn solitudine *pondera vocis habent* ita vt dicat Chrysostomus: *Nemo ad DEVM flens accessit, qui non quod postulavit recesserit:* extra, velut crocodili lachrymæ more harpiarum videntur compassionis affectum afferre, & lancinant magis, nunquam demulcent, semper discerpunt. Ovid. l. 3. de pont.

Ergone bibes potius *de aqua turbida in via Ægypti, & dulci Jordanis* refocillari renues, quæ tibi in æstu mundi afferat cæleste refrigerium? Nonne sanius consilium est fugere commercia negotiatorum *qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis,* & quærere stationem firmam, vbi non timeas fluctus maris? Quousq; inter tumentes fluctus mundi versaberis & non properas ad eum qui *congregat sicut in vtre aquas maris & ponit in thesauris abyssos,* & post tempestatem magni maris tranquillitatem adfert? Quid tibi cum Regibus Amorrhæorum qui oderunt regionem vivorum & insidiantur saluti tuæ vt cum eis pactum ineas, qui ascendere contendis ad excellam terram æternæ Jer. 2. Ps. 106. Psal. 32.

Ps. 125. promissionis? Satius est *eundo & flendo seminare in lachrymis & in exultatione metere*, vel vt verbis Petrarchæ vtar: „Præstat flendo ad gaudium quam gau„dendo ad gemitum sine fine perveni„re. *Lugendum igitur est* docet aureum os Chrysostomi *& ideo flendum, & per*
Lib. de cõpũct. cord. C. vlt. *totam vitam plangendum, vt vel sic occupata in luctu & lachrymis anima, erubescat aliquando peccare.*

CAPVT V.

De Modo procedendi in Solitudine Spirituali.

Ps. 118. *GRessus meos dirige secundum eloquium Tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia.* Isaia teste dociles per se
Isai. 59. in flagitia pedes *Pedes eorum ad malum currunt*, rectos passus nequaquam formare queunt, ni superno ductu ab obliquis retrahantur vestigiis, adeoq; inquinamento vicini sunt vt ne momento quidem *mundi à sorde* subsistere possint, non quia semper sordibus inquinantur sed, quia irregulariter vagantur,

hinc

hinc soli â DEO Homine abluuntur, & tantùm defædant totum hominem, vt Apostolus non tantum *pedes sed & manus & caput lavari* deposcat, quatenus *partem cum DEO* habere mereatur. Joan, 13.
Hinc ego *lucernam pedibus* præmittere vellem, ne caligine peccatorum obtenebratus, vel offusus solitudinis vmbra viator, aliqua fæditate pedem contaminet, vel cruentet obstaculo; & sic non fructum solitudinis colligat, sed *carbones ignis congerat super Caput* suũ. Psal. 118. Rom. 12
Vt autem sine offendiculo, gressus præ cæteris actibus componat, subiecta viarum adminicula quam exactissime observet, necesse est; sic enim non facile impinget nec errabit, imo ne quidem *ab itineribus mundi* fatigabitur.

1. igitur quisquis Divini Spiritus ductum secutus, in eiusmodi solitudinem secesserit, ante omnia diligenter attendat, ne rectam intentionem aliquo fine sinistro depravet, quod etiam in omni alia actione observare debebit; nam vt docet S. Laurentius Justinianus: *Qualis intentionis est finis talis procul dubio stipendium retributionis e-* Cap. 7. de contempt: mund.

rit: pro temporali temporalis, pro spirituali spiritualis, pro cælesti retributio cælestis impenditur. quod ipsum egregie vt solet taliter pacificat acutus Cardinalis Bona: Sicut respiratio vitæ naturali, ' sic recta intentio vitæ spirituali neces- ' saria est: ea est anima & forma actió- ' num, nam qualis intentio talis actio ' est; sicut iuxta Paulum: *Si linguis va-* ' *rijs loquar &c. charitatem autem non ha-* ' *beam nihil mihi prodest*, sic opera per ' se sanctissima sine recta intentione ' nil tibi proderunt &c. *Optime stabili-et cor* in Domino, qui cum S. Bernardo intentum eiusmodi aggredi volet, *ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam*; vel etiam ad eradicandum aliquod vitium cui se satis superq; immersum cognoscit; vel acquirendam aliquã virtutem maxime suo statui necessariam; vel ad seriam conversionem per accuratam Confessionẽ Generalem; vel si sit Præsbyter ad digne celebrandam *primãm* Missam; vel exemplo Herculis pro electione status qui non alio fine secessisse fertur in ere-

Horol. asc: C. 2. §. 7.

1. Cor. 13.

Hebr. 13.

mum

mum nisi certam vitæ normam ele-
cturus; vel deniq; ad excitandum spi-
ritum cum sentit se alioqui exercita-
tum, hoc in genere languere. Vnde
patet neminem rationabiliter ab hoc
exercitio excusari posse, quia nemo
dicere potest: Mundum est cor meum, pu- Prov. 20.
rus sum à peccato, adeoq; cum imperfe-
ctus sit perfectionabitur, & *si Sanctus* Apoc. 22.
est, sanctificabitur adhuc. Et hoc vni-
ce intendebat solicitus promotor &
cultor S. huius solitudinis *S.* Jgnatius
dicens: *Præparare & disponere animam*
ad tollendas affectiones omnes maleordina-
tas, & ijs sublatis ad quærendam & inve-
niendam voluntatem DEI, circa vitæ suæ
institutum & salutem animæ, exercitia vo-
cantur spirituália.

2*do.* Jngressus solitudinis locum,
& præmissa Divini Pneumatis invoca-
tione hoc vel simili affectu: *Emitte lu-* Psal. 42.
cem Tuam & veritatem Tuam, ipsa me
deduxerunt & adduxerunt ad montem S.
Tuum & in tabernacula Tua, omnia in
puncto iuxta præscriptum horarum
fieri curet; scriptum est enim: *Omni* Eccl. 8.
negotio tempus est. nec cum aliquo ad

evitandam Spiritus distractionem tempore exercitiorum colloquatur, ex præ‘scripto Petri Blesen: Cum animam‘tuam resolueris ad quietem, nullus
‘quæso dilectam excitet donec ipsa
Ep. 134. ‘velit nec sustineas vt quis te præpro‘pere ab amplexibus Rachelis & ab ‘vberibus S. voluptatis avellat; multominus aliorum cubicula visitet sacrosancte servando supremi Magistri monitum: *Cum oraveris, intra in cubiculum*
Matt: 6. *tuum & clauso ostio, ora Patrem tuum*, ibiq́, non libros minus concernentes materiam spiritualem; legat, nec impertinentia (ne misceantur quadrata rotundis, sacra profanis) apprehendat, sed tota mente in DEUM erectus, rite exactis Meditationũ momen-
Isai, 38. tis, *recogitet omnes annos suos in amaritudine animæ*, & si quod dubium ex Meditatione vel sacra lectione occurrerit in chartula notet, illudq́; Directori spirituali (quem extra se constituet
S. Franc. Salesi. Introd. ad vit. spir. p. 1. c. 4. suadente Bernado: *Qui se sibi Magistrũ constituit stulto se discipulum subdit*) fiducialiter ex mente S. Francisci de Sales exponet, & quidem iuxta illud Jeremiæ:

remiæ: *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini*, sine vlla reservatione vitiosæ fæcis manifestando ei sincere totam conscientiam. 1. quoad tentationes & passiones animi ad quid præsertim inclinent? 2. quoad propositũ mutandi vitam num sit efficax? 3. quoad statum habitualem, conversationes, occasiones, pericula, & id genus impedimenta ad bonum. 4. ipsa bona opera & mortificationes, vt sic Director vel temperet fervorem, vel teporem excutiat. Thren:2

3. Memor supremæ Excellentiæ DEI corporalem situm sub tempus Meditationis modestum servare conabitur, qui plerumq; genibus flexis esse solet. quodsi quis flectere non possit, stando negotium peragat, ita tamen, vt paulo post ad alternam genuflexionem redeat. Sedere autem ob reverentiam summæ Maiestatis (nisi petitâ humiliter veniâ ob magnam debilitatem, vel maiorem meditandi attentionem) non suadetur; si enim Cælorum Dominus in nuda humo prono corpore in horto pro te oravit, tu qui

pulvis es, *DEO Deorum* loqui audebis sedendo?

4. Si quis se senserit in aliquo puncto vehementius moveri, non subito transiliat ad aliud, sed non nihil in eo immoretur donec affectibus satisfecerit: nec ex eo sit sollicitus quod totum non compleverit, quia reliqua puncta reservari poterunt pro hora sequenti. Quodsi è contra contingat aliquem
Psal. 62. *in terra deserta & invia & inaquosa* per mentis ariditatem divagari, & omni gustu solatioq; intra meditandum destitui, non ideo animum despondeat, nec abrumpat Meditationis filum, quia tales defectus etiam magnis Sanctis ex conditione phantasiæ per se vagæ & volubilis, cognati fuerunt pro-
Job. 17. fitente Jobo: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.* Et Psal-
Psal. 39. mista: *Cor meum dereliquit me.* Ideoq; cum eodem animosior factus in hæc vel alia minime præmeditata verba
Jbidem. prorumpe: *Complaceat tibi Domine vt eripias me*, vel illa: *Anima mea sicut ter-*
Psal. 142. *ra sine aqua Tibi, velociter exaudi me.*
Psal. 70. vel alia: *Adiutor meus es Tu ne derelin-*

quas

quas me. vel cum Jacobo: *Non Te dimittam donec benedixeris mihi.* qui enim Gen: 32.
cum Israele DEUM videre cupit, prius luctetur cum Jacobo necesse est: interim expecta Dominum grandi fiducia, & constanter, aderit certo si eum spe præoccupaveris & tranquillũ faciet iuxta illud: *Effundam super domum* Zach. 12
David & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum, & adferet supernæ consolationis *auxilium ex alto* assecurante te nostro Thoma Kempé: *Dat sæpe DEVS in vno brevi momento,* Lib. 4.
quod longo negavit tempore, dat quandoq; Cap. 15.
in fine quod in principio orationis distulit de imit.
dare &c. Quodsi non? culpa quærenda erit tantæ caliginis, si forte non cum ea ad quam tenebaris præparatione, ad eiusmodi exercitium accesseris, (vt si te *reliquiæ cogitationum* perturbent, Psal. 75.
vel immortificati affectus mentem ad se rapiant, vel ignavia deprimat *sensum multa cogitantem*) & humili satisfactione expianda cum proposito nullam alienam cogitationem admittendi, exemplo Abrahæ, qui à sacrificio abigere volucres perseveravit, donec

extasi

extaſi correptus meruerit de maximis edoceri. Si vero nullam cauſam in te deprehenderis, hoc ipſo ſcias te erudiri, tales guſtus non parari humanâ induſtriâ ſed dono DEI obtineri; vel certe credas te probari, quo amore quâ conſtantiâ aſſumptum negotium perficias; nam vt ait ſcriptura: *Tentat vos D. DEVS veſter vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non in toto corde & tota anima veſtra?* ſic maiorem DEO guſtum dabis, quo magis tuo privaberis, deſolationis tempore viriliter dimicando.

Deut. 13

5. Director binis vicibus de die, à prandiis ſcilicet, & poſt cænam, amicum ſolitudinis viſitans ſpirituali colloquio recreabit, qui in ſuo officio morem gerens prudentis Medici illam Maximã: NE QUID NIMIS rigoroſe obſervabit, diſcrete & ſuaviter præſertim iuvenibus *ſicut modo genitis infantibus* in Chriſto *lac concupiſcentibus non eſcam*, quæ tenenda vel poſthabenda ſint, aliquo exemplo, vel prout res poſtulabit ſac: ſcripturæ expoſitione &c. inſtillans, qualiter ſe geſſerint in Oratione,

1. Petr. 1

tione? quē fructū inde hauserint, inquirens; eorundē defectus partim corā doctrinâ, partim ante DEUM seria & frequēti per diē cōmendatione, supplebit. Nec illos (vltra quatuor de die) Meditationibus gravabit, interpolatis horis, de mane assignans duas, quæ magis congruere videbuntur exercitanti, tertiam ante vesperas similiter per integram horam, & quartam ante vel post cænam per semihoram. Ne vero vel exercitia sacra fastidiant vel intensa applicatione phantasiam lædant, ponderatis personarum circumstantiis, aliquam relaxationem animi (quæ tamen illos non distrahat in spiritu, qualis est perambulatio per hortum) præsertim peracto prandio eis permittet.

Jlle etiam qui se sacris mancipat occupationibus, vellem alteram (vt patientes ægroti solent) regulam sequatur: *Ne Quid Minus*. ne scilicet *vnum iota aut vnus apex prætereat à lege* sibi imposita, à spirituali Medico, circa dispositionem horarum, vel modum sacrorum exercitiorum, sed vt monet Scriptura: *Omnia honeste & secundum ordinem* Matt: 5. 1.Cor. 14.

ordinem fiant; salutare enim est etiam
Psal: 53. in minimis *voluntarie sacrificare* oble-
quendi promptitudinem: è contra in-
generari *malum ex quovis defectu*, quoti-
diana probat in omnibus experientia.
Quodsi Sacerdos sit quamvis perfe-
ctissimus sibi videatur, ex humilitate,
& pro maiori fame seu desiderio ve-
nerabilis sacramenti, seipsum ad mi-
nus duos dies à sacrificio suspendat,
& ipse pariter ex amore JESU Christi
etiam in minimis Directori obediat;
Luc: 16. *qui enim fidelis est in minimo & in ma-
iori fidelis erit*, alioqui viam in qua am-
bulat non inveniet. Et hæc omnia bre-
vi compendio requirunt *Feriæ Domini*
Levit. 23. *quas vocabitis celeberrimas atque sanctissi-
mas*, cum sint quædam vacationes à
terrenis negotiis, per operationes san-
ctas ordinatæ ad DEUM, *offeretisque in
eis oblationes Domino* id est orationes &
pios affectus, *holocausta* id est mortifica-
tiones, *& libamina* id est bona propo-
sita, *iuxta ritum vnius cuiusque diei* cum
omnibus particularitatibus præscriptis
à Directore.

CAPVT VI.

De Impedimentis in via Solitudinis Spiritualis.

PErfice greßus meos in semitis Tuis, vt non moveantur vestigia mea, Ne cui officiam in via, ad quam allicio, obstaculis passus non implico, ideoq; quæ meo sensu possent obrepere impedimẽta non determino. Nihilominus ne vel casu aliquos *in solitudinibus errantes* impingere contingat, vel capere fastidium, ad cautelam brevissima monita ex P. Joanne Busæo allego, sine quibus incauti (vt verbis Petri Blesensis vtar) absq; dubio in deserto invenient labores Ægyptiacæ servitutis. Psal. 16. Hæbr. 18 Ep. 112.

1. Igitur qui sacra exercitia nescio quo ducti perverso consilio suscipiunt, nec hanc irregulatam intentionem in progressu purificant, nullatenus fructũ eorum consequuntur.

2. Qui apparenti magis quam vera difficultate absterriti animum despondent, de abscessu continuo cogitant, ac ut animum foras quoquo modo divertunt.

3. Qui

3. Qui ordinem quotidiani exercitii non attendentes, observantiam eius parum aut nihil æstimant, omniaq; perfunctorie (nisi forte curiosum quid aut sensum oblectans nacti fuerint) exequuntur.

4. Qui plus ingenio suo aut industriæ, quam gratiæ Divinæ innituntur, proprioq; iudicio plus æquo tribuentes, Directorum monitis & consiliis, qui ad id muneris à DEO vocati sunt, non acquiescunt.

5. Qui occultato & quasi clauso ostio conscientiæ suæ degunt, nec aperiunt cor suum Directori, cum ingenio, candore & simplicitate Christiana.

6. Qui feliciter quidem exercitia auspicantur, sed post dies aliquot corpore mentis tabescunt, remissoq; fervore segniter operantur, satis arbitrantes se Confessionem Generalem perfecisse, parum soliciti quibus mediis se posthac reddant immunes à recidivo, nec vitæ agendæ formulam sibi præscribere volunt, vel si id faciant quasi ex necessitate & ficta charitate idipsum perficiunt.

7. Qui

7. Qui paractis exercitiis acceptæ DEI gratiæ immemores, & pænitus ingrati, nunquam proposita scripta legunt, nec vllatenus implere satagunt.

CAPVT VII.

Quâ incedendum sit in Solitudine Spirituali?

NOtas fecit vias suas Moysi, qui se tibi in comitem itineris offert, vt te *ad terram promissionis* deducat; & ne solitudinem fastidias, vel ne viarum tractum nimium detrectes, solos tres dies laboris à te deposcit, antequam fatigoso anhelitu *in hostiam laudis* incalescas; dicit enim *viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sanctificabimus D. DEO nostro*, hinc ego Moysis discretionem secutus, nolo te nimium fatigari viator, *ne deficias in via* antequam terminum *ad quem* attingas. Tres tantummodo vias calcabis vt ad perfectionis sublimitatem ascendas, quia *omne trinum perfectum est.* Psal. 102. Exod. 8. Matt. 15.

Primam quæ *PVRGATIVA* dicitur,

intra

intra triduum expedies vt ita *Trinum* in triduo sanctifices, quem *in multis*
Actor. 1. *offendisti*, & ne quidem *iter Sabbathi* expiando piaculo digne vnquam perfecisti, docente nostro Kempen: *Pro modica Prabenda longa via curritur, pro aterna vita vix pes à terra levatur.* Dura equidem & aspera satis hæc via videbitur quia tot peccatorum consita monstris, & septa diris pænarum spi-
Æneid. 6. nis, dicente Virgilio: *Quisq; suos patitur manes.* Vnde affliget te *lapis offen-*
1. Petr. 2. *sionis & petra scandali* quod alteri dedisti, contristabit infernus quem demeritis promeruisti, tonabit Judicii suprema dies, quod super te advocasti, & intimabit necem *mortis aterna damnatio*, cui nondum defunctus es. Verum vt monet *norma & regula doctrina Catholica*
Hæbr. 4. Augustinus: *Non attendas qua iturus es sed quo perventurus*, tolerabis sed pervenies, omne etiam invium pervium tibi erit tantummodo *confortare & esto*
Dani 10. *robustus vt evellas & destruas, & adifices*
Jer. 1. *& plantes*: evellas vitiosas passiones & plantes virtutes, destruas *opera tenebra-*
Rom. 13. *rum* & ædifices *tabernaculum DEI in ho-*
minibus

minibus maxime in teipso, & quidquid Apoc. 21.
sordidum deprehenderis *scopâ pœniten-tiæ* seu Generalis Confessionis expurges, *& fonte lachrymarum* expolias Hinc Jer: 9.
dictæ viæ *Purgativæ* optime quadrabũt Meditationes de *Peccatis* & *Novissimis*, qui enim resipiscere â peccatis desiderant, vel iam quidem peccatorum calle relicto, profectui virtutum & ampliori lumini acquirendo incumbunt, adhuc tamen prioris vitæ subiacent passionibus, optime ad perfectiorem statum disponi & iuvari dictis Meditationibus poterunt.

Quo peracto iam alteram *VIAM ILLVMINATIVAM* scilicet apprehendes, in qua aliud triduum, recolendis actionibus, virtutibus & mysteriis *Passionis Christi tui* consecrabis; hæc illuminabit te *quantum debes Domino tuo*, & quam Luc: 16.
frigide ne dicam nulliter obligationi Christianæ correspondeas. Jam deinceps *abiectis operibus tenebrarum*, *sicut* Rom: 13.
in die honeste ambulabis, si hunc *tam in* Th. à Kemp:
agendo, *quàm in patiendo naturæ contraria* imitaberis: nam vt notat S. Ansel- lib. 3. c. 49. de
mus Archiepiscopus Cantuarien: non imitat. Christ:

ſecus ac in Peripateticorum Collegio: *Agere & pati ſunt prima Prædicamenta in gymnaſio JESU Chriſti* cuius erat proprium, *mira facere & mala pati, gemma Doctorum atteſtante* Auguſtino.

S. Aug. in Pſ. 49. S. Antō. vict. vtic.

Vltima *VIA VNITIVA* dicta intra biduum Elyſios campos tibi aperiet, vbi *quam dilecta tabernacula Domini virtutum* contemplaberis & *in lumine ſuo videbis lumen*, dum ſolum *DEVM de DEO lumen de lumine* cum ſuis attributis pro obiecto habens, ad eius *immarceſcibilē gloriam* totus anhelabis, dicente Caſſiano: *Alta Divinitatis iuga petunt agiles & expediti ab omni terreno affectu* iuxta illud Pſalmiſtæ: *Montes excelſi cervis, petra refugium herinaceis* quaſi diceret: imperfectis pro obiecto Chriſtus; *Petra enim erat Chriſtus* cuius virtute acuerentur ad bonū, perfectis autem perfectiones Divinæ & Deitatis arcana quibus oblectarentur: quanquam per accidens evenire poſſit, vt ſint *noviſſimi primi & primi noviſſimi* hoc eſt & imperfecti per extraordinarium DEI auxilium ſupra ſe eleventur, & perfecti per humilitatis victimam

Pſal. 83. coll. 10 Cap. 10. Pſ. 107. 1. Cor. 10. Matt. 19.

mam ad ima deprimantur, de quo egregie & ſuccincte P. Ludovicus de Ponte *in comp: Medit. à princ. 5ta part.* volentem informabit.

CAPVT VIII.

De reſpirio in via Solitudinis Spiritualis.

V*Enite ſeorſum in deſertum locum & requieſcite puſillum.* Ne ſuſpiceris continuum laborem hic eſſe palam ad quietem vocaris, nil faciendo tamen non otiaberis, ſed per ſanctum otium perfrueris DEO, *& paſceris in divitijs eius*, tribus animæ potentiis vtens ad commodum vel obſequium. *Memoria* tanquam miniſtra Evangelicæ cænæ è diverſis ſcripturarum ferculis menſam tibi præparabit: *Jntellectus* ſelectos animæ, cibos velut dextera ori voluntatis admota ingeret: *Voluntas* more ſtomachi, calore vitali charitatis & devotionis concoquet, & in ſpirituale alimentum appetentis animæ convertet; hinc ſalubres effectus & vitæ cor-

Marc. 6.

Pſ. 36.

ruptæ per sancta desideria restauratio.

Sic recreatus sacro edulio aliquantulũ de vna cognitione in aliã & de bono in melius procedes, sciens te in solitudine vitæ præsentis, *non habere manentẽ Civitatem donec ad eam quam inquiris* Hebr.13. *pervenias.* Nec hic premenda erunt nimium vestigia inculcante Propheta: *Current & non laborabunt, ambulabunt* Isai, 40. *& non deficient*; nam etiam stante pede totum hic iter expeditur, vbi mentium non montium vel nemorum solitudo expetitur. Imo nec mentis cursus hic tantum laudatur, quantum matura & lenta omnium quæ leges, dices, vel audies, consideratio; idcirco ne discursu fatigeris sæpius anhelum pectus respirio recreabis, vel vt clarius dicam: Ne speculationis potius quam Meditationis partes obire videaris plus voluntatis affectibus, & intimo cum DEO colloquio, quam ratiocinio indulges, *non enim ratio nec sapientia nec sci-* Eccl.9. *entia* valent *apud inferos*: è contra vbi adest fervor, summa orationis brevis, variis producta affectibus *apponet, vt complacitior sit adhuc*:

Psal.76.

Cum

Cum igitur ſolitudo Spiritualis vt per ſe patet in mentis exercitio vulgo Oratione mentali conſiſtat, hanc vt felicius inſtituas, nec à recto tramite devies, breviſſima Methodo D. Franciſcus de Sales Epiſcopus Januen: edocebit, & ſeipſum itineris comitem præbens *per vias planas* vſq; ad Januam Paradiſi ſubiecto ordine deducet.

Oratio Mentalis 3bus conſtat Partibus.	1. Præparatione quæ tres actus cõtinet.	1. Siſtere ſe coram DEO. 2. Poſtulare gratiam bene orandi. 3. Rem ad Meditandum aſſumptam ob oculos ſibi ponere.
	2. Meditatione ſeu Corpore Orationis quæ ſimiliter tres actus habet.	1. Diſcurſu ac conſiderationibus vti in re propoſita. 2. Pios affectus elicere. 3. Propoſita ſtatuere vel bona agendi, vel mala vitandi.
	3. Concluſione quæ etiã 3bus conſtat actibus.	1. Pro Orationis progreſſu gratias DEO referre. 2. Quæ bona feciſti eidem offerre. 3. Gratiam poſtulare exequendi propoſita.

Hoc ſchemma vt debitæ capias Oedipo opus erit, qui recondita Principiantibus myſteria ſub brevitatis ænigmate articulatim per ſequentes §§§. explanabit.

§ I.

De Præparatione ad Orationem Mentalem.

Eccl, 18. *ANte orationem præpara animam tuã & noli, eße quasi homo qui tentat DEVM.* Vt apprehendas fortius cui locuturus es, duplicem præparationem, facere iuberis; non enim ad Numen terrenum accedis quod tantum adoras.
2 Mach 14 *Dominus universorum est* qui tanto maiorem requirit reverentiam, quanto magis *Regum terræ* excedit Maiestatem. Doceat te vtcunq; finita potestas sæculi, quo cultu *Regi sæculorum* appropies, quamq; suppliciter tuas apud eum necessitates promoveas. Et inprimis
Psal. 94. mis *præoccupare faciem eius in confessione* non intermittas vel ad minus luridam conscientiæ tuæ vestem, cordis contri-
Joan. 9. tione expurges; *DEVS* enim *peccato-*
Psal. 130. *res non audit. Nec ambules in magnis & mirabilibus super te,* priusquam fidei facem accendas, sine qua aut incessum fallis, aut fatiscis in DEI servitio; non enim recte percipitur quod frigide cre-
Isai. 7. ditur iuxta illud Proph: *Nisi credideritis*

non intelligetis sed potius *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*, quasi pium aliquem affectum ex te elicere possis, cum enim nihil sis, nihil potes, adeoq; tempore tentationis eiusmodi *clama necesses* cum *Doctore Doctorum maximo* Augustino: *Domine diffidam mihi fidam in Te. Sta.* ergo *in timore* & *operare cum tremore tuam salutem*, alias *cito subvertetur domus tua.* Jnsuper rem de qua tractaturus es in Meditatione, ponderata prælectione percurres; scriptum enim est: *Sic currite vt comprehendatis.* ideoq; diligenter observabis quo tendit materia meditandi, vt exinde bonum aliquod propositum seu Resolutionem elicias: Notabis Motiva quibus te ad ferventer orandum vel DEUM ad præstandum quod petis, convincas: Mandabis memoriæ rationes & media quibus posthac eradicare mala, & radicare virtutes, cæteraq; proposita custodire valeas. his peractis vtcunq; te *remote* ad colloquium cum DEO aptabis.

Prov. 3. Concil. Flor. S. Aug. lib. 2. Soliloq. Cap. 1. Eccl. 27. 1. Cor. 9

Proxima præparatio ex subiecto schem-

schemmate maiorem poscit applicationem, quia etiam creata excellentia maiorem sibi vendicat, ceremoniæ solennitatem. Primo igitur Crucis panopliâ cum aqua benedicta contra tentationes (quas mox senties juxta illud: *Fili accedens ad servitutem DEI,*
Eccl. 2. *sta in iustitia & timore & præpara animam tuam ad tentationem*) armaberis; mox vno passu à loco meditandi subsistens, te in DEI præsentia illis verbis:
3. Reg. 17 *Vivit Dominus in cuius conspectu sto,* erectus statues, quem velut in quodam Maiestuoso Throno, innumerâ Sanctorum stipatum catervâ, viva fide suspicies, nec ab eius conspectu vsq; ad finem orationis, vel instantance recedes,
Psal. 141 maxime in colloquiis quando *effundis orationem tuam in conspectu eius & tribulationem* tuam *ante ipsum pronuntias.* Erras quisquis te subducis præsentiæ
Ioan. 6. eius qui *Via* est; ignoras teipsum si ab eo elongaris qui *Veritas* est; periisti si à *facie DEI* qui *vita* est defecisti: Vnde bene Bernardus: *Non tam sæpe respirare quam DEI præsentiæ meminisse debemus.* Cuiusmodi theoriam etiam inter

inter Regales curas practicans David aiebat: *Et Meditatio mea in conspectu Tuo semper*, vt tu suo disceres facto non bene agi cum his qui *non proposuerunt DEVM ante conspectum suum* iuxta illud: *Non est DEVS in conspectu eius, ideo inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Proinde si credis prout debes quod per Jeremiam *dicit Dominus: Numquid non Cælum & terram ego impleo?* provolutus in terram tum gestu corporis, tum animi sensu, præsentem intra & extra te *DEVM adora*, prorumpens in admirationis motum: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis?* ne quidem comparere dignus coram summa Maiestate. Psal. 18 Psal. 53. Psal 99. Jer: 23 Apoc. 22 Gen: 18.

2. Cum certum sit nos sine DEO *nihil posse facere* instanter implorabis Divinum Numen (his vel similibus verbis & affectibus: *Mitte de Cælis & de sede magnitudinis Tuæ spiritum sapientiæ vt mecum sit & mecum laboret)* vt *scias quid acceptum sit coram eo omni tempore*, & det tibi bene orandi gratiam confortando memoriam, quæ tenere possit perlecta in ordine ad medican- Sapi 9

dum

dum assumpta, illuminando intellectũ qui penetret veritates æternas, inflammando voluntatem ad affectus ardentes, & resolutiones efficaces pro vitæ emendatione & spirituali profectu: ad quod multum proderit invocatio Divinissimæ Matris DEI, S. Michaelis Archangeli, S. Joannis Baptistæ, aliorũq; pro tuo affectu Tutelarium, præsertim sac: *S*olitudinis specialium Cultorum.

3. Cum præter dictas tres Spirituales Potentias etiam Jmaginativa ad maiorem mentis attentionem conducat, movendo scilicet animam sensibus immersam, ad prosecutionem vel fugam alicuius obiecti, per adminicula externa & circumstantias sensibiles; eius muneris erit ante punctorum considerationem ponere ob oculos locum, tempus, personas, earumq; actiones in materia ad meditandum assumpta expressas. sic v.g. in mysterio Nativitatis Christi præter specum horridam, desertam, & ventis perviam, nil decorum, nil amabile, præter muta animalia finges; talis enim repræsentatio non solum ad cavendas animi di-

stra-

ſtractionēs, ſed etiam ad concitandos affectus doloris, compaſſionis, metus & ſimilium ſubſerviet: in hac tamen Jmaginativa non diu hærebis ſed excitatus dictis affectibus ad punctorum conſiderationem procedes. Aliter tamen te geres ſi res de qua meditandum eſt ſub ſenſum non cadat, vti ſunt: virtutes, vitia, attributa & perfectiones Divinæ, quas per affectus media, indicia, differentias, cauſas, adiuncta &c. (prout per Praxes amplificabitur) in Corpore Orationis expendes.

§. II.

De Meditatione ſeu Corpore Orationis.

Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. Erubeſcat humana conditio, quæ etiam ab inſenſata volatilium natura inſtimulatur ad virtutem, nec eam amplectitur. Equidem hæc perfectior eſt Magiſtra, in ipſis quoq; *pullis corvorum invocantibus eum*, quē conſūmati Sapientes mundi vix in ænigmate attingunt intelligentiâ, nec quà Iſai. 38. Pſal: 146

quà par eſt, venerantur. In eruditu[...] nil magis ſimplici columba; hæc ni[...] hilominus indicat nobiliſſimum Me[...] ditandi genus, dum anxia in propri[...] ſtrato gemit, collum inflectit, torante[...] huc illuc oculos voluit, & plerumq; [...] attollit in altum, quaſi iam *ad Domi[...] num Cæli* orare vellet ſi poſſet, cum [...]

Pſal. 118 Pſalmiſta: *Revela oculos meos & conſide[...] rabo mirabilia de lege tua.* Quid minus [...] *hirundinis pullo?* qui tamen affectuoſiſ[...] ſimum orandi modum perſtringente[...] pipatu demonſtrat, quem Meditatio in [...] partem conſtitutivam poſcit, iuxta il[...]

Pſal. 38. lud: *Et in Meditatione mea exardeſcet i[...] gnis.* Vtrumq; volatile conſtantiam [...] propoſiti docet, cum nec illa prius ge[...] mere ceſſat, quouſq; familiaritate re[...] creetur conſortis, nec iſte pipulare pri[...] us, donec deſiderato bolo conſoletur[...] hinc vel à brutis animantibus præciſo ſchemmate orandi, moneris, qualiter Meditationis Corpus inſtituas, ſcilicet: *Conſiderationibus Affectibus* & *Propoſitis*

Pſal. 118 ſeu *Reſolutionibus* iuxta illud: *Juravi & ſtatui cuſtodire Judicia Juſtitiæ Tuæ.*

Quantū ad primum *Conſiderationi- bus*

rem meditandam alias iam probe conceptam expendes, ponderando per omnes circumstantias, singula verba facti alicuius, vel sententiæ, potissimũ ex sac: scriptura (cuius ne quidem virgulæ carent suo mysterio) vel SS. Patribus depromptæ. sic in mysterio Incarnationis v g. *primo.* rem ipsã pro- ut fides docet menti distincte obiicies, deinde causam motivam tanti operis considerabis, quæ fuit: Bonitas & Misericordia DEI, tum finem reparationem Generis humani; postmodum fructus, scilicet: Justificationem, resurrectionem & glorificationem nostrã; item damna alioqui obventura; deinde alias circumstantias loci, temporis & modi, & in singulis aliquantulum immoraberis, quoad fructus eliciatur, & voluntas ad eliciendos pios affectus & stabilienda recte vivendi proposita, moveatur *iuxta dicta initio huius Capitis*; per hos enim actus impetramus quæ meditando intelleximus nobis expedire. Similiter si expendas JESU Christi tragædiam in monte Calvario, considerabis. *primo* Quis patitur?

Luc. 1. tur? *Altissimi Filius Sapientia Patris*
Coloss. 1. *Primogenitus omnis creatura. Princeps Regum terræ. Primus & Novissimus.*
Apoc. 1. Quid patitur? Spinas sputa verbera, Crucem, *contumelias & terrores &c.* Pro quibus? *Pro nostra omnium salute.* Cur patitur? *Ne patiatur homo.* A quibus? *Ab amica stirpe suorum.* Quando? *In iuventutis flore.* Vbi patitur? *Medio telluris in Orbe.* Quomodo? *Proferat ipse modum.* Si vero illius sac
Apoc. 22
Joan. 13. sententiæ partes: *Tu mihi lavas pedes?* vel alterius Mysterii expendere volueris? considerabis *primo.* particulã: *Tu* cum sis Cælorum Dominus, Monarcha Vniversi &c. *Mihi:* Pulveri Vilissimo, peccatori fætidissimo, qui sum
Apoc. 3. *massa vermium, peccatorum primus, miser & miserabilis, & pauper; & cæcus, & nudus. Lavas.* quod est officiorum abiectissimum, vilissimis mancipiis proprium. *Pedes* adeo sordidos, immundos, lutulentos &c. Multam quoq; copiam discurrendi in Oratione mentali suppeditabunt Authoritates, Exempla similitudines, antitheses & cætera huiusmodi, quibus non tantum mora-
beris

beris, quin mox ad affectus transilias, vbi primum te motum ad eos ratiocinio cognosces; non enim alio fine mentis discursus præmittitur, nisi vt intellectus materiam subiectam percipiens, & eliciens documenta virtutum, voluntati amplectenda proponat; in hoc enim tota ratio & fructus Orationis Mentalis ab omnibus vitæ spiritualis Magistris collocatur, adstipulante Card: Bona: 'Jn hoc exercitio affectui magis insistendum est quam speculationi; copiosior enim fructus ex ignitis cum DEO colloquiis quam ex consideratione defertur.

Horol. Asc: C. 2. §. 6. n. 7.

Quantum ad 2. *Affectibus* totus in DEUM incalesces, afficierisq; ei, vel actu amoris super omnia vel gratiarum actionis pro collatis beneficiis, vel admirationis supremæ Maiestatis. aut inexhaustæ bonitatis vel conformitatis cum Divina voluntate, vel spei & fiduciæ miserationis infinitæ, vel compassionis affectu in Crucifixum, vel actu contritionis de peccatis, vel odii & detestationis peccati aut consortii pravi, vel tædii in vitiosis habitibus, & fu-

Series affectuum in Deum.

gæ ab occasionibus malis, vel contemptus terrenorum, vel desiderii & petitionis alicuius spiritualis gratiæ, virtutum & beatitudinis æternæ, vel æmulationis in bono & sanctæ cuiusdã invidiæ, vel complacentiæ seu gaudii de adepto spirituali bono, aut reddito cultu supremæ Excellentiæ, vel displicentiæ de despecta Maiestate, aut de ruina præsertim spirituali proximi, vel exprobrationis pigritanti animæ suæ in via salutis, & tui ipsius confusionis &c. qui omnes reducuntur ad septem iuxta alios ad octo genera affectuum. Et huiusmodi affectus licet alias per se satis numerosi videantur, multiplicari possunt diversissimis modis v. g. Interiectionibus, eas identidem intermiscendo: *Hei mihi Domine. Væ mihi peccatori.* Vtinam non peccem. Vel in Orationes ejaculatorias prorũpendo cum D. Legislatore Nostro Augustino: *Domine noverim Te, noverim me.* Vel cum Francisco: *Domine quis es Tu, & quis sum ego?* Vel cum aliis, quas abunde suppeditabit Card Bona *in Via Compendij* Vel ex illo compendiatus

Modus formandi affect⁹
Iudic. 6.
S. Aug. lib. 2. soliloqu. c. 1.

Via.

Viator Christianus. Augebis præterea illos Jnterrogationibus mutuo ipsis respondendo, vel aliquibus externis pietatis signis v. g. pectoris tunsione, manuum elevatione, Crucis vel terræ osculo, quandoq; saltem ad breve tempus prono corpore, Christi in horto orantis imitatione, maxime autem colloquiis sive cum teipso, sive cum aliis creaturis animatis, vel inanimatis, sive cum aliquo ex Sanctis, præsertim cum ipso DEO alloquendo eum cum Samuele: *Loquere Domine quia audit servus Tuus.* vel cum Psalmista: *Audiam quid loquatur ad me Dominus meus*; quem compellabis tanquam filius, *Patrem qui est in cælis*, supernos favores efflagitando, vel tanquam infirmus, Medico mentis mala exponendo, vel tanquam mendicus à potente petenti erogare stipendium, cum sit *dives in omnes qui invocant eum*; vel tanquam discipulus à Magistro digne orandi modum implorando: *Domine doce nos orare*; vel aliis modis, quos pro sua quemq; devotione plenius *Unctio Spiritus Sancti docebit* assecurante Bernardo: *De-*

1.Reg:3: Psal. 84. Rom: 10 Luc: 11. 1.Joan:2

Serm:45 in Cant. *votionem esse linguam animæ, & qui illam tenent, optime loqui & conversari possunt cum verbo æterno.*

Vltimo tandem *Resolutiones* sine quibus aut nullam, aut minus profuturam scito Meditationem formabis; & sunt quædam Conclusiones ex præmissis affectibus, & firma proposita exercitandi talem virtutem, adhibendi, talia Media in his circumstantiis, tali tēpore vitandi occasionem peccandi, vel conversandi, tali loco amovendi tale impedimentum ad spiritualem profectum, mortificandi passiones iræ, redargutionis, loquelæ &c, in tali confessu; subveniendi misero tali modo, compatiendi tali personæ, visitandi talem ægrotum, incarceratos, hospitale &c. quod totum breviter notari suadet, *sana orandi norma* Augustinus, cum rationibus motivis, & luminibus, quibus inductus es ad formanda proposita, dicit enim: *Ego in lege DEI meditor si non die ac nocte, saltem quibus particulis possum, & Meditationes meas ne oblivione pereant, stylo alligo.* S. Aug. in Ps. 31.

EXEM-

EXEMPLA
RESOLVTIONVM
In Via Purgativa.

IN quacunq; Materia Resolutiones formare volueris, in favorem volubilis memoriæ brevitati attendes, adaptans sive propriam sive alicuius Doctoris præsertim sac: scripturæ sententiam, qualis est illa *de Inferno* adiuncto ei motivo: *In æternum non obliviscar* Ps. 118. *iustificationes Tuas. Quoniam eruisti a-* Psal. 85. *nimam meam ex inferno inferiori.*

Et illa de *Peccato mortali* pudentissimæ Susannæ: *Melius est mihi incidere* Dan: 13. *in manus inimici* (per mortem temporalem) *quam peccare in conspectu Domini:* vel cum Principe Poloniæ S. Casimiro: *Malo mori quam fædari.*

Et in *occasione peccandi* cum Vria: *Per salutem animæ meæ non faciam rem* 2 Reg. 11 *hanc.* memor illius obligationis: *San-* Levit: 19 *cti estote quia ego Sanctus sum.*

De *Venialibus* præsertim statui Religioso repugnantibus: *Juravi & statui* Psal. 118 *custodire iudicia iustitiæ Tuæ; Ne vnquã*

Eze. 39. *polluam Nomen Sanctum Tuum*, vel minimo deliberato peccato.

1. Cor. 1. De *Superbia*: Si licet gloriari *in Domino gloriabor* non in vanitatibus mundi,
Joan: 8. exemplo eius qui dixit: *Ego gloriam meam non quæro*.

Psal: 55. & 107. De *Mortificatione*: *Paratum cor meum DEUS paratum cor meum agere & pati naturæ contraria*. vel: *Abnego me ne ab-*
Luc: 14. *neger à Te*. (qui dixisti: *Qui non baiulat Crucem suam, non est me dignus, nec est me-*
Psal. 118. *us discipulus*) *& exercebor in iustificationibus Tuis semper*, cum continua carnis & spiritus maceratione.

Job: 27. De *Linguæ custodia*: *Donec superest halitus in me, & spiritus DEI in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*.

Et illa *Patientis*: *Ecce ego in flagella*
Psal: 37. *paratus sum, & dolor meus in conspectu meo*
Psal. 57. *semper*. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. e-
Joan: 15. xemplo eius qui dixit: *Non est maior servus Domino suo, si me persecuti sunt & vos persequentur*.

Mich: 7. Et illa *Pænitentis*: *Iram Domini portabo, quia peccavi ei*.

Et illa

Et illa de *Filio prodigo: Misericordias Domini in æternum cantabo. Quia in ipsis vivificavit me.* vel illa: *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata Tua,* filiali amore & reverentia. Ps. 88. Ps. 118.

RESOLVTIONES VIÆ JLLVMINATIVÆ: Jdeo dictæ quia purgatos à peccatis per terrorem Novissimorum & voluntariam castigationē excessuum, illuminant, qualiter debeamus *in via virtutum* incedere. Possunt esse de *Beneficijs*, sic v.g. *Tota vita mea ratio, erit Tibi gratiarum actio.* Ob excessivam in me Tui charitatem. Ps. 101.

De Humilitate: *Humiliabo in ieiunio &c. animam meam,* exemplo eius, qui *humiliavit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem.* Ps. 34. Philip: 2.

De Charitate proximi: *Æmulabor cum malignantibus* sed *charitate non ficta.* amore eius qui *pro Crucifixoribus oravit.* Ps. 36. 2. Cor. 6.

De Spiritu Ecclesiastico: *Ecce ego quia vocasti me, in partem ministerij huius.* vt te decet & me concernit *respondebo Tibi* 1. Reg: 3. Iob: 14

De Æternitate: *Cogitando dies antiquos in amaritudine animæ meæ, annos æternos in mente habebo.* Psal. 76.

Iob: 27. De Perseverantia: *Justificationem meam quam capi tenere non deseram.* vel: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Quoniam *perseverantibus in finem corona datur.*

Iob: 14. De imitatione Christi: *vocabis me & ego respondebo Tibi*, & præeuntem sequar *quocunque ieris.* vel: Omnis Christi actio mea erit instructio portando *in*
2. Cor: 3. *tabulis cordis descriptam vitam JESV Christi.*

RESOLVTIONES VIÆ VNITIVÆ (quæ nos agglutinant & quasi identificant DEO) præter *dicta Cap: 7.* possunt esse de fine vltimo. de Beneficiis DEI. de Amore Divino sic v.g.
Psal. 17. *Diligam Te Domine fortitudo mea* &c.
1. Io: 4. Quia *Tu prior dilexisti me.*

Ps: 114. De SS. Sacramento: *In timore & tremore Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ob infinitam Excellentiam Tuam.

Tales & similes Resolutiones à spiritualibus Magistris non improbantur, vtpote succinctæ, & ideo fugaci memoriæ accommodæ, melius tamen instituerentur si aliquæ ex generalibus, per adiectionem alicuius particularis circum;

cumstantiæ loci, temporis, adiuncto-rum, restringerentur, vt paulo ante di-ctum; prout illa de Jmitatione SS. Ma-tris DEI: *Quo duces ibo & quæ manda-veris* explebo, præsertim diebus Tibi sa-cris. *Quia servus Tuus sum ego*, o Do-mina. Ps: 118.

Et illa *de zelo Animarum*: Sciens *man-datum esse vnicuiq; de proximo suo*, fer-ventius cooperabor *in Vinea Domini mei*. v.g. agonizantibus assistendo vsq; ad vltimum halitum, vel talem pecca-torem monendo, obsecrando, obte-stando, donec perversum relinquat habitum. Eccl: 17. Isai: 5.

Et illa *de Judicio*: Quolibet vesperi *discernendo causam meam iudicabo*, me-metipsum per examen conscientiæ. Ne iudicer à Domino. Psal. 42.

Et illa Contriti: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stra-tum meum rigabo*, prorumpens scilicet in suspiria, ob enormitatem meam quo-ties evigilavero. Psal. 6.

Et illa de Officio Divino: *Jn conspe-ctu Angelorum psallam Tibi DEVS me-us, adorabo ad templum S. Tuum & con-* Psal. 137.

 fitebor

fitebor Nomini Tuo Domine. & quidem,
1. C. 14. *Orabo Spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.*

ANNOTATIO
De Actibus Anagogicis.

Prov: 3. *IN omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Disposita Resolutione *descendes in hortos aromatum,* Rosetum aliquod spiritualē ex Oratiunculis eiaculatoriis tibi confecturus, quod sæpius per horas subodorabis, more Eremicolarum Ægypti,
Ep: 121. qui probatæ fidei testimonio D. Augustini ad probam Virginem *inter opera manuum suarum* hoc orandi genus cum ingenti profectu assidue frequentabant; Tum ad fovendam cum sui s' motivis & luminibus præconceptam sanctitatem, iuxta illud: *Reliquiæ cogi-*
Psal: 75. *tationis diem festum agent Tibi*; Tum ad vacandum DEO per continuata die ac nocte in actuali devotione suspiria, ex
Luc: 18. illo Evangelico consilio: *Oportet semper orare & non deficere.* Et *sine inter-*
1. Th: 5. *missione orate*, maxime ad reimprimendum instabili memoriæ resolutæ mentis

tis ad virtutem propositum. Inter cæteras *dabit odorem suum* in quacunq; via vagaberis illud Psalmistæ de Divina Præsentia. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero Tui, si oblitus fuero Tui.* Cant: 1. Ps: 136.

Cum autem sac: scriptura sit feracissima huiusmodi aspirationũ, hæc præferenda erit (si commode præmeditatæ Materiæ accommodari poterit) etiam SS. Patrum fervidis suspiriis & preculis; quia vt asserit Card: Bona, nihil DEO gratius esse potest, quam si verbis â Spiritu *S.* dictatis eum alloquamur. Hinc in *Via Purgativa* optimè fumigabunt ista *odorem suavitatis.* v. g. Cap: 8. in via Comp.

De Peccatis: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.* vel illud: *Peccavi & vere deliqui & vt eram dignus non recepi.* vel: *Ne reminiscaris delicta mea, & ne vindictam sumas de peccatis meis.* Ps: 139. Iob: 35. Tob: 3.

De Morte: *Moriatur anima mea morte justorum.* Num: 23.

De Judicio: *Non intres in Judicium cum servo Tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu Tuo omnis vivens.* Ps: 142.

De Jn-

Thren:3. De Inferno: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti:* vel: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulominus habitaßet in Inferno anima mea.* vel: *Benedictus*
Psal: 93.
Ps: 123. *Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

S. Aug. De Patientia: *Hic vre, hic seca, hic nihil mihi parcas, dummodo in æternum parcas.*

2. Cor: 2. Et illud in tribulatione: *Momẽtaneũ & leve tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* vel: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.*
Ps: 24.

Ps. 16. Et illud in tentationibus: *Custodi me Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarum Tuarum protege me.*

Iob: 13. In ariditate Spiritus: *Cur faciem Tuam abscondis & arbitraris me inimicum Tuum?*

Jer: 9. Et illud Pænitentis contriti: *Quis dabit Capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam diebus ac noctibus negligentias meas?* vel: *Deficiat in dolore vita mea & anni mei in gemitibus.*
Ps. 30.

Actus

Actus Anagogici viæ Illuminativæ.

POssũt esse de Passione Dñi v.g. *ex cõpassionis Prototypo* Augustino: *Ego sum causa Tui doloris, ego culpa Tuæ occisionis.* vel ex Bernardo: *Nolo Domine vivere sine vulnere, dum Te video vulneratum.*

De silentio servando: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Ps: 140.

De Castitate: *Fiat cor* & Corpus *meum immaculatum vt non confundar.* Ps: 118.

De Observantia mandatorum: *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad faciendas iustificationes Tuas.* vel: *Jube quod vis & da quod iubes.* Ibidem. S. Aug: lib. 10. Con: c. 29.

Et de Perseverantia: *Confirma hoc DEVS quod operatus es in nobis.* ne prævertam iustitiam Tuam. vel: *Perfice gressus meos in semitis Tuis, vt non moveantur vestigia mea.* Psal. 67 Psal: 16

Roseta viæ Vnitivæ.

POssunt esse de Paradiso: *Quam dilecta tabernacula Tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* vel: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo, & requiescam:* Psal: 83. Psal: 54.

vel:

Philipp. 1. vel: *Cupio dissolvi & esse Tecum.*

Psal. 72. De Amore DEI: *Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO spem meam.*

S. Ignat. De contemptu mundi: *Sordet terra dum Cœlum aspicio*: Ob prægustatam cœlestis Patriæ dulcedinem.

§. III.

De Conclusione Meditationis.

Philip. 4. *IN omni Oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud DEUM.* Si vis concludere recte, recordare cantari in fine vniuscuiusq; Psalmi: *Gloria Patri &c.* vt scilicet gratias pro gratiis reddas. Scis enim ab ingratis beneficia tolli, & gratos vlterioris meriti capaces esse. Ideoq; S. Mater Ecclesia *in Præfatione Missæ* instruit nos clare: *Vere dignum & iustum est æquum & salutare, nos Tibi semper & vbiq; gratias agere.* si vbiq; cur non in loco Orationis? vbi tot lumina, instinctus bonos & cogitationes sanctas accepisti? si *semper* quare non modo, pro patientia quâ te supremus mundi Monarcha audire, te

mul-

multifariam multisq́; modis alloqui, ne dicam locum dare in conſpectu ſuo dignatus eſt. *Juſtum* proinde & *vere dignum* præbebis ei obſequium, ſi cum Pſalmiſta in hos affectus prorumpes; *Benedic Anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt Nomini S. eius. Benedic anima mea Domino, & noli oblivíſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus: qui replet in bonis deſiderium tuum, renovabitur vt aquilæ iuventus tua*, primævæ ſcilicet innocentiæ, dummodo plumas vanitatum dimittas, & oblata deſideria perficias. Nec minus *æquum & ſalutare* erit, invocare omnes creaturas præſertim Beatiſſimam Matrem DEI, Angelum cuſtodem, & alios SS. Tutelares vt te iuvent *in benedicendo & ſuperexaltando DEO*, prout te idem Pſalmus in fine docebit.

Hæbr. 1.

Pſal 102.

II. Prætacta dona ſcilicet Propoſita, inſpirationes, pios affectus deſideria &c in Meditatione tibi collata

cum

cum omnitudine tua offeres DEO; si
enim in æquivalentiam muneris gra-
Ioan. 1. *tiam pro gratia*, reddes, quam prius
dixisti: vt discas nos gratias DEO non
solum dicere debere, sed agere seu red-
dere effectu. Vix vtiq; hic aliquid
de tuo dabis, imo prorsus nihil, sed de-
bitum solves, & talentum reddes, quod
commodatò accepisti, dicente Jeroso-
limitani Templi primario Fundatore
Paral. 19 Davide; *Tua sunt omnia, & quæ de*
manu Tua accepimus dedimus Tibi.
Et vt gratior sit sacratissimæ suæ Ma-
iestati eiusmodi oblatio, non tantum
modo collata tibi dona, sed & aliorum
opera bona, imo etiam (*si dignabitur*
S. Ambr. in præp: ad Mis: *propitius intueri*) *tribulationes plebium,*
pericula populorum, captivorum gemitus,
miserias orphanorum, necessitates peregri-
norum, inopiam debilium, desperationes
languentium, defectus senum, suspiria iu-
venum, vota virginum, lamenta viduarum
offeres, per manus Purissimæ DEI Ma-
tris, quam proinde amoroso suspirio
invocabis, vt sicut gratias pro te, ita
bona opera cum te, offerre non de-
dignetur, quod totum facere poteris,

etiam *per Dominum nostrum JESUM Christum*, iuxta illud Pauli: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper DEO id est fructum labiorum confitentium Nomini eius*, præsertim meritis nostris vnitis cum meritis eius; cum enim *vniversæ iustitiæ nostræ* sint *quasi pannus menstruatæ*, nullum valorem habent, ni cum meritis Capitis scilicet Christi copulentur. Hæbr:13 Isai:64.

Vltimo petitionem cũ maiori qua poteris applicatione animi & fervore institues, gratiã & modũ ad cõplenda opera bona, præconcepta desideria & resolutiones factas postulando, ideoq; ad hunc effectum expones DEO necessitates & miserias tuas, allegando quia *sumus infirmi, fragiles, lutea vasa portantes*, quia intus vrgemur à concupiscentiis, foris impetimur â dæmonibus &c. humiliterq; supplicabis cum Daniele: *Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Tuam, sed in miserationibus Tuis multis.* Eidem repræsentabis motiva quibus flecti possit, vt annuat postulatis, qualia sunt: Bonitas sua infinita, pollicitatio præstandi S. Aug. serm. 10. de verb. Domini. Dan: 9.

ſtandi quod petimus, & præcepta vt petamus, merita IESV Chriſti, puriſſimæ Matris eius, nec non Electorum DEI, quorum præſertim in re propoſita eſt aliqualis mentio, vel circa quos ſubeſt nobis aliquod devotionis ſtudiũ.

In hunc modum peracta Meditatione breviſſima reflexione examinabis, num aliquid negligenter geſtum ſit, in acceſſu vel progreſſu Orationis? an ſcilicet Præſentia DEI ante oculos ſtudioſe propoſita? an opus illud pura intentione in DEVM directum? an in Oratione aridus vel tepidus fueris? quâ reverentiâ in colloquio cum DEO te habueris? &c. et ſi quid tale deprehenderis, veniam petes, & ſequẽtibus Meditationibus corrigere ſtudebis. Sin minus cum Pſalmographo jubilabis:
Pſ. 113. *Non nobis Domine non nobis ſed Nomini Tuo dá gloriam.* Poſtremo Reſolutiones dicto iam modo diſpoſitas, ſcriptis mandabis, ne à fallaci decipiaris memoria, *& fructum boni operis perdas*
Pſal: 1. quem *tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, daturus es in tempore*
Luc. 3. *tuo*, ne velut *infructuoſa arbor excidaris & in ignem mittaris.*

CA-

CAPVT IX.

De egreßu de Solitudine Spirituali.

QVæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum. Cant. 8. Non tantæ arbores ereicunt in deserto, quantæ virtutes vestiunt peccatricem animam in solitudine, spirituali. Abiit nuda bonis operibus, quærens *operimentum viridantium foliorum*, sola, in solitudine, turpi tecta verecundiâ, & ecce redit *in vestitu deaurato circumamicta varietatibus* & ad stuporem *Civium supernorū* turget spiritualibus divitijs, *quas neq; ærugo neq; tinea demolitur.* Ante totá melancholica, *inops & pauper* cuius *faciē operuerat confusio* ob enormitates suas, nunc *tota pulchra & formosa, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur* tota serena *& macula non est in ea*, vt præ gaudio iubilare possit cum Propheta: *Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in DEO meo.*

Ps. 44. Matth. 6. Cant. 4. Isai. 61

Viderunt eam Filiæ Sion & Beatissimam prædicaverunt & Reginæ laudaverūt eam, Cant. 6.

quibus & ipsa non inferior *in splendore suo, omniũ in se provocavit affectus.* Nec
Isai. 61. mirũ quia solitudinis amicus Deus *induit eam vestimentis salutis, & indumento* supernæ *lætitiæ circumdedit* eam, *& tanquam sponsam decoravit corona iustitiæ,*
Brev. Rõ. 21. Ian. *Dexteram* eius *& collum* eius *cinxit lapidibus pretiosis* vt vocem operi accõmodet, & sic vtroq; *enarret gloriam ejus. Tradidit auribus* eius *inæstimabiles margaritas,* vt seriò ad Divinas inspirationes attendat. *Circumdedit* eam. *vernantibus atq; corruscantibus gemmis* suarum gratiarum, *& immensis* omnium charismatum *monilibus ornavit* eam *Annulo suo subarrhavit* eam *vt illi soli servet fidem, ipsi se tota devotione committat, nec vllum præter eum amatorem admittat.* Præterea *ostendit ei thesauros incomparabiles futuræ gloriæ,* quas se illi daturum repromisit, dũmodo *degeneri con-*
S. Leo ser. 1. de Nat. Dom. *versatione redire nollet ad pristinam vilitatem,* nec prostituere creaturis per tot Resolutiones seu Proposita iuratũ sibi affectum. Insuper *vestivit eam purpura & bysso.* & ad thalamum suum, ineffabili cum decore per intimam secum vnionem, introduxit eam,

O beatam solitudinem, quæ tantopere suos cultores hic & in futuro iucundas & beas! *O altitudo divitiarum* quantos thesauros supernarum gratiarum in solitudine recondis, quos nonnisi in eos plusquam liberaliter dispergis, qui per sancta exercitia *hæreditatem capiunt salutis*, vix aliquot dies in oratione mentali familiariter tecum conversantes? *O Regina virtutum Meditatio*, non immerito te, os aureum Chrisostomus condecoravit hoc epitheto, perpendens quod amplissimo earum stiperis comitatu, dum præcedunt aliæ quibus anima præparatur ad orationem, vt puta Intentio, Fides, humilitas, reverentia &c. Aliæ comitantur vt charitas, Religio, sapientia, aliaq; Spiritus S. charismata. Aliæ subsequuntur vt ardentia desideria, S. proposita, & seria obedientiæ, temperantiæ, & id genus virtutum exercitia, quibus qui se mancipaverunt, erunt *sicut Angeli Dei* similes *Seraphinis* per ardentem charitatem, per scientiæ plenitudiné, *Cherubinis*, *Thronis*, per altissimam cum Deo quietem

Rom. 10
Hæbr. 1
Io. Chris. lib. 2. de Orat.

Dominationibus per dominium proprio apetitui, *Potestatibus* per imperium in dæmones, *virtutibus* per admirabilium operationem, *Archangelis* per fortitudinem in arduis, *Angelis* per obedientiæ promptitudinem, deniq; omnibus Spiritibus Beatis per sanctitatem. *O quis mihi det* vt intelligam quantus & quam preciosus sit decor virtutum, quibus velut Filia Sion coronatur so-
Iob. 14. litudo? *quis mihi tribuat* vt capiā quam inæstimabilis sit honestas & pulchri-
Ps. 44. tudo animæ quæ quasi *Filia Regis vestitu deaurato* in solitudine *circumdatur.*

Porrò nunc iam *vnum est necessarium*, ne per devia mundi aberres, vbi una orbita ad interitum & semita ad Cælum, nulla secura via, ut in solitudine observasti, quia omnes vitiosæ. Idcirco monitum te volo, caute ambules
Ps. 99. *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, vel *ne incidas in laqueum diaboli*, qui *in*
Ps. 10. *omnibus viis tuis insidiatur in abscondito* vt te perdat, vel tam eximio cultu spo-
Ps. 141. liet, & sic sero lamentari incipias: *In via hac qua ambulabam depradatus est inimicus animam meam* Et ad hunc effectum

fectum *vt in via virtutis* securius incedas *nec deficias in via* quam calcare incæpisti, (cum ex probatissima D. Præsulis Augustini experientia: Non proficere deficere sit) semitam ad Cælum tibi facilito, dum certam vivendi formam, *quam sine fictione* è Sanctorum vestigiis concinatam *didici, sine invidia communico.* Sap. 7.

Fateor equidem me pudere aliis dare methodum regulariter vivendi, cum nec ipse tot annorum sub regula vivens, ad tantillum perfectionis pervenerim vt Ægyptiorum more, res pro verbis, non è contra monumentis verba consecrarem, ad minus tamen;

--- Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi,

assecurans vnumquemq; cum Apostolo: (*Quicunq; hanc regulam secuti fuerint pax super illos & misericordia*) quia nec solitudinis bravio extra solitudinem privabitur, nec *sæculi malis vitiabitur.* Gal. 6.

§ I.

Vestigia Sanctorum extra solitudinem Spiritualem.

Horol.asc. Cap. 1. §. 1. n. 3. I. QUolibet mane determinato tẽpore post septem vel octo horas quietis nocturnæ, prompte ac *velociter surges*, acsi ignis cubili tuo iniectus esset loquendo cum Card: *Bona.* vel vt ait ProtoPatriarcha Venetus S. Laurentius Iustinianus : *Omnes igitur Christi servi* DEO *placere cupientes primordia diei & actionum conentur consecrare Altissimo, quatenus cætera secutura opera, à suo non declinent principio &c.* *De strato quoq; quo jacent tanquam de vinculis duri carceris ardenter præpropereq; se excutiant.* Et hæc dum agis corporaliter, *exurge* tanto magis è *veterno vitiorum* monet Apostolus, *& propera in via virtutum, donec hodie cognominatur*, prorumpens sæpius per diem in suspiria & orationes eiaculatorias, vt ita *non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.*

Lib. de discipl. & perf. Monast. Conversat. C. 10.

Hæbr. 3.

Eccl: 14.

II. Assuescas primam mentem consecrare DEO, dicendo hæc vel si-

milia

milia: *JESVS* & *MARIA vobis dono cor & animam meam;* prout erudite docet cit. Card: Bona: Cum ' mane evigilaveris, sit prima vox tua ' quæ postrema futura est JESUS & ' MARIA; nec primo evigiles corpo- ' re quam mente; sicut enim oculi cor- ' porei summo mane luci sensibili ape- ' riuntur, ita oculi animæ, luci Spiri- ' tuali & Divinæ aperiendi sunt. In ' quo pariter consonat citatus S. Proto-Patriarcha Venetus, vtpote Zelantissimus vitæ Canonicæ Professor & Promotor: *Prima vox, prima cogitatio, primus affectus resonet laudem &c.*

Hor. asc. vt sup. n. 1.

S. Laur. Iust. cit.

3tiū suggerit idem Card: Bona: Dū ' aliquātisper vestieris velut potēti pa- ' nopliâ adversus inimici insidias mu- ' nias te signo S. Crucis, deinde humi ' procumbens *DEVM adora.* Eiusdem ' sensvs est individuus perfectionis comes S. Laurentius Iustinianus cit: *velut strenui milites ad bella processuri, frontem, os, pectusq; suum muniant* scilicet armis S. Crucis. Quo facto quinq; actus matutinos quos tibi §. sequ. subijcio, elicies; nam ut dicit Tertulianus

Hor. asc. ut sûpra n. 3.

Apoc. 22

Horren-

Horrendum est aliquam diem sine Oratione transigere. & ad minus mediâ horâ Meditationem institues, quæ semotis impedimentis exemplo Christi D. exprobrantis ignauiam discipulis; *Non*
Matth. 26 *potuistis vna horâ vigilare mecum?* integrâ horâ durare deberet, & quidem (non expectata perturbatione mentis) *mane diluculo* iuxta illud Psalmistæ: *Præ-*
Ps. 118. *venerunt oculi mei ad Te diluculo vt meditarer eloquia Tua.* quia hoc tempus aptissimum est offerendi mentis & temporis primitias Deo.

IV. Audies vel celebrabis Sacrum non ex consvetudine, sed ex fine devotionis, cum omni possibili cultu; non enim terrenæ, alicuius, assistis Maiestati, sed ineffabilis Deitatis velut aquæ
de Miss. spongia misceris præsentiæ. Quodsi
Sacr. cap. „ autẽ dicente Card: Bona Deum ten-
4. §. 2. „ tare atq; ad iracundiam provocare
„ dicitur, qui ipsum audet in oratione
„ interpellare, non præmissa diligen-
„ ti & accurata præparatione, quan-
„ to magis eundem sua temeritate &
„ audacia irritabit, qui Vnigenitum
„ suum illi offerre ipsumq; suscipere
impa-

, imparatus præsumeret. Eadem diligentia Horas Canonicas cantabis vel recitabis ex instructione D. Caroli Borromæi *in Monitionibus ad Cathedralium seu Collegiatarum Canonicos* & sæpefati Card: Bona *in Horol: ascet. cap: 3.* vel ex ipso transsumpti *viatoris Christiani Cap. 3.* vel P. Iacobi Alvarez de Paz: *de vita religiosæ instituenda lib.* 1 *Cap.* 7.

V. Unam horam dabis si fieri potest ante prandium legendæ sac: scripturæ, vel alteri libro spirituali, nam vt scite idem Card: Bona: Sicut vi' ta corporalis absq; cibo materiali ' & corruptibili produci nequit & con' servari, ita proxima morti est ani' ma, quæ cibo suo, lectione scilicet ' spirituali destituta est. Ibidem ad' disces sac. lectionis quem tenere debeas modum, sed melius ex P. Alphōso Rodriquez *de perfectione Christiana P. 1. tr. 5. Cap. 28.* & P. Iacobo Alvarez de Paz. *cit: lib: 2. Cap. 2,*

Hor. asc. Cap. 2. § 2: n. 2.

VI. Singulas horas in actiones diurnas distingues, regulando tempus non tantum in conversando, sed etiam in manducando, cuius certam partem

dabis ſtudio Theologiæ Moralis & rebus pertinentibus ad ſtatum Eccleſiaſticum. Ejuſmodi diſpoſitionē horarum præter alios Aſcetas ſtudioſſime commendat S. Laurentius Iuſtinian: *Propterea cunctis conſulendum eſt vt taliter vnumquodq; diſponant opus, quatenus qualibet hora propriā habeat actionem Sciant quando Orationi, quando lectioni quando operi manuū incūbendū ſit, ne acediæ ſpiritu in mentis dubietatem vel hebetudinem evecti, tempus ſuum inaniter conſumant, &c. O quantis ſpiritualibus profectibus deprædantur illi qui ſpreto mentis conſilio, ſuis inſeruiunt voluptatibus? quam ſæpè lectioni vacant cum orare deberent, orationi inſiſtunt cum liceret operari? ac per hoc torpore depreſſi, fraudeq; decepti, cujuscunq; operis debito privantur fructu.*

Lib. vt ſupra C. 10

VII. Jnchoando aliquam orationem eam ſemper purâ intentione ſolius DEI gloriæ (facta prius illis vel alijs verbis diſpoſitione: *Actiones noſtras* &c. *præveni*, & meliori modo quo potes „ *proſequere*. Et vt monet Petrus Ble„ ſen: Non ſic te exterior ſolitudo „ rapiat vt animam tuam curarū ſæ-

cula·

ulariũ abyssus absorbeat; nam post- ' ponere vnum illud necessarium, & ' Epist. 134
transire de Mariæ otio ad quendam '
animæ labyrinthũ non est securum. '
Sic in te contemplativa & activa vi- '
ces suas alternent vt nullum tempus '
habeas feriatum. Bonum est solici- ,
tari cum Martha sed quietius est sede- '
re ad pedes JESU cum Maria, '
providere Dominum in conspectu '
tuo semper, *vacare & videre quam* '
suavis est Dominus. Expedito autẽ o- '
pere gratias Deo ages, in illũ mẽtis motum cum Psalmista prorumpens: *Non nobis Domine non nobis sed Nomini Tuo* Ps. 113.
da gloriam, si nimirum recte illud peregeris; sin minus negligentiæ veniam à Deo postulabis, & expost ferventius laborare propones.

8vum præscribitur ab omnibus spiritualis vitæ Magistris, scilicet: *Examen Particulare* quotidie ante prandium & ante cænam, circa aliquod vitium eradicandum vel fundandam virtutem, alioqui in cassum niteris, quis quis perfectionari vis absq; tali adminiculo, ita sentiente cit. Card: Bona:

Nul-

Hor. asc. Cap. 4. § 2. n. 1. „ Nullum efficacius remedium ad vi-
„ tia extirpanda, & acquirendas virtu-
„ tes esse potest, quam singulari cer-
„ tamine vnumquodq; vitium aggre-
„ di, & quotidie contra ipsum pugna-
„ re donec expugnetur: instituto de ha-
„ re *Examine Particulari*: cuius ibide
brevem methodũ tradit, sed exacta
magis & praxi accomodatam subm-
nistrat P. Alphonsus Rodriquez *de*
perfect. Christiana p. 1. tr. 7. Cap. 2. &
sequ. & p. 2. tr. 3. Cap. 29. Et ad han
perfectionem suspirare nos docet Tho-
mas à Kempis: *O si quotidie vel vnu*
vitium eradicaremus hucusq; jam perfect
essemus.

IX. Ad sonum horologij renova-
bis facta Proposita mane in oratione
Mentali, cum aliqua pia aspiratione
juxta dicta de actibus Anagogicis, &
L. vt. sup. Cap. 1. § 1. n. 5. „ hoc vult Card: Bona cit: Renova
„ vota tua & bona Proposita olim con-
„ cepta, actusq; virtutis illius elice
„ quâ præ cæteris maxime indiges, si-
„ mulq; præsentiã DEI in memoriam
„ revoca, & omnium actionum tuarum
„ cogita te habere consortem DEUM

adeoq;

adeoq; cave ne quid indignum Maie-
state eius illâ hora admittas, sisq; de-
terior pagano Seneca, qui ne aliquid
irrationabile committeret semper præ-
sentem sibi imaginabatur Catonem.
Et de hoc pete modum ab eodem
Card: Bona *cit. Cap.* 2.§ 6. & P.Ro-
driquez *cit. p. 1. tr. 6. per tot* vel P.
Alvarez *lib. 6. Cap.* 1.

X. Festa cum maiori applicatione
ad spiritualia exercitia celebrabis, e-
xercendo opera misericordiæ sive spi-
ritualia sive corporalia vt sunt: Insti-
tuere rudes Christianæ doctrinæ, libe-
raliorem eleemosynam elargiri, sola-
ri afflictos, visitare infirmos, incarce-
ratos, &c. recordando nos eiusmodi
obsequia Christo persolvere juxta il-
lud: *Quod vni ex minimis meis feci-
stis mihi fecistis.* Matt. 25

XI. Eliges tibi aliquë bonum Con-
fessorem eiq; ex integro conscientiam
tuam aperies, nec eum sine gravi ne-
cessitate mutabis; dedecet enim in his,
inconstantia & nocet crebra mutatio
vt docet sæpefatus Cardinal: Bona: L. ut.sup. Cap. 2. § 1. n. 1.
cui etiam omni septimana vel ad mi-
nus

nus omni quindena semel confiteb[e]ris, nec vllum Festum D. Salvatoris [&] B. Virginis, S. Michaelis Archangel[i] & Angeli Custodis aliorumq; Tut[e]larium tuorum absq; hac vel consi[mi]mili devotione præteribis,

XII. Cultum corporis minime cura[bis], nec pretiose vestieris, nam vt di[cit] S. Bernardus: *Non facit ornatum Clericum tenera vestis sed mundicia men[tis].* E contra *Qui immoderato cultu atq; vestitu vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis, pompam sæculi esse sectator.* Ut notat M[agnus] Censor simul & amator Cleri S. Augustinus.

Cap. 9 de modo bene viu.

L. 2. de Ser. Dni. in mont. cap. 12.

XIII. Malorum societatem prout etiam aleas, choreas, chartas ludos & id genus divertimēta, verius temporis detrimēta, serio vitabis, tenens memoria illud: *Cum Sancto Sanctus eris cum perverso perverteris;* non enim ignorare te credo commune proverbium: *Corrumpunt bonos mores consortia prava.*

Ps. 17.

XIV. Cum sæcularibus conversando nil tale committas, quod sensus e[o]rum

orum possit offendere, qui plerumq; ex Ecclesiasticorum norma regulam vivendi componunt, vt patet ex Synodo Venetana de anno 1592. *Languescit sæcularium pietas, vbi vita Clericorum non splendescit:* Unde te geras oportet iuxta doctrinam S. Ambrosij *Quod sumus professione, actione potius quã nomine demonstremus, ne sit nomen inane crimen immane, ne sit honor sublimis vita deformis, ne sit Deifica professio illicita actio.* Cap. 2. de dignit. Sacerd.

XV. Omni studio omnem peccandi occasionem vitabis, in eis præsertim in quæ te sæpius relabi adverteris, consequenter exteriores sensus & internos appetitus etiã in licitis studiose frænabis, ne assueti libertati excurrant aliquando ad illicita: & si te in aliquo deviare deprehenderis, immediate geme, suspira, clama: *Deduc me Domine in semitam mandatorum Tuorum quia ipsam volui,* cum viva protestatione amplius non peccandi. Psl: 118.

XVI. *Ne contradicas sermonibus Sancti* Crucem Domini, imo etiam *immissiones per Angelos malos* patienter ferre Iob: 6. Psal. 77.

memento; *non* enim *decet* teste Bernardo *sub spinoso Capite membrum esse delicatum.* Quodsi hæc defuerit ipsemet aliquid triste & molestum tactu apprehende; habebis enim saltem duas horas de die à mortificatione liberas, in inferno autem ne vnam quidem per totam æternitatem. Imo omne solatium temporale tibi adime vt plenius gaudeas in æternum; sic
Hæbr: 12 enim Christus D. *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, & tu quanto magis affligeris in hoc mundo, tanto maius
Psal: 93. solatium habebis in futuro, ita ut *secundum multitudinem dolorum* multiplicentur *consolationes* tibi &c.

XVII. Jn tentationibus *Principiis obsta* in quibus plerumq; *sero Medicina paratur*, quia sic *ex tentatione* percipi-
1. Cor: 10. es *proventum* & simul discretioris pœnitentiæ fructuose munus obibis. Et ne te inimicus prævertat, mox dum te senseris tentatione pulsari *auxilium ex*
Matth. 8. *alto* instanter implora: *Salva nos Do-*
Psal: 69. *mine perimus.* vel *Deus in adjutorium*
Marc. 8. *meum intende:* vel *vade retro Sathana.*

XVIII. Correptus aliqua infirmita-

te

te, eam patienter ſupportabis, nec exſpectabis graviorem, quin te Sacramentis tempeſtive præmunias (quælibet enim portat prænuntium mortis) & Divinæ diſpoſitioni totaliter reſignes, ſive ad vitam ſive ad mortem replicans dictum illud reſoluti ad omnem fortunam Auguſtini: *Utere me ſicut vis in vita & morte, in tempore & æternitate.*

XIX. In egreſſu vel ingreſſu ad tuum cubiculum SS. Matrem Dei ſpeciali cultu veneraberis, & ad hunc effectum eius effigiem in Camera tenebis, quotidianam devotionem *corde magno & animo volenti* eidem litando, prout & aliis SS. tuis Advocatis, quibus etiam aliquem particularem Venerationis & obſequij actum, identidem exhibebis. 2. Mach. 1.

XX. Quolibet ſero antequam dormitum eas Examen Conſcientiæ Generale abſolves *juxta modum Cap. ſequ.* exaratum; & puncta Meditationis pro ſuperventura die, perleges, quæ mente volvendo ſuavius obdormies, & minus perturbate ſomniabis.

Ultimum. Si Domûs alicuius ſis Præ-

ses, vel Caput Familiæ, omni studio procurabis instimulare domesticos vt quolibet vespere & mane, genibus flexi orent; diebus festis Missæ Sacrificio & Prædicationi Verbi Dei intersint, sæpius Confiteantur & Communicent, à vanitatibus & vitiosis affectibus abstineant, solennioribus festis aliquem librum spiritualem legant, vel legentes audiant; qui enim *suorum*
2.Tim.5. *maxime domesticorum curam non habet fidem negavit & est infideli deterior.*

Isai: 30. *Hæc est via ambulate in ea & non declinetis neq; ad dextrã neq; ad sinistram.* Ultra quam nihilominus tres passus conficere licebit imo proficuum erit.

1, Quolibet anno exercitia Spiritualia peragere vel ad minus Confessionem Generalem annuam.

2. Quolibet Mense hoc regulamentum perlegere, & cum Confessario vel cum alio viro probo & docto, extra Confessionis Sacramentum de animæ statu conferre.

3. Qualibet septimana aliquid notabile in profectũ animæ efficere v. g. confiteri & communicare, illatam injuri-

iuriam condonare, pauperi debitum dimittere, ignarum in viam ſalutis reducere, ignavum ad bona opera excitare &c. *Notandum autem hic eſt* Qui informari vellet abundantius, conſulat peritiſſimum vitæ Spiritualis Magiſtrum Ludovicum Granaten. *Lib. intit: Dux peccatorum Tr.* 3. Ubi accommodatiſſimas tam incipientibus quam provectioribus in perfectione Chriſtiana, ſubminiſtrat regulas & monita variis intertexta remediis: vel ſi placet ſpeculari in ſeipſo, duplicem interioris & exterioris hominis effigiem, videat in aperta charta *Eccleſiaſticorum ſpeculum* à me terſum & perpolitum diverſis luminibus & prælo donatum. Verum quia fragilitas humana plerumq; prolixitatem faſtidit, maxime in via ſalutis, proinde tædio eiuſmodi medendo, breviorem inſtructionem ex Noſtri Ordinis Canonico Thoma Kempenſi ſubnecto: *Si vis* DEO *& Sanctis placere: Doma carnem, Frange propriam voluntatem, Certa contra vitia, Labora pro virtutibus.*

S. Carolus Borromæus adhuc ad pauciora puncta perfectionem Christianam restrinxit, ita tamen vt nullibi melius extra eiusmodi compendiũ totius perfectionis axioma: *Omne trinum perfectum*, notari possit; dicit enim *Qui vult continuum facere progressum in via Dei* (1) *semper est necesse incipere, hoc est in fervore conari servire* Deo *ac si modo inciperet* (2) *ambulare actualiter in Dei præsentia*, (3) *Deum pro fine omnium actionum habere.* Et eiusmodi doctrina quoad 1. *Punctum* fundatur in authoritate Sac: Scripturæ & sensu cõmuni SS. Patrum, quorum primus Coriphæus S. Augustinus vnumquemq́ admonet dicens: *Obliviscere omne præteritum, & quotidie incohoare te puta*, ut
Apoc. 2. *opera tua novissima* sint *plura prioribus*, nam vt dicit alia Scriptura: *Nemo mit-*
Luc. 9. *tens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est Regno Cælorum*; talis enim defectuosus est, vt clare ait idem S. Do-
S. Aug. Epist. ad Demetr. ctor: *Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus: at. vbi cæpimus stare, descendimus, nostrumq́; non progredi reverti est*, è contra *Felix homo*

inquit

inquit Bernardus *qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri* (boni) *fecerit, sed quid hodie faciat ut proficiat.* Non aliter suos monebat Alumnos M. Antonius: *Cogitate vos quotidie incipere servire* DEO. Et Seraphicus Franciscus jam animam agens suæ Religiosæ Familiæ non aliud testamento reliquit dogma, quam quod ipse vsq; ad agonem practicavit, alloquendo eos: *Fratres incipiamus servire Domino, nam vsq; nunc parum profecimus.* Et Dionysius Cartusianus: Non gloriemur in merito vitæ prioris nec aliquid æstimemus nosmetipsos, sed quotidie tam recenter tamq; ferventer agamus, acsi eadem die primum inchoaremus atq; morituri essemus. in Psal: 76.

Nec Regius Psaltes vnquam ausus fuisset in illa verba prorumpere: *Et dixi nunc cæpi.* nec Paulus gloriari: *quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis* DEI *in Christo* IESV, nisi dicta factis comprobassent; quod certe etiam de aliis Sanctis concludere quis Ps. 36. Philip: 3.

ambigat? cum Hieronymo: *Quicunq; Sanctus quotidie in priora extenditur & præteritorum obliviscitur.* Eadem doctrina *quoad 2. Punctum* vel ex illo Ambrosii patet: *Sicut nullum est momentũ in quo homo non vtatur vel fruatur DEI bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.* Pro ratione cuius Bernardus addit: *In omni actu vel cogitatu suo sibi DEUM adesse memoretur & omne tempus quo de ipso non cogitat, perdidisse se putet.* Ampliat Hieronymus vtilitatem Præsentiæ DEI: *Certe quando peccamus si cogitaremus DEUM videre & esse præsentem, nunquam quod ei displicet faceremus.* hinc non immerito protestabatur constans in bono Augustinus: *Non à Te auferam oculos meos quia Tu à me non aufers oculos Tuos.* *Quantum ad 3. Punctum.* Vnus pro
1.Cor. 10 omnibus sufficit Paulus: *Sive ergo mãducatis sive bibitis sive aliud quid facitis semper in gloriam DEI facite*, in cun-
Eccl. 45. ctis operibus vestris *glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis;* nam vt docet S. Basilius: *Ratio vivendi hominis*

Chri-

Christiani unum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei, prout in praxi docuit *S.* Ignatius semper in ore illa verba premens: Ad M. D G.

Qui vero adhuc compendiosiorẽ viam perfectionis eligere vellet, ductũ sequatur Psalmistæ qui ait: *Diverte à malo & fac bonum* & bene quidem: Psal. 33.
Redemptori etenim nostro unum sine altero nequaquam placere potest; neq; enim tantummodo *arbor* quæ *malos fructus facit,* sed & quæ bonos fructus non facit, *excindetur & in ignem mittetur.* S. Greg. hom. 13. in Evang. Matth. 3. & 17.
Unde etiam Dñus in Evangelio non solum *male operantem* sed etiam *à bono opere torpentem damnat.* Quidquid tamen sit ego hanc ipsam regulam (alleviando in via salutis laborem) exdimidiare vellem *unum necessarium* observandum proponens, illud scilicet: S. Greg. hom. 9. in Euang.
Si vis perfectus esse serva mandata vel illud etiam indivisibili uno minus: Matt. 19.
Quasi à facie colubri Fuge peccatum, romphæa bis acuta omnis iniquitas, non obstante quod me de tanta discretione confundat zelantissimus Canonicæ Eccl: 21.

vitæ Promotor & cultor D. Joannes Chrisostomus: *Sanctum non sola mutatio peccatorum facit, sed quadam excellentia virtutum, præsentia Spiritus, & bonorum omnium opulentia.* Faxit DEus vt aliquid faciat hæc qui legit, ego aliud non possum, quam *quod bonum mihi videtur in Domino* desiderare; nam vt dicit Petrus Blesen: Humana persuasio sine gratia DEI, nihil aliud est quam *æs sonans & cymbalum tinniens.* & impliat ingeniose *lingua Ecclesiæ* Augustinus: *Admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt & admonitiones. Cathedram in Cælo habet qui corda docet.* Proinde ille solus donet & velle & perficere *sine quo nihil possumus facere.*

Hom. 10. in Epist. ad Hæbr.

Epist. 35.

S. Bernar.

S. Aug. in Epist. 1. Ioan.

Ioan. 15.

ANNOTATIO. I.

De Confessione Generali Annua.

Eccl. 5.

DE propitiato peccato noli esse sine metu. Si horrendum istud tonitru quæ menti alte imprimere velles, etiam

am retroactas Confessiones tuas formidares, consequenter duriorem te Iudicem supra te constitueres decernens inefficaces & invalidas ad salutem. Et antequam *Iusto Dei judicio* damneris, diligentius *discerneres causam* tuam, Psal. 42. num hactenus conscientiã tuam probe examinaveris? num scienter confiteri grave peccatum omiseris? vel in materia gravi in actu confessionis mentitus fueris? num firmum propositum emendandi habueris? nec de admissis serio dolueris? nam quinarius hic defectuum, gravem inurit obligationem iterum confitendi: Imo licet nulla adesset obligatio repetendi Confessiones præmissas, adhuc tamen haud ineptum dat consilium idem Ecclesiastes in hæc verba: *Ne verearis usq; ad mortem justificari*; quod non melius Eccl. 18. effectuari posset, quam totius vitæ tuæ Generali Confessione rite peracta, etiam annuas Confessiones saltem semel in anno repetere, idq; propter maiorem confusionem nostram qui impudenter *sine fine peccata peccatis adijcimus*, vt merito dici possit: *Delicta no-* Eccl. 5.

stra

1.Esdr. 9. *stra creverunt vsq; ad Cœlum*, minime pensitantes quia quanto plura peccata committimus, tanto difficilius salvamur, tametsi bene confiteamur; per hæc enim mens ad bona hebetatur fortius, intellectus obumbratur fœdius, pravitas voluntatis induratur pervicatius, Divina auxilia deperduntur crebrius, potestas tenebrarum assurgit validius, facultas resistendi malis decrescit periculosius, ita vt ex potente ad oleas arbitrio, imbelle & inerme, turpi ignominiâ in præceps deveniat.

Ergo ad reparandum ordinem naturæ simul & gratiæ, *pro anima tua non*
Eccl. 4. *confundaris dicere verum*, iterato gemens dolens & confitens, sic enim defectus in anteactis Confessionibus admissos supplebis, maiorem dolorem visis simul omnibus peccatis concipies, origines malorũ clarius conspicies, mentis dubia & remorsus conscientiæ plenius abolebis & pænam promeritam peccatis diminues, & ita non sine vtilitate grandi confunderis; *est enim con-*
Eccl. 4. *fusio adducens peccatum & est confusio*

addu-

adducens gloriam & gratiam. Quod vt fiat fructuosius & ordinatius, præmissâ prius aliqua dispositione præparatoria pro lumine Spiritus S. examinanda erit conscientiæ abyssus, eâ diligentiâ quam plerumq; adhibere solent *dispensatores bonorum reddituri rationem vilicationis* suæ, discurrendo mẽtis indagine per septem peccata mortalia, & examinando tres potentias animæ, nec non quinq; sensus externos, qui, & ad quæ, fuerint magis proni, firmataq; in vnoquoq; horum saltem per tria *Pater* & *Ave* rememorativa potentia, ad dicta, facta, cogitata, & omissiones, in hunc modum reflectendum erit. Luc: 16.

EX 1. DECALOGI
Cogitationes.

SI in aliquo articulo contra fidem dubitavit, nec ejusmodi cogitationes repressit sine mora. Si nimis curiose Mysteria Divina investigavit. Si somnijs, augurijs, sortibus credidit. Si admisso peccato diffidit misericordiæ Divinæ, vel de ea præsumendo cumulare peccata ausus est. Si totam vel majorem partem fiduciæ in creaturis, hominum favoribus, ingenio suo, vel industria, & mundi adminiculis reposuit &c.

Verba

Verba.

SI contra DEUM in ſuis afflictionibus aliquomodo murmurauit. Si aliquas orationes pro malo ſucceſſu aliorum, vel morte oppetenda recitavit. Si gloriatus eſt de aliquo admiſſo peccato. Si aliquem à bono opere præſertim ne ingrederetur Religionem ſuaſu, odio vel quocunq; modo retraxit. Si piorum bonis operibus detraxit, eaq; ſiniſtre in malám partem interprætatus eſt &c.

Opera.

SI diurna opera quæ fecit, non ad DEI honorem ſed ad reſpectus mundanos direxit. Si aliqua ſuperſtitione vſus eſt v. g. characteres vel ignotorum nomina portando contra arma, vel pro ſecretorum notitia, vel ad parandam medicinam. Si libros Prohibitos abſq; licentia legit, vel eos apud ſe ſcienter retinuit. Si aliquam rem ſacram pretio temporali emit vel vendidit. Si in bonis operibus vel precibus diſtractiones vel tædium ſciens volens admiſit. Si ſe periculo offendendi DEUM aliquomodo expoſuit &c.

Omiſſiones.

SI negligens fuit in diſcenda vel edocenda doctrina Chriſtiana & rebus ad DEI cultum pertinentibus. Si pro acceptis beneficiis gratias DEO non egit, nec ipſum ex toto corde dilexit. Si ob reſpectus humanos v. g. pudorem ſocietatem & aliqua bona facere intermiſit. Si peccantes præſertim enormiter & fraterne monitos, Superioribus non detulit, vel quos corrigere potuit, monere neglexit. Si in periculis animæ vti in gravioribus tentationibus ad DEUM vel Beatiſſimā non recurrit &c.

EX 2. DECALOGI,

Cogitationes.

SI intentionem jurandi falſum habuit. & ad idalterum inducere ſtatuit. Si decrevit ſub juramento promittere ſed ſine animo adimplendi promiſſum. Si in animo ſtatuit aliquid boni ſe facturum, ſed propter malum finem &c.

Verba.

SI jurandi conſvetudinem habuit quod eſt maxime periculoſum propter jusjurandum calumniæ, vel falſi. Si juravit adjuncta maledictione v. g. auferat me diabolus: tale malum mihi eveniat ſi id non fecero &c. Si juravit ſe non velle facere aliquid boni vel è contra juravit ſe facturum aliquod malum vt nocere vindicare &c. Vtrumq; hoc malum eſt ſed neutrum obligat, prout nec votum ſi vouit facere aliquid mali vel vouit nil agere boni &c.

Opera.

SI induxit aliquem ad jurandum falſum vel exequendum illud: Si aliis fuit occaſio blaſphemandi DEum, Beatiſſimam vel Sanctos, aut non adimplendi facta vota, vel in multum tempus differendi &c.

Omiſſiones.

SI non reprehendit quos potuit vel debuit de blaſphemijs juramentis, & neglectis votis. vel ipſe ea adimplere neglexit? &c.

EX 3. DECALOGI.

Cogitationes.

SI animo deliberato ſtatuit non audire Miſſam vel laborare notabile quid die feſto. Si invidendo bonum proximo præſertim Spirituále, abducere conatus eſt aliquem à Sacro, Concione, &c.

Verba.

SI cogitata verbis adimplevit. Si confabulabatur

aut

aut risit scandalose in templo, maxime tempore Missæ vel aliorum Divinorum officiorum &c. Si irrisorie miscendo sacra profanis, verba protulit, &c.

Opera.

SI laboravit vel laborare fecit aliquem die festo sine necessitate, vel abduxit aliquem à Sacro &c. Si consumpsit diem festum in vanitatibus, jocis, comessationibus &c. Si contumelia aliqua vel irreuerentiá affecit Imagines, Reliquias Sanctorum, aliasq; res sacras. Si sciens se excommunicatum astitit Divinis, vel recepit aliqua Sacramenta, vel conversatus est cum alijs, exceptis casibus permissis.

Omissiones.

SI sine causa neglexit Sacrum, Concionem, vel aliud opus pium, ad quod tenebatur ex obligatione Christiana. Si non procuravit ut aliqualiter sibi subditi Divinis assisterent, diebus Festivis, vel Sacra lectione occuparentur, vel ne jocarentur aut laborarent, non impedivit, &c.

Ex 4. DECALOGI

Cogitationes.

SI contra Parentes præconcepto odio, eos vilipendit. Si eis aliquod málum desideravit. Si de ipsis temere judicavit vel suspicatus est &c.

Verba.

SI contra eosdem murmuravit vel de eis conquestus est. Si maledixit, minatus est, vel quomodolibet afflixit, præsertim in præsentia, &c.

Opera.

SI eos aliqua reali affecit injuria. Si erubuit vel quod peius est negavit pauperes vel rudes. Si ex nimio eorum amore offendere DEum par vipendit. Si absq; eorum scitu de suo statu, vel aliis rebus antequam emanciparetur, disposuit. &c.

Omissi-

Omissiones.

SI Parentum mandata tempore debito per inobedienriam non est executus, præsertim cum damno sive temporali sive Spirituali alicujus. Si eorum vltimam voluntatem non adimplevit. Si non succurrit necessitatibus eorum cum potuit. &c.

Hæc & similia istius Præcepti præmissa inverso ordine accomodari possunt Parentibus respectu Filiorum, Dominis respectu subditorum, Principibus & vasallis, Coniugatis &c. Relativorum enim iuxta Philosophum eadem est ratio.

Ex 5. DECALOGI.

Cogitationes.

SI mortem alicui desideravit vel aliud malum. Si vindicare injurias proposuit. Si de malo proximi lætabatur. Si bona invidebat alteri maxime Spiritualia & tristabatur de prospero ejus successu. Si odium contra aliquem tenuit cum desiderio vindicandi & quanto tempore. &c:

Verba.

SI imprecatus est alicui mortem vel maledixit sive coram, sive in absentia. Si instigavit aliquem ad vindictam, vel aliud peccatum, & collaudavit si tale qvid perpetravit. Si de sua existimatione solicitus seipsum vane laudavit, vel aliorum famam depressit. Si improperavit, calumniatus est vel comminatus necem. &c.

Opera.

SI se vel proximum exposuit periculo mortis corporalis vel quod pejus est, Spiritualis. Si causavit notabile damnum saluti suæ vel proximi v. g: nimium manducando bibendo uel alios ttactando. Si notabiliter percussit vel vulneravit aliquem sive sei-

ve seipsum ex malitia. Si excitabat rixas protegebat inquietos, manutenebat inimicitias, lites in longum protrahebat. Si malo suo exemplo vel consilio, vel laudando mala execrando bona, retraxit aliquem ab opere bono, & allexit ad peccatum, &c.

Omissiones.

SI ignoscere noluit saltem in foro conscientiæ humiliter veniam petenti, vel ipse exulceratum placare & pacem petere contempsit, vel pro illata injuria ad plenum non satisfecit. Si non correxit, nec monuit proximum in spirituali insania, probabiliter sciens sua admonitione emendandum, nec consilium salutare porrexit eidem cum potuit. Si ex odio non salutavit aliquem, vel sine odio quidem sed cum scandalo alterius, &c.

Ex 6. & 9. DECALOGI

Cogitationes.

SI consensit alicui lasciviæ casu quo haberet opportunitatem illam exequendi: Si habuit delectationes morosas in aliqua turpitudine, licet sine affectu effectuandi illud quo delectabatur, &c.

Verba.

SI effutijt aliqua verba, quibus vel suas vel aliorum turpitudines commemorare, & alios ad similia (etiam sine intentione provocandi) inducere posset. Si cantavit vel fides pulsavit adeo delicato concentu, quo se vel alios ad turpia accendere posset, &c.

Opera.

IN *præsenti materia satis est adducere illud:* Manifesta sunt opera carnis, *dummodo examinet bene præsertim Auditus & visus sensum, vsque somnia si illis evigilans præstitit aliquem consensum*

vel hæsit in delectatione eorum, hic enim ne quidem modica contemnenda est turpitudo, ob periculum fœdioris lapsus; est enim hæc materia velut vna fœditatum colluvies cuius vel levis hiatus contagiosus est.

Omissiones.

SI non voluit deserere talem occasionem, nec separari à tali conversatione, societate vel cohabitatione. Si non impedivit suasu, precibus, minis, donis &c. cum potuit similes occasiones. Si negligens fuit in reprimendis imaginibus seu cogitationibus turpibus, quod debuit facere sine mora. &c.

Ex 7. & 10. DECALOGI

Cogitationes.

SI alienam rem concupiuit vel affectavit ditescere de alieno, vel vt dicitur per fas & nefas. Si proximum decipere habuit voluntatem, vel non solvere quod debebat alteri, &c.

Verba.

SI lucratus est aliquid per iuramenta, mendacia, captiones & sophismata. Si consulvit dari damnum alteri, vel datum approbavit. Si suggessit modum circumveniendi aliquem &c.

Opera.

SI mouit injustas lites & eas obstinate continuat. Si vsurpavit alienum deceptorie, vel per rapinam, vsuram, simoniam, aut alio illicito modo; tunc enim erunt duo peccata, vnum quoad modum alterum quoad substantiam. Si tenet rem alienam inventam vel commodatam vltra tempus, nec eam quam primum restituit; non enim tunc satis est propositum restituendi, si potest ex nunc res restitui, etiam cum aliquo conditionis suæ incommodo. Si retinet salaria servitorum, mercedem operariorum,

pretia Mercatorum &c. Si emit vel gratuito accepit ab his, qui vendere vel dare non poterant vt Religiosi, mancipia, filijfamilias, minorennes &c. Si vendidit rem plus iusto præsertim malam pro bona, vel illam alteravit miscendo illicita, vel *in pondere & mensura* fraudulenter processit. Si officia distribuens *fuit acceptor munerum & acceptator personarum*, aut in præiudicium aliorum promovens præsertim inhabiles ob respectus humanos alicui præfecit dignitati, & tunc esset triplex peccatum. Si vsus est hypotheca vel deposito absq; proprij Domini facultate. Si vltra suam conditionem profudit expensas pro suo sive suorum vestitu, convivijs, vel jocis, in quibus si decepit aliquem; restituere tenetur. Si justas gabellas defraudavit. Si emit res quas scivit vel dubitavit esse furto sublatas, & de eiusmodi rebus aliquid consumpsit. Si per illicita media & informationes malas, acquirere rem aliquam, præsertim nullo iure ad se pertinentem attentavit, &c.

Sap. 11. Petr.Bles.

Omissiones.

SI suum officium non fuit fideliter executus, & tunc ad refusionem damnorum, quæ ex sua iniuria irrepserunt obligatur. Si decimas, pia legata, & cæteras pensiones Ecclesiasticas non solvit, vel testamenta non adimplevit. Si pactiones, promissiones, contractus &c. non servavit. Si non fecit eleemosynam in extrema vel gravi necessitate proximi, vel in simili casu *mutuum nihil inde sperans* non dedit. Si potens non impedivit alienum damnum etiamsi ad id non fuerit obligatus ex justitia, sin ita; etiam ad compensationem damnorum tenebitur.

Luc. 6.

Ex 8. DECALOGI.

Cogi;

Cogitationes.

SI suspicabatur vel judicavit temere de proximo Si mentiri decrevit, vel falsum alteri imponere intentavit, &c.

Verba.

SI verbis amphibologicis aliquem circumvenit, vel mentitus est cum damno alterius præsertim, cum tamen vt recte notat sana regula morum Augustinus: *Ne quidem pro gloria Dei licet mentiri*: Si adulabatur alteri vel laudavit vt cautius deciperet, quod est improbissimũ fallendi ingenium, adeoq; gravius cæteris in hoc genere peccatur, Si revelavit commissa sibi secreta, Si detexit aliorum defectus maxime morales, ei qui nihil horum scivit, & tunc obligatur ad restitutionem famæ, prout & tunc si murmuravit vel detraxit alteri, præsertim ex honoratis personis, vti sunt Prælati, Religiosi, Matronæ honestæ, vel detrahentem audivit vel adiuvit, vel ei applaudit, vel seminando zizania præiuditiosa nova sparsit in alios, vel vnum contra alterum instigavit, &c;

Opera.

SI excitavit discordias suppressa veritate, vel adiecta falsitate. Si aliquem indebite, injuriose & quod peius est calumniose impedivit a consecutione alicuius lucri, officij &c. maxime sibi debiti & tunc ad restitutionem famæ obligatur, & ad refusionem damni. Si aliorum literas præsertim ex fine malo aperuit &c.

Omissiones.

SI non impedivit detractores, falsarios &c. cum potuit. Si denegavit alicui honorem quem præstare debuit &c.

Jn hunc modum exacto Examine circa Ecclesiæ Præcepta, sensus exter-

nos, tres animæ potentias, & vitæ propriæ statum (ad quod tibi copiosiori indagine subserviet, *Thesaurus Precum lib. 4. Cap. 4.* & proderit magis *Confessionale S. Antonini ArchiEpiscopi Florentini p. 1. lib. 2. de modo interrogandi pænit. à Confess.* hæc vel similia ante vel post Confessionem, non sine particulari fructu adjunges, quod nimirum: Non cum debita præparatione ex defectu doloris vel propositi ad confessionem accesseris (vt aliquantisper à Confessore iuveris) quod minus diligenter latebras conscientiæ tuæ exploraveris; quod die Sac: Communionis non ita recollectum ante & post, vt debuisti te gesseris; quod pænitentiam expleveris quidem sed cum modica vel nulla prorsus devotione; quod non fueris executus injuncta tibi à Confessore v. g. quod non restitueris & quare, quod mansionem non mutaveris, quod votum non expleveris, quod talem occasioné non evitaveris &c. Hæc strenue & sine fastidio exequere pro anima tua, monente solicito salutis tuæ Consultore D. Augustino: *Ne si dum potes*

potes nolueris dum volueris non possis, ad minus supplicem animarū zelatorem Petrum Blesensem exaudi : Disce , quæso negotiari cautius ne tunc pæ- , nitere incipias, quando non erit pæ- , nitudinis locus nec tempus; nam , vt idem alibi ait: Extrema insania , est, negotium animæ in necessitatis , differre articulum. Epist. 86. Epist. 103.

ANNOTATIO II.

De Sacræ Scripturæ Lectione.

CUm Encyclopediam Divinam, sacram dico Scripturā, ad rectiorem Conscientiæ resolutioné multum conducere non ambigam, propter motiva diversa & affectus, quæ vt plurimum solet suggererere; hinc quædam ex sac: Bibliis loca propono, ex quibus vberrimos fructus colligas, si illa ante vel post subiectam materiam meditandi, non cursim, non curiose, sed cum matura consideratione & magna reverentia [*verba enim Dei sunt*) qualis esset stando, genuflectédo, capite disco operto &c. legas, Bene proinde monet No-

Lib. 1. Cap. 5. de lect. sac. script. Noster Magister Kempensis Thomas: *Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter & fideliter*; nam ut alio loco dicit: *Graditur Deus cum simplicibus, revelat se humilibus, dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis, & superbis &c.* Potius vt idem suadet inferius: *Subdere te Deo & sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile & necessarium; si enim non intelligis nec capis quæ infra te sunt, quomodo comprehendes quæ supra te sunt?* idcirco *scrutari* ea profunde tuum non erit, *ne opprimaris à gloria*, vel *ne quærendo evidentiam fidem amittas*, prout habet *vera intelligentia scripturarum* S. Augustinus; cuivs etiam hæc altera est maxima: *Crede vt intelligas noli intelligere vt credas*, ideoq; *quod non capis quod non vides* hoc totum *præstabit fides*, si *imperfectum* tuum commendaveris Deo, qui tibi eorum sanam tribuat intelligentiam, & ea radicet in corde tuo, quia teste D. Philippo Nereo. *Sac: Scriptura magis discitur oratione quam studio.*

L. 4. Cap. 18. de Imit. Christi.

Prov. 25.

S. Th. Aqu. in hymn. de Corp. Christi.

Et quidem ante inchoationem E. xercitiorum ſpiritualium hæc te iuvare, & melius ad maiora diſponere poterunt *Luc. Cap.* 11. ℣ 31. & *Cap.* 13. *Iſai. Cap.* 1. 47. & 55. *Rom.* 13. ℣ 11. 2. *Cor.* 6.

De Fundamento ſeu Fine vltimo hominis, docebit *Eccli Cap,* 1. *cum tribus ſeq.* & *Eccli. Cap.* 17.

De Peccatis legi poteſt *Deutor Cap.* 28 ℣ 16. *Iob. Cap.* 11. *Eccli* 7. & 21. *Proverb.* 11. *Iſai* 28. *cum ſeq. Ier.* 2. & *Threni. Ezech. Cap.* 16. 20. 27. &c.

De morte ſerviet *Geneſ. Cap.* 5. *Sap.* 2. *Eccli* 41. *Iſai* 38. *Luc.* 12. *ſparſim.*

De iudicio tanget *Iob Cap.* 14. *Sap.* 5. *Iſai.* 66. *Ier.* 9. *Ioel.* 2. & *ſequ. Malach.* 3. & *ſequ. Sophon.* 1. *Mich.* 1. *Zach.* 5. *Matth.* 24. & *ſequ. Luc.* 21. ℣ 6. 2. *Petr.* 3. *Apoc.* 20.

De inferno habet *Iſai. Cap.* 5. & 34. *Ezech.* 15. *Luc.* 16. ℣. 19. *Apoc.* 18.

De Filio prodigo, quadrare poterit *Ier. Cap.* 3. *Thren.* 5. *Baruc.* 3. *cum 2bus ſequ. Luc.* 7. ℣ 36. & *Cap.* 15. *nec non Manaſſis Oratio.*

De Paradiſo illuminabit *Sap.* 5. *Iſai.*

 60.

60. cum tribus sequ. Matth. 5. & sequ. Apoc. 21. cum sequ.

De spiritu Ecclesiastico & de Christi doctrina addet lumen *Matth.* 4 *17 & 21. Marc. 4. Luc. 9. & 11. Rom. 1. cum sequ. Hæbr. 1. cum 5. sequ.*

De Incarnatione Verbi Dei & Nativitate Christi, refert Isai. Cap. 9. & 11. Matth. 2. Luc. 1. ℣. 26. &. 1. Ioan. 2.

De Resurrectione & Ascensione Dñi obloquitur *Actor. Cap 3. de primo & Cap. 1. de 2do.*

De Missione Spiritus S. notat *Actor C. 2.*

De Passione Domini præcinit Psalmista Divinus *Ps. 21. & 30.* prophetat *Isai. Cap. 53.* testantur vniformiter Evangelistæ omnes, confirmat primarius Christi Vicarius *1. Petr. 2. ℣ 21. & Cap. 3. ℣ 18* & suus Coadiutor ad stipulatur Paulus *ad Philipp. 2. & ad Hæbr. 12.*

De Gloria Crucifixi & Prædicatione Apostolorum informabit, *Actor. Cap. 3. cum duobus sequ.*

De SS. Eucharistiæ Sacramento, ænigmata solvit Gentium Doctor *Hæbr. Cap. 9. cum sequ.*

De Imitatione Christi inculcat idem Paulus: *Hæbr. 12.*

De obſervantia Mandatorũ multa vtilia ſparſim cõperies in Libris Proverb. Sapientiæ, Eccleſiaſtæ &c. ſignanter *Sap.* 13. *Iſai.* 55. 2. *Machab.* 7. *Epheſ.* 4.

Ad ſervanda Propoſita conducet *Deutor. Cap* 6. & 1. *Paralip.* 29. ℣ 9. *Pſ.* 118. *Rom.* 8. & 2. *Cor.* 5.

Plura Sac. Scriptura teſtimonia ſive in præaſſerta, ſive in alia materia, qui volet, ex Indice Sacrorum Bibliorũ addiſcet.

§ II.

Exercitia Matutina in & extra ſolitudinem Spiritualem.

SUrge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. Jam mortuus eras ipſe fateberis, niſi ignores ſomnum mortis ſpeciem eſſe, non enim ſpirare ſolum, eſt vivere, ſi actionibus mentis vel corporis minime comprobetur, ſic aſſerente Card: Bona: vita Spiritualis nihil aliud eſt quã catena & ſeries bonarum exercitationum, à mane vſq; ad veſperam, & à veſpera vſq, mane. Quare *tanquam mortuus à corde* de lecto ceu de mortali tumulo prorumpe & *ſurge* *veloci-*

Epheſ. 5.

Hor. aſc. Cap. 2. § 4. n. 1.

Pſ. 30.

velociter, & evoluto somno mentem in suspiria solve, tuoq; resuscitatori Deo gratias habe, quod te *de tenebris & um-*
1.Petr.2. *bra mortis in admirabile lumen suum* edu xerit, & ad vitam actionum animarit.
Eccl: 32. *Nec te contristet surgendi hora*, quod ad luctam cum hostibus exciteris, adim-
Eccli 39. plendo illud: *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fe-cit illum, & in conspectu Altissimi depraca-*
Ps. 61. *bitur*, sed *viriliter age & confortetur cor tuum & sustine Dominum* donec ab eo, *coronam iustitiæ* percipias,
2.Tim.4.

Dum indueris cogita vestium or-natum ex peccato esse, ideoq; confun-
vt supra daris pro tuis monet Card: Bona; re-
§ 1.n. 4. liqua vel ex eodem Cardinali, subiecto ordine prosequere, vel iuxta vniver-salem Religiose vivendi methodum superius datam anteriori § regulare. Indutus dum fueris sistas te in DEI præsentia iuxta dicta *Cap.* 8. § *1.* mox pronus cadens in terrã ex doctrina e-iusdem Card: terram osculare, vt co-ram DEO profitearis te terram esse, & in terram revertendum, quem etiam submisso poplite adorabis recogno-

scens

ſcens ſuum Creatorem & totius boni datorem.

2. Pro vniverſis beneficiis in genere & ſpecie humiles quantum poteris gratias ages, iuxta illud Catholicum dogma: *Gratiam Fidejuſſoris tui non oblivi ſcaris;* dedit enim pro te animã ſuam, te ſervavit illæſum *à timore nocturno, noctium phantaſmata* procul abeſſe fecit, & à vanitate ſomniorum omniq; mentis & corporis contagio præſervavit. Eccli 29. Pſal. 90.

3. Univerſaliter de omnibus noxis veniam poſtulabis ex amore Summi Dei, quod eum aliquando offenderis, firmiſſime cum ſuo auxilio proponens te hac die præſertim, nullo prorſus deliberato velle eum *ad iracundiam provocare* peccato. Epheſ. 6.

4. Offeres ei omnia quæ cogitabis, dices, & facies, hâc die & toto vitæ tempore, proteſtando te velle facere omnia ad maiorem ſui gloriam, & in ea magnificanda potentias internas & externas occupare, quas ſimiliter cum omnitudine tua & toto te, *in hoſtiam laudis immolabis Altiſſimo.* Hæbr. 13.

5. Per merita JESU Christi, Divinissimæ Matris eius, & SS. Tutelarium supplex postulabis gratiam, ad effectuanda eiusmodi Proposita, potissimum *vt in hac die ad nullum declines peccatum sed semper ad suam justitiam faciendam, tua procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera*, cum omni gustu, satisfactione, & beneplacito D. DEI nostri. Quod vt strenue & alacriter practicare incipias, ab aliqua oratione vocali inchoabis, & expost immediate, semihorariâ saltem Meditatione prosequaris, quâ finitâ, modo primum ad opus aliquod, te convertas.

§ III.

Exercitia serotina in & extra solitudinem Spiritualem.

Ps. 94. *VEnite adoremus & procidamus ante DEVM ploremus coram Domino qui fecit nos.* Sicut post nubila Phæbus sic post iubila luctus redeunt & lachrymæ. Si in mortificatione non in risu diem exegisses, quod te contristaret ad vesperam non invenires, ex doctrina

na Magistri Kempen: *Gaudebis semper vespere si diem expendas fructuose.* Quia vero carni & sensui indulsisti, quia spiritualem vivendi methodum non observasti, ideo quod te cruciet habes. *Ambulabas ubi volebas* quid mirum quod aberraveris? *Vide & considera quem fructum habuisti tunc ex ijs, in quibus nunc erubescis?* ah non alium, certe, nisi quia *abominabilis factus es sicut ea quæ dilexisti. Nunc* ergo *cor tuum meditabitur timorem*, ne *portas inferi* pro caula Dominici gregis subintrare cogaris. Ne desperes tamen, quia ipse *non vult mortem peccatoris* sed potius *convertatur ut vivas, recordatus misericordiæ suæ, quia ipse est D. DEUS noster, nos autem populus ejus & oves pascuæ ejus.* Nihilominus in pœnam peccati hac die admissi, non prius (exemplo Davidis) *ascendes in lectum strati tui*, nec prius *dabis somnum oculis* tuis, aut *palpebris* tuis *dormitationem*, nec prius *requiem temporibus* tuis concedes, donec per sequentia *invenias locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

L. 1. Cap. 25. de Imit. Chr.

Io. 21.

Rom. 6.

Oseæ 3.

Isai. 33.

Luc: 13.

Psal: 94.

Ps. 131.

Primo igitur statuas te in Dei præsen-

tia iuxta dicta *Cap. 8. § 1.* ex corde
Ps. 115. gratias agens *pro omnibus quæ retribuit tibi*, & inter præsentis diei beneficia, præcipuum numera, quod pluribus offendisses, nisi te speciali gratia, à non commissis præservasset, prout docet in persona Dei *Doctorum Magister* Augu-
Vict. vtic. S. Aug. Lib. 53. hom. 23. stinus: *Regebam te mihi, servabam te mihi, vt adulterium non committeres, suasor defuit & vt deesset ego feci; locus & tempus defuit & vt hæc deessent ego feci &c. Agnosce ergo gratiam &c.*

Io. 12. 2. *Ne te tenebræ comprehendant* peccatorum, ab eo *qui illuminat abscondita tenebrarum*, lumen & gratiam ad agnoscenda hac die mala commissa postulabis, & particulare donum eadem abhorrendi, instanter & ferventer efflagitabis.

Iob. 14. 3. *Gressus* tuos *dinumerabis* qualiter de negotio in negotium incessisti, examinando conscientiam de dictis & factis, cogitationibus & omissionibus iuxta præscriptũ *Annot. primæ* præsertim in his, ad quæ te vides magis inclinatum, cum magna fiducia quod licet omni labores vitio vt dicit Pe-

trus

trus Blesen: sis licet superbe elatus, „
sis inaniter gloriosus, avaritia cõtra- „
ctus, ambitione exæstuans, ad ira- „
cundiam præceps, ad odium perti- „
nax, libidinibus sordens, tabescens „
invidia, detractionibus studens, frõ- „
tis attritæ, infrunitæ mentis, lin- „ Examinis
guæ prodigus factus, & gulæ indul- „ Conscien
gens, sis turbator pacis, suspiciosus, „ tiæ for-
incentor odii, simulator, duplex in „ ma, ex
verbis, operibus inhonestus, litium „ Petr. Ble-
seminator, molestus sociis, onerosus „ sen. in L.
proximis, accusator Fratrum, prodi- „ Iob ſ 14
tor, adulator, contemptor Ecclesiæ, „
oblitus Domini, immemor tuæ ani- „
mæ, & in *reprobum sensum* datus, „
quantumvis iniquitatem iniquitati „
apponens, tanquam debitor incon- „
sultus qui ære alieno se onerat do- „
nec obruatur sicut scriptum est: *Mu-* „
tuabitur peccator & non soluet. Uno „
verbo perdite vivas: tamen si ad „
Redemptorem cum lachrymis rever- „
taris, Dominus *ex vsuris, & iniquita-* „ Ps. 71.
te redimet animam tuam, quoniam apud „
Dominum misericordia, & copiosa a- „ Psal. 129
pud eum redemptio. Ipse est qui dicit „

Qua-

' *Quacunq; hora ingemuerit peccator, pro-*
' *pter peccatum suum vita vivet, & non*
' *morietur.* Ipse est qui *propter pecca-*
' *ta nostra vulneratus est* qui omnia
' vulnera nostra sanare & velit & pos-
' sit & noverit. Ipse non horruit la-
' tronem pendentem in Cruce, non
' lachrymantē peccatricem, non Cha-
' nanæam supplicantem, non adulte-
' ram deprehensā, non negantē disci-
' pulum, non sedentem in telonio,
' non discipulorum persecutorem,
' non ipsos Crucifixores suos. Nemo
' tot vulneribus in anima sauciatus
' est, nemo tot afflictus vulneribus,
' quem non sanet serpens noster æ-
' neus, si ad eum convertatur mentis
, nostræ oculus.

4. Reg. 22. 4. Exemplo S. Regis Iosiæ (in cu-
ius præsentia cum Deutoronomium
legeretur, humiliavit se & flevit co-
ram Domino, quod legem eius non
servasset, percussitq; fœdus cum Do-
mino, quod ambularet in viis eius de
cætero, quod & fecit) *planctum Iere-*
miæ de peccatis in te excitabis, con-
siderans infinitam in te Dei bonitatem

&

& inexplicabile ingratitudinis tuæ monstrum, quod sine vlla animi recompensa beneficentiæ Divinæ depascit opulentiam. *Est enim* dicente Bernardo *Ventus vrens fontem pietatis, exsiccans rorem misericordiæ, & gratiæ fluenta non recipiens*; motusq; tanta in quam lapsus es miseria *clama ne cesses ad D. DEVM tuum: Tuus sum ego salvum me fac. plasma tuum, genus Tuum, Poema & figmentum Tuum.* & replicatis instantiis *per viscera misericordiæ* DEI implora *auxilium ex alto*, vt beneficia huius diei complere dignetur, excitando in te veram *contritionem & lachrymas*, quam, vtpote supernaturale donum sine speciali favore vt elicias impotens es. Tandem vt recte monet Noster Magister Thomas Kempen: *Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas & gemas, & si tempus patitur DEO in secreto cordis, cunctas confitere passionum tuarum miserias. Ingemisce & dole quod adhuc ita carnalis sis & mundanus, tam immortificatus in passionibus, tam plenus concu-*

Ps. 118.

Luc. 1.

Supplementum Examinis Cōscientiæ ex Th. Kēp: Lib. 4. de imit. Ch Cap: 7.

concupiſcentiarum motibus, tam incuſtoditus in ſenſibus exterioribus, tam ſæpe multis vanis phantaſijs implicitus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora, tam levis ad riſum & diſſolutionem, tam durus ad fletum ad compunctionẽ, tam pronus ad laxiora & carnis commoda, tam ſegnis ad rigorẽ & fervorẽ, tam curioſus ad nova audienda & pulchra intuenda, tam remiſſus ad humilia & abjecta amplectenda, tam cupidus ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum, tam inconſideratus in loquendo, tam incontinens in tacendo, tam incompoſitus in moribus, tam importunus in actibus, tam effuſus ſuper cibum, tam ſurdus ad DEI verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam vigilans ad fabulas, tam ſomnolentus ad vigilias ſacras, tam feſtinus ad finem, tam vagus ad attendendum, tam negligens in Horis perſolvendis, tam tepidus in celebrando, tam aridus in communicando, tam cito diſtractus, tam raro plene tibi collectus tam ſubito commotus ad iram, tam facilis ad alterius diſplicentiam, tam pronus ad judicandũ, tam rigidus ad arguendum.
tam

am lætus ad prospera, tam debilis in adversis, tam sæpe multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens.

5. Detestatûs prius turpitudinem peccatorum, firmum formabis propositum non exulcerandi de cætero Divinitatis in te affectum, quæ te paterne ad salutaria allicit: *Fili peccasti non adjicias iterum;* grandis enim ignominia est *filiorum hominum*, in brutalem naturam degenerare, & indignas humana mente actiones renovare, reprehendente hanc vilitatem scriptura: *Sicut canis revertitur ad vomitum sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Eccli. 21 Prover. 26

Nec hic velleitas emendandi vitam satis est, quæ ignavis replevit infernũ, sed requiritur efficacia propositi, stabiliendo in particulari tale peccatum fugere, hanc & illam occasionem vitare, abhorrere talia & talia pericula, nam non tantum *qui facit peccatum servus est peccati* verum etiam simili edicto: *Qui amat periculum peribit in illo. Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ,* monet Scriptura: *Ne deterius tibi contingat. Nec semines* Io. 8 Eccli 3. 1. Reg. 25 Eccli 7.

mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea
Eccli 21. *in 7ptuplum*, sed *quasi à facie colubri fuge peccatum*, ne te finaliter mortis simul & æternæ damnationis veneno inficiat & conficiat; nam *quasi rom-phaa bis acuta omnis iniquitas.*

Ultimo idem propositum ad bona si quæ hâc die fecisti extendes, vt ea constanter prosequaris; & in mortis statu te constitues, in quo si actualiter esses quid non ageris si posses pro anima tua? cum quanta diligentia peccata vitares? quanto amore & studio virtutum in te plantares progressus? &c. Nunc ergo adhortante Apostolo: *Dum tempus habemus operemur bonum;*
Gal. 6. nam vt oculatissimus advertit & præcavet Augustinus: *Illa est peccati pa-*
Lib. de Vit. *na justissima, vt qui rectum facere cum*
Christian *posset, noluit, amittat posse cum velit.*
Cap 3. & lib. de Nat & grat. Cap. 67.

His peractis post præmissam aliquam preculâ ad Deum, eiusq; Divinissimam Matrem, Angelum Custodem, & alios Ss. Tutelares, alterna requie diem claudes. Cum te exuis (monet Card: Bona) cogita Christi nuditatem in passione, vel nuditaté animæ tuæ ob vir-

tutum inopiam vel horam mortis, qua rebus omnibus caducis, spoliaberis, vel primi Parentis peccatum, propter quod veste innocentiæ exutus fuit, & elice his cogitationibus congruentes affectus. Cum vero lectum aperis, meditare sepulchrum, & futuram cito horam, qua illud ingredieris, ideo quasi moriturus omnia terrena contemne & ad DEUM suspira; vel si mavis perlecta puncta Meditationis matutinæ quousq; obdormieris rumina; & ad virtutis metam quâ maxime eges, dirige; hæc enim velut quoddam manna cæleste, quem voles optatum tibi causabunt saporem. Et ne aliquando mortali somno correptus male obdormias, quandocunq; evigilaveris, novis suspirijs IESUM & MARIAM compellare ne pigriteris.

Horol asc. Cap. 4. § 5. n. 2.

CAPVT VLTIMVM

Alternæ quietis parerga in & extra solitudinem Spiritualem.

Homo

Iob. 5. HOmo *nascitur ad laborem* timorem & dolorem. Miseriarum cataclysmo circumfusus homo, non secus *in*
Matth. 11 *labore requiem*, ac nodum in scyrpo quærit, dum eluctando laborem, laborem sibi accumulat, & *jugum suave* excutiens se mancipat arctiori. Natura quippe ita comparatum est vt incidat in scyllã qui vult vitare charyb-
Ps. 93. dim, sic *qui fingit laborem in præcepto* & solis mundi adminiculis fidens, se à malorum gurgite evincere contendit, maiorem miseriam minori mercatur, *& amplius labor & dolor* vt clare
Psal: 89. innuit Noster Thomas à Kempis: *Qui refugit vnam Crucem procul dubio aliam invenit & forsitan graviorem.* Quem respirare à labore delectat laborem Orationis mentalis non abhorreat necesse
3. Io. 4. est, hac arte qui pollet, *foras pellit timorem*; hoc remedio continuatis mundi molestiis medebitur, hoc pretio *venũ-*
Isai. 52 *datã gratis sine argento redimet* libertatẽ. verbo: Qui eiusmodi exercitio occu-
Psal. 72 pantur *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur à tribulatione malorum & dolore*, & qui hacte-
Ps. 160

nus

nus *trepidaverunt timore vbi non erat ti-* Ps: 13
mor iam deinceps *ab auditione mala* Psal. 111
non timebunt; nam pressura libertatem,
afflictio iucunditatem, amaritudo dul-
cedinem germinabit. Dolebunt qui-
dem sed eiusmodi dolore vulnera sua
curabunt; laborabunt sed *labor labio-* Ps: 139.
rum ipsorum operiet eos & liberabit à ma-
lis; Sap. 5. *turbabuntur & timebunt timore hor-*
ribili pœnitentiam agentes, idcirco mor-
tiferæ occupationis venenum, in æter-
næ saluationis convertent remedium,
& sancto labore in exercitio actuali
solitudinis *cum odore suavitatis* supernæ
quidquid molestum esse posset transi-
gent; Divini Numinis effato: *Vita ti-*
bi sufficientis operarij dulcorabitur, & Eccli. 40.
invenies thesaurum cælestium consola-
tionum *secundum multitudinem dolorum*
quos tibi naturæ perversitas cum na-
tivitate indiderat.

Quod vt expertës, effectu experiri
valeant, selectis aliquot materiis con-
formes præceptis Praxes eis subminis-
strabo, non vt eorum Præceptorem
agam, ne quidem æquari dignus *vn-* 1. Io. 2.
ctionis quæ docet nos de omnibus Discipu-
lo,

lo, præsertim cum dicat Card: Bona:
Horol.asc.2 Cap. 2. § 2. Vix tot sunt huic studio incumben-, tes quot eius Præceptores habemus; verum vt eos calcata iam & exemplata via quæ mitior semper præceptis est, ad finem intentum facilius perducam. Addam præterea suaveolentes diversarum virtutum affectus, quot ignita in DEUM eloquia; tot incendia Divini amoris suscitabo, quot fasciculos piorum discursuum suppeditabo, & tot roseta florum miscebo, quot ad superna suspiria, vt ita anima
Exod.29. Christiana *in odorem suavitatis* arrepta, iucundius *in via salutis* deficiari, & contempta momentanea & deceptoria
Ps.73. Mundi voluptate, *adhærere* DEO *bonum esse* cognoscat, nec non cælestis fastigii veris delectationibus inhiare queat commodius; nam ut sæpefatus
Tr. de Miss. Sac. Cap. 6 § 7. Card: Bona monet: Cor terrenis occupatum, delectatio sancta declinat, nec datur Divina consolatio admittentibus alienam. Et ingeniose satis S. Franciscus Salesius: *Habens*
In Philot. p. 4. Cap. 14. *farinam Ægyptiacam, manna cælicum non habebit. Odores compositos & artificia-*

les

les, apiculæ fugiunt & abhorrent, sic Spiritus S. suavitates cum adulterinis mundi delicijs, simul nequeunt consistere. Quæ omnia ut felicius perficiam *attingens à fine usq; ad finem* vbi desinendum erat, necesse est incipiam, dum *primam* Praxim de FINE VLTIMO ad favorem incipientium subiicio. Sap. 8.

PRAXIS I.

De FINE VLTIMO ad quem creatus homo.

NEscit homo Finem suum. Qui perfecte *cursum consumare* desiderat, retrogradu anteferri debebit, vt ceremoniale cum DEO *ex § 1. Cap.* 8. addiscere possit, & præparatorios actus ad orationem Mentalem elice, re. Quorum alios præmittet in ipso statim ingressu in solitudinem Spiritualem, identidem aspirando cum Regio Psalte ad perfectionem: *Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas Tuas edoce me. Adjutor meus ne derelinquas me sed ostende viam bonam per quam ambulem & discam mandata Tua.* & simi- Eccl. 9 Psal. 24. Psal. 26. 3. Reg. 8

les

les, quos cuiq; suggerit fervor & devotio, adiunctis preculis ad Divinas Personas: *Veni S. Spiritus* &c. *Mentes nostras* &c. *Actiones nostras* &c. tum ad DEI Matrem, tum ad SS. Tutelares vt nobis in sac: solitudine præsentissimo adsint auxilio. Alios pro priori cuiuscunq; Meditationis reproducet, & sunt tres communiter: Fidei de Divina Præsentia, Humiliationis & Adorationis. *Primus* elici poterit sic vel similiter: *Credo DEUM hic esse præsentem* & intimā cordis mei abyssū
Psal. 18 penetrantem, ita vt *non sit* quod *se abscondat à calore ejus*, &c. *2dus.* Ego
Genes. 18 ne *loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis?* vtinam opportunus pro *scabello*
Ps: 109 *pedum Tuorum. A a a Domine DEUS ecce nescio loqui quia puer* insensatus
Ierem. 1. *ego sum*, imo ne quidem comparere dignus sum, in conspectu Tuo *plenus miserijs & peccatis &c. 3tius* Nihilominus ex obligatione creaturæ quia *Tuus sum ego*, quia me totum Tibi de-
Ps: 118. beo quod sum, coram suprema Maiestate tua prostratus quâ possum profunditate reverentiæ, Te adoro, & qui-

quidem *in omni loco dominationis Tuæ* Te datorem omnis boni recognoſco, Tibi humillime ſupplico vt *de indigno dignum* Tuo *facias* conſpectu, & gratiã tribuas pro Tuo placito operãdi; & ne ſit *vacua* noſtra *poſtulatio Tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire & exaudire delecteris* his præmiſſis. S. Ambr. in præp. ad Miſſ.

Præludia duo vnicuiq; Meditationi accommodanda ſequuntur *primum* ſerviet pro loci compoſitione v. g. in præſenti imaginaberis DEVM, velut quoddam interminabile mare, de cuius ventre exeunt flumina, & ad illud refluunt, ſic ab immenſo Eſſe DEI, omnes creaturas prodire certum eſt ex ſcriptura; & ad eum velut ad centrum ſuum tendere, ideoq; dicitur: *Alpha & Omega Principium & Finis.* In *ſecundo* gratia petenda erit ad hauriendum fructum Meditationis, qualis ad præſens eſſe poteſt cognitio recta *VLTIMI FINIS* & mediorum conſequendi eundem. Apoc.

Notandum autem hic eſt vniverſaliter: *Vbi ſunt lineolæ aliquantiſper immoraberis & in affectus quos tibi ſuggero vel quos tibi Divinus favor ſuſurrabit, proſilies; cum enim poſſibiles ſint alij præter adductos in Meditationibus infiniti, facile (accepto ex allatis impetu) in diverſa forma alios & alios poteris elicere, prout te* vnctio Spiritus Sancti edocebit. *Porro affectus eiuſmodi talis naturæ ſunt vt ex nimia cordis vehementia, nec ordinem inter ſe ſervent, nec quâ lege, quâve ſerie, erumpant, attendunt, interdum nec* 1. Io. 2.

varba

verba requirunt, nec voces omnino vllas, solis contenti suspirijs vt notat Card: Bona, tunc præcipue quando voluntas accensa est, tunc enim monente S. Teresia tollendi sunt discursus Intellectus, & strepitus verborum, ne his tanquam lignis amoris cæterorumq; affectuum scintillæ opprimantur & suffocentur. Equidem vtrumq; bonum est, sed secundum melius primo, ideoq; plus voluntatis affectibus quam Intellectus discursibus tribuendum erit. Hinc cum ego prunas subijcio discursuum, tu flammam aspirationum excita, & cum suscito affectuum incendia quid volo nisi vt accendaris ipse magis. Luc: 12.

Cap. 8. in via Cōp. Vit. sua Cap. 15.

Notandum deinde. Nollem te nimium esse avidum in meditando vt omnia quæ hic adducuntur Meditationis puncta per horam percurras, alioqui vitium curiositatis (quæ etiam in Materia spirituali censuram meretur) non evitabis; hæc enim ad emolliendum induratum & ineruditum in mandatis Dei cor afferuntur, non ex necessitate omnia vno tractu percurrendi. Ingenuæ & docili menti pro multis pauca sufficiunt, reliqua pro alio tempore reserventur; sic enim vnam Meditationem per plures dies a. g. vel horas extendendo, majorem fructum percipies, ex quo præmeditatam pluries materiam, fortius apprehendes, & tenacius retinebis.

PVNCTVM I. Considera infinitam Dei bonitatem, cum nihil fueris ante, illic de abysso nihilitatis extraxit

te, & in rerum natura collocavit te— Quantum ad animam ille *fecit te, & creavit te* — Quantum ad corpus manibus Divinis plasmavit te — & quidem non alio fine, nisi vt amorē suum, reciproco amore rependeres — vt eius beneficia agnosceres — vt *considerares mirabilia de lege sua* — & gratâ teneres memoriâ — & per hæc media vitam æternã consequereris — assecurante Paulo: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* — quasi diceret: Quidquid egeris hoc toto *sanctificabis animam tuam* vt sic dignus ad consequendum Deum efficiaris — Et hoc fine dedit tot potenties animæ tuæ vt per earum vsum *introeas in potentias Domini* — *vide & considera* ad quam sublimem te condidit finem, vt fruaris Deo — vt in æternum vivas cum Deo — O Bonitas! o benignitas! — Observa in quàm alto eminentiæ gradu sis locatus! — à quanto artifice procreatus! — in quàm fortunato statu ab eo constitutus! — & ad quantam felicitatem vocatus! — In tuam gratiam mi-

Ps. 118. Rom. 6. Eccli. 2. Psal. 70.

mirabilem hanc fabricam excitavit — te Divorum Spirituum agnatione nobilitavit — te Angelis suis custodiendum commisit — te à peccatis, salutari Baptismatis vndâ lustravit — te
Matt.27. non auro non argento, sed *pretio sanguinis* sui, æternæ morti obnoxium redemit — te insuper in filium sibi benignissime adoptavit — & hæredē regni non terreni alicuius, sed Cœlestis constituit! — Potestne imaginari maior affectus in te Divin⁹ isto? — Numquid te commodius ad finem intentum potuit providisse? — Numquid tibi valuit melius voluisse? — Circumspice te à Capite ad calcem, donū Dei es — quot in te pili tot eius curæ — quot momenta numeras tot beneficia vsurpas — Te Matri in vtero, te tibi tot annis dedit, datq; toties, quoties respiras, vt saltem vel nunc ei ex corde servias — Si te ista nutrix vel latum vnguem desereret quid de te fieret? — & tamen in ipsa beneficii usura māmam mordes lactantem? — quid dico mordes? — exulceras — dilanias — dentibus, manibus, pedibus periis tuis telis — suis donis &c.

Heu quantum â prima intentione DEI deviasti! — non modo tuam obligationem non adimplesti — sed insuper benignitatẽ *Summi DEI veri DEI* positive *ad iracundiã provocasti — DEUM qui te genuit dereliquisti — & oblitus es DEI Creatoris tui — Dereliquisti fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam — & fodisti tibi cisternas* momentaneæ voluptatis, *quæ continere non valent aquas* felicitatis æternæ — Ergone tam vilis est tibi æterna salus, imo ipse Deus? — Ah quoties tu eum vilioris æstimasti? — at quanto pluris ille te fecit? — qui pro te se — vitamq; suam dedit — O brutum si non pluris æstimas, nec amas! &c. Deut. 32 Isai. 51. Jer: 2.

Dedit tibi esse non qualecunq; sed rationale — *ad imaginem quippe suam & similitudinem fecit te* — & tu deformans formam DEI brutale signum effigiasti — imaginem eius profanasti — conculcasti speciem quam *speciosus formâ præ filijs hominum* tibi impresserat — Et cum certum sit ex scriptura quod *fecerit Dominus hominem rectum — os sublime dedit — mentem cum* Genes. 9 Psal 44. Eccl. 7.

Ca-

Capite adeoq; cum toto artificio potentiarum versus Cœlum erexit, vt ita omnibus membris ad DEUM tenderes — in omnibus DEI laudem spirares —
Coloss. 3. quæ recta sunt desiderares — *quæ sursum sunt quæreres, non quæ super terram* —
At tu o perverse artifex obliquasti omnia — aut vertens Fini media voluntatem ad amorem creaturarum convertisti — intellectum ad terrenorum admirationem (quæ tantummodo sunt imitationes & vmbræ quædam Cœlestium) applicasti — gratam mentem transitorijs vanitatibus obligasti — *ocu-*
Ps. 118. *los vt videant vanitatem* detorsisti — aures ad audienda *quæ non licet homi-*
2.Cor. 12 *ni loqui* aperuisti — linguam ad effundendum irregulatum sermonē quam
Luc. 1. tibi *ad dandam scientiam salutis* formaverat, laxasti — manus ad thesau-
Mich. 6. rizandos *iniquitatis thesauros* extendisti — sicq; *pactum DEO non servasti — conditioni tuæ non attendisti* — *vocationem tuam* posthabuisti. — Quem fructum ex Sacramentis quæ in remedium animæ instituta sunt reportasti? — Qualiter ei pro beneficiis acceptis

ceptis gratias egisti? — quomodo e-ius inspirationibus respondisti? —qua ratione sanitate — viribus — naturæ dotibus — bonisq; fortunæ — & cæteris quæ tibi *ad serviendum DEO vi-venti* concessa sunt, abusus es — in omnibus his & aliis plane infinitis' invenies veterem Adam plene in te vivere — Hicne est legitimus vsus potentiarum? — hæccine est gratitudo beneficiorum? — hic fructus Divini operis quod *fecit ad se* — O arbor arida ad sempiternos ignis cruciatus præparata! — quid respondebis in illa die cum à te omniū vitæ tuæ, non solum operum & temporum, verum etiam momentorum exigetur ratio? — Si homo *ædificave-rit domum* cui serviet nisi Domino qui fecit eam? — & si quis *plantave-rit vineam* quis colliget uvas nisi qui plantâvit eam? — & *Filius hominis* cui serviet potius quàm Patri *qui ge-nuit eum*? — quodsi in aliquo Patri refractari videatur quantum credes flagitium? — incomparabiliter maius æstima dum tu rebellas Deo, à Hæbr. 9 Matth. 3 Ps. 126.

Ephes.3 *quo omnis Paternitas in Cælo & in terra nominatur* — & qui omnib⁹ titulis Creationis scilicet — conservationis — Redemptionis — Sanctificationis &c. probat se esse plus quam Patrē tuum? — Quodsi plus quam *Pater*
Malach.1. *est, vbi est honor* eius? — *& si Dominus est, vbi est timor* eius &c.

Senecæ sensu qui beneficium accipit agrum fertilem imitari debet, qui multò plus reddit quam acceperit — & quomodo tu hanc legem naturæ implebis, qui non modo plus,
Matth.26. sed nec hoc *quod debes reddis*? & quod improbissimum ingratitudinis genus
Ierem.18. est, *malum pro bono reddis* — Potestne excogitari flagitium maius si scelestus quispiam benefactorem suum bonis ab eo acceptis exagitet? — & quid aliud faciunt peccatores, cum fortitudinem, fortunam, famam, sanitatem quæ à Deo acceperant, in opera mala profundunt? — Fortitudine magis intumescunt — pulchritudine creaturarum ad suam libidinem coutuntur — sanitate luxuriant — divitiis insolescunt &c. — Quis inquā

vel

vel insanus mente audebit hæc inferre benefactori creato, quæ non veretur irrogare Deo? — *O generatio prava & perversa* quam ingrata es, cum ipsis gratiis Dei ad eius offensam abutaris! — *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?* — *numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te?* — *& fecit te* — *& creavit te.* &c. Deut. 32

Itane oblitus originis tuæ oblit⁹ beneficiorum tantorũ? — propter fluxã momentaneæ & venenatæ voluptatis delectationem — te à tanta dignitate in statum tam miserum & calamitosum coniecisti? — vt qui prius eras dignus Cælo, iam indignus sis quem terra sustineat? — prius felix & beatus; nunc miser & perditus? — Itane a tam nobili — á tam amante — a tam bene merito de te Parente, ad eius infensissimũ hostem fædifragus defecisti? siccine teipsum crudelissimo tyranno mancipasti? — te mancipium diaboli ex Filio Dei — imo tot Dominorum quot peccatorum servum te fecisti — Confundere quod provisis tibi mediis ad salu-

tem turpiter hactenus abusus fueris – Dole & geme quod iniuriam feceris DEO, & creaturis quas ad malum detorsisti – quibus ad vanitatem – ad sensum – ad ruinam tuam vsus es – Time hos in vltimo Iudicio tui accusatores & testes – vel vt *pellas foras*
1. Io. 4. *timorem* ama, &c.

PVNCTVM II. Cogita tot possibiles & quidem nobilissimas creaturas in suo nihilo relictas – te tamen miserum peccatorem è statu possibilitatis extractum – Poterat enim DEUS ad Finem tam altum creare aliquem similem M. Augustino pro te indigno eius Filio; qui illum eviscerato amore prosequeretur – scriptis & factis præconizaret – præconiis & placitis sibi precibus veneraretur &c. – & te quem *similem ju-*
Psal. 48. *mentis insipientibus* præcognoverat, ad
Psal. 31. iugum perpetuæ servitutis *in equum vel mulum quibus non est intellectus* formare – vel extra causas relinquere – voluit tamen tecum ingratissima creatura vti sua misericordia quem cum suis electis coæquaret – & in thro-
no

no gloriæ *cum Principibus populi sui* Ps. 112
collocaret — & ad hunc effectum.
providit te vniversalitate bonorum,
famâ — honore — fortuna — incolu-
mitate — membrorum integritate,
&c. — Ad tuum favorem immobilis
terra stat — fluit aqua — diffunditur
aer — ardet ignis — lucet sol — rotã-
tur Cæli — bruta animantia famulan-
tur — & ipsi Angeli diversissima præ-
stant ministeria quibus *mandavit*
DEVS de te, vt custodiant te in omni- Ps. 90.
bus vijs tuis ne devies à præfixo fine.
— volve & revolve oculos in omnes
mundi plagas, & videbis quam spa-
tiosi sint divitiarum tuarum termini,
& *hæreditas* tua *magna nimis* — Omne
quod graditur in terris — quod na-
tat in aquis — quod volitat per aera
— quod splendet in Cælo tuum est —
Serviunt illa tibi vt tu servias Deo, cu-
ius beneficia sunt, vt pote opera Di-
vinæ Providentiæ — specula pulchri-
tudinis — testimonia misericordiæ —
scintillæ charitatis — & præconia
liberalitatis illius — Hæc autem
quanquam omnes, maxime Religio

sos obligant ad gratitudinem DEO, quos velut Pater amantissimus filiorum *nihil habentes & omnia possidentes* mira fovet providentia — ita vt
2.Cor. 1. de eis tanquam de *populo acquisitionis* cum Psalmista dici possit: *Dedit*
1.Petr. 2. *illis regiones Gentium & labores populorum possederunt — & fecit eos regnum*
Ps. 104. — *& Sacerdotes DEO & Patri suo — vt custodiant justificationes ejus — & legem ejus requirant* — Mirare quanta tibi præparet in Cælo, qui tantis te exulem donat &c.
Apoc. 1.

Sed quæ est gratitudo mea pro tantis beneficiis! — *retribui mala pro bonis — odium pro dilectione mea* — quot
Psal. 108. beneficia ille mihi, tot maleficia ego illi rependi — *Factorem Cæli & terræ operibus manuum suarum* posthabui — creaturis Creatoris honorem litavi &c. — O inauditum ingratitudinis monstrum? — latrones ipsi & sacrilegi, gratiores ei forent & perfectius famularétur, si tot beneficijs ac donis eos cumulasset quibus me benignissimè affecit — ego verò more *insipientis corde*, nulla habita ratione voca-
Ps. 75.

tionis

tionis meæ — & nullo ad beneficia respectu — ingratissimum — licentiosissimum — sceleratissimum me per omnia exhibui — Et certè videtur intolerabilis ingratitudo hæc, vt ab his, prodigus largitor bonorum DEus, peiora mala ferat, quibus maiora bona contulerat, quod mecū factum fuisse credo — Ah *infelix ego homo* ipsis bestiis ingratior — ipsis feris ferocior — ipsis saxis insensibilior — qui hucusq; scelere meo impetere sūmum Bonum non desisto — qui Divinis *donis ac datis* contra Omnipotentem assurgere necerubesco nec pertimesco — *Quis audivit vnquam tale, aut quis vidit huic simile?* vt scelestus quispiam amoris indicia conflet in arma quibus DEUM oppugnet? — Licetne oblato ense ad coercendos hostes, vti ad perimendam propriam vitam? — aut pro Medicina DEI venenum propinare eidem? — Quis prudens sumit inde occasionem peccandi, quæ ad serviendum DEO ordinatur? — an quia ille bonus est, tu debes esse deterior? O Rom. 7. Can. Miss.

impie

Brev. Rom. 5. Febr. *impie crudelis & dire tyranne non te pudet* in summum Benefactorem tanta audere, quanta nec insanus quispiam contra suum rivalem committeret? — Quæ bellua? — quis leo? quæ tygris adeo immemor est gratitudinis vt lædat illum *qui benefecit ei*? — Etiam hæ beneficiis mansuescunt, & velut domestici canes Dominis
Deut. 32. obsequuntur, tu *recalcitrabis* magis
Thren. 4. *incrassatus* eisdem? — *qui vescebaris voluptuose impinguatus* insolesces fædius? — *qui nutriebaris in croceis amplexaberis stercora* liberius? — Quousq; *in comessationibus & ebrietatibus*
Rom. 13. — *in cubilibus & impudicitijs* — *in contentione & æmulatione* — in vanitatibus & solicitudinibus huius mundi, tempus insumes? quod ex fine serviendi DEO indultum tibi est — Abominabilior es ipsis bestiis, quod illæ sine ratione tu cum ratione insanias — illæ naturæ impetu tu arbitrii consensu — O rem pudendam nimis, quam nemo emit vnquam nisi sua iactura! &c.

Ah quoties ego ingratissimus peccator

cator cum Spirituali mea ruina & DEI iniuria Divinis gratiis male vius ſum! — quoties creaturarum famulitium cum omni organiſatione mea ad pravos fines detorſi? — Ille totũ eſſe meum ordinavit ad gloriam ſuã ego illud diſtraxi *ſerviens mammonæ* Luc. 16 Mundo ſcilicet — carni — & dæmoni — Ille exquiſitis alimentis cibavit canem hunc [carnem dico meam] quæ vnius canis proviſione *pane* ſcilicet *arcto & aqua brevi* indigna, o- Iſai. 30. blatrabat contra eum, — ego ne quidem canis Tobiæ fidelitatem ei ſervavi — nec verebar abblandiri inimicis eius — Ille dedit ſanitatem, dæmon fructum percipiebat — contulit vires, ego illas in obſequium creaturarum diſpenſavi — talenta, dotes, potentias ad honorandum Divinum Numen conceſſa, *ſervituti idolorum* im- Epheſ. 5 molavi — DEUM pro nugis cõmutavi — *benedictionem in maledictionem* tranſſubſtantiavi — cantum in planctum & quidem æternùm transformavi — O me inſenſatum! quis vnquam extremam miſeriam præ *omni-*

mo-

um desiderabilium cumulo prudenter præeligat! – quis tam raram felicitatem posthabeat? – prout ego feci
Ps. 72. – Nonne *adhærere Deo bonum non est?* nonne *servire DEO regnare non est?* – vtiq; *gloria magna est sequi Domi-*
Eccli. 33. *num* – &c.

Sola salus servire DEO sunt cætera fraudes –

O quoties illachrymari me facit Psalmista suo dicto: *Defecit in salutare*
Ps. 118. *tuum anima mea – defecerunt oculi mei in eloquium Tuum* – maxime quia vniversaliter *Qui serviunt DEO non sunt*
Iob. 4. *stabiles* – Si ad scopandam Regis terreni Cameram sola spe præmii deputatus fuissem, quanta solicitudine id muneris exegissem? – quantum mihi de imaginaria quadam felicitate gratulatus fuissem? – nunc autem cum non ad vilia opera supremi rerum Monarchæ conditus sim, sed vt illo nunc per amorem fruar – & cum
Psal. 26 sim *homo similis vanitati vt inhabitem*
Ps. 22. *in Domo Domini omnibus diebus vitæ mea* – æternùm illi assideam – &
1. Reg. 2 *solium gloriæ teneam* – certa pro incertis relinquo? – O me insensatú!

Nonne

— Nonne ſtultitia plenum eſt *ſiliquas porcorum appetere & torrentem volupta-tis æternæ contemnere?* — pro vna lenticula primogenituram vendere — pro æterna vita mortem æternam mercari — ne nugam perdas DEUM perdere &c. Luc. 15. Geneſ. 25.

PUNCTUM III. Quanta ſit importantia vltimi Finis etiam inanimata decent, quæ ita appetitu innato feruntur in ſuos particulares ad quos creata ſunt fines, vt ſine grandi violentia ab illorum conſecutione præpediri non poſſint. — Numquid non patitur lapis violentiam in aere donec perveniat ad centrum ſuum quod eſt deorſum ſuper terrã? — Numquid non amat ignis ferri ſurſum? aut flumina firmantur prius donec ſalutent in quo quieſcunt mare? — girant — regirant redeũt deniq; obſtacula rũpunt quovſq; connaturalẽ metam non attigerint? — & tu cum opus habeas DEO magis quã creata centro — cum ſis in via ad terminum, medium ordinatum ad Finem vltimum — creatum ideo ut ſũ-

mum

mum Bonum cognosceres — cognoscendo amares — amando possideres — possidendo fruereris — nullam solicitudinē adhibes — non niteris, non properas vt cum eo coniungaris? — sine quo beatior esses si non esses. — O anima Christiana *quæ te dementia* *cæpit* quia tam parvipendis omnigenæ fælicitatis Authorem, & minus curas? — Ergone stolidior non eris insensatis rebus, nisi toto nisu ad eius aspires possessionem — ad cuius fruitionem beatam conditus es? —
2.Petr. 1. Decebat vt *Divinæ factus consors naturæ* vitam duceres tuæ dignitati parem — sed heu quid egisti? — pudeat & pæniteat te quod tantum desciveris? — Errant vt plurimum studia & consilia tua si ad ipsum non diriguntur &c.

Si vna nuga ne dicam Regnum temporale tantas solicitudines poscit & labores — tantas absumit vires & impensas — tantas exhaurit cogitationes — tanta incommoda & mille pericula subire cogit antequā acquiratur — quid de Fine vltimo beati-

beatitudinis æternæ censendum? — quantopere allaborare deberes vt illum consequereris? — nam vt notat Thomas Kempensis: *Non est parvũ perdere vel salvare animam.* — Si de vno tantummodo damno tractaretur posses forte illud contemnere — sed DEUM amittere & vnà in infernum præcipitari—pro vna momẽtanea voluptate gaudiis fraudari perennibus — & insuper nunquam terminandos dolores vilissima & brevissima delectatione mercari — o quam *magnum & amarum* vtrumq; est! & quidem primum 2*do* maius — ipsimet dæmones fatentur qui pro instantanea intuitione DEI, parati essent infinita tormenta æternùm subire. — Hinc vel ab infernalibus furiis tuo damno disce passiones reprimere ne te opprimant — nec differendum est quia tempore adolescunt. — Disce cum quanta discretione vsurus es creaturis? intantum scilicet, inquantum tibi prosunt ad salutem — ne tibi officiant in via *ad Cælum* quæ *pro scala* servire debuerant — monente scriptura

Jer: 2.

Philo lib de præmijs

ptura: *Non declinabitis neq; ad dexte-*
Deut. 2. *ram neq; ad sinistram* — *sed per viam quam praecepit D. DEVS vester ambulabitis* — *& bene sit vobis.* — Viator es, viatoris modum tene qui non quae jucundior via, spectat, sed quae rectior ad Patriam, arripit — non amaenioribus detinetur, nec facile ad extra deflectit, sed rectà ad destinatum
Luc. 10. tendit terminum — *fac & tu similiter* — vt tutius & faelicius ad Paradisi portas pertingas. — Quid haeres? quid haesitas? — viamq; tibi ad beatitudi-
Psal 93. nem difficilem fingis *qui fingis laborem in praecepto.* — A te iam exire debes vt ad illum pervenias — qui principium tuum & finis est — eo vicinior illi fies, quo remotior à teipso fueris. &c.

Proh pudor! quam aliter ipse vitam hactenus impendi, qui ad hominem argumentor — quoties Fini media anteposui — quoties à Fine vltimo
Ps. 118 *sicut ovis quae periit aberravi!* — vagando per devia ductu inordinati appetitus & perversissimae voluntatis meae! — Ah pudet me mei — & vndiq; *te-*

nent

nent me angustiæ quia *præ multitudine* 2. Reg. 5
iniquitatis meæ quo me vertam nescio.
— At tu *errantes reducens DEVS* pro
solita misericordia Tua *Deduc me in*
semitam mandatorum Tuorum quia ipsam Psal. 118
volui — salva vnicam meam — nec me Psal. 21
damnari permittas quem pretioso san-
guine redemisti — iam enim deinceps
ita rebus externis me vsurum appro-
mitto, vt cordi minime inhæreant —
nec me á Fine proposito dimoveant
— Hic est scop⁹, hæc meta votorum
meorum, ad Te pervenire principi-
um & finem meum — & optatissi-
mum centrum animæ meæ. &c.

Finita Meditationis hora, gratias ages DEO iuxta formam § 3. *Cap. 8.* quod te dignatus sit audire, favores, instinctus, lumina & affectus subministrare, tuosq; defectus in conspectu suo tolerare: quos examinabis, *iuxta dicta ibidem*, de illis dolebis & in subsequentibus Meditationibus majorem propones applicationem. Tandem diligenter intra temetipsum inquires, quænam sit illa creatura quæ te maxime avellit ab vltimo Fine, vt eam á tuo expectores amore, & media serio conquires quibus eiusmodi finem consequaris. Ultimo Resolutionem notabis quam præconceperas ex Meditatione in vim beneficij creationis ad tam excellentem finem, adjunctis quibusdam motivis & luminibus, vltra modum *de conscribendis Resolutionibus superius* suppeditatum; quod to-

tum

tum propriis verbis (si tibi non suppetunt alieni flores] conficere poteris v.g. in præsenti materia: *vt rectius ad meum redeam principium diurnas meas actiones ad Finem vltimum solicitus ordinabo; tum ex gratuito Finis vltimi amore; tum ex Fine salutis animæ meæ* Ultimo ex fonte intrinseco Meditationis *ROSETVM* tibi conficies, & identidem per diem subodorabis v. g. ex Psalmista sic:
Ps: 38. *Notum fac mihi Domine Finem meum vt sciam quid desit mihi.*

PRAXIS II.

De Peccato Mortali.

Populus iste peccavit PECCATVM MAXIMVM. Exod. 32.

INprimis præparatio præmittenda erit *iuxta dicta de Fine Vltimo* præsertim ex *§ 1 Cap. 8.* & vbi erunt lineolæ immorandum.

Præl. I. Cogita te coram DEO velut coram Iudice stare multorum talentorum reum, adeoq; catenis & compedibus onustum lictoribus circumseptum, & ab his ad locum supplicij conducendum.

Præl. II. Pete lumen ad cognoscendam enormitatem, gravitatem & multitudinem peccatorum, & serium dolorem de illis, cum detestatione & proposito efficaci quibus ea diluas.

CONSIDERA I. Peccatum mortale esse offensam DEI & contemptum

ptum DEI, rebellionẽ creaturæ, conjurationem cum dæmone contra supremum Mundi Principem. Quid dictum anima mea quid dictum? peccatum est offensa DEI? – contemptus DEI? – Ergone DEUS *similis hominibus* vt offendatur? – vt contemnatur? – Quid est DEUS? nonne Majestas immensa? – nonne pulchritudo summa? – nonne bonitas infinita? – nonne potentia invicta &c – ista ergo potentia injuriatur? – bonitas offenditur? – pulchritudo contemnitur – Maiestas polluitur? – Et à quo? ab vna ingratissima creatura, – ab vno *verme & non homine* – ab vno turpissimo peripsemate ab vno *nihilo & non substantia.* – Propter quid? propter vnicum duntaxat honoris punctum – propter vnam bestialem delectationem – ob vnicũ lucri pilum – imò quandoq; absq; vllo lucroso interesse ex mera consuetudine & DEI despectu – Sed quid si hoc etiam esset? *quid prodest homini? – si vniversum mundum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur?*

Luc. 12.

Psal. 21.

Matt. 16.

tur? – revera nullum eſt lucrum vbi ſalutis eſt damnum, – nihilominus hoc nullum ſummo Bono præeligitur – ſumma DEI iniuria adeo parvipenditur? – *Ah hæc obaudita exhorreſcit animus* – ad tam reſolutam temeritatem palpitat ſenſus.— Si de *crimine læſæ Majeſtatis* terrenæ tractaretur, poſſet forte excuſari petulantia, nec tantopere aggravari delictū — ſed quia DEUS offenditur — ſummus deſpicitur — nobiliſſimus contemnitur — quis immobili ſaxo ſimilior non rigeſcat? – quis ad tantum facinus non exhorreſcat?—quis non ſtupeat quod cum tanta reſolutione in ſupremum Numen peccetur acſi contra quoddam ſculptile ex ligno fabrefactum — Indulgentia facit vt genio indulgeas — ſi opprimeret? – ſi fulmine deijceret? ſi ad orcum vt poteſt detruderet, auderes? – quia pius eſt, tu impius? — quia parcit ſævis? quia non occidit, inſanis? — ignoſcentem calcas? quem punientem vereſere.— Siccine redditur honor debitus tantæ Maieſtati tantæ

— tantane gratitudo pro tantis beneficijs rependitur? — taline pretio *Pretium sanguinis* JESU Christi persolvitur? — O dura nimis compensatio! O stolidissima permutatio! &c. Matth. 27

Mirum est quod adversus omnes leges gratitudinis animam tuam pro nihilo vendas o homo — quam ille tanti fecit vt pro illa traderet vitam suam! — Considera pretium quo empta est, & videbis rem detestabilem esse, tam levibus de causis posthabere illam — & incurrere cum filiis Agar durissimam servitutem peccati — mortis — & inferni quo velocissime curris. — Ecce iam *denigrata est facies* tua peccatis *quasi carbonibus desolatorijs & jaces infixus in limo profundi.* — Usquequo secundum duritiam tuam *& impænitens cor* resistes bonitati infinitæ, *thesaurizans tibi iram in die iræ iusti judicij DEI?* — vsquequo inquinabis animam tuam sordibus peccatorum, quæ *multiplicantur sicut arena maris?* — vsquequo aggravabis cor tuum, *sicut aggravavit Ægyptus nolens converti* ad magnitudinem inspirationum 1. Paral. 5. Thren. 4. Psal. 68. Rom. 2. 1. Reg. 6.

onum & prodigiorũ Dei? — Quando tandem scelerum tuorum tibi finem impones? — Numquid non timebis amplius
Io. 5. *peccare ne deterius tibi aliquid contingat?* — Adhucne in graviora prorues? — nec cessabis repugnare impulsibus Divinis qui descẽ-
Psal. 71. dunt in animam tuam *sicut stillicidia stillantia super terram?* — nec insanire cavebis, contra Dominum vni-
1. Cor. 15. versi qui *in momento in ictu oculi corpus & animam* tuam *potest perdere in gehennã?* — *Novissima hora est* monet
1. Io. 2.
1. Cor. 7. Joan: cũ iam præterierit *figura mundi* quam vellet inclinatus ad malũ appetitus tuus — atq; ita cito evanescunt illicita gaudia quibus contra legem Dei delectaris. — Et quid optabile tibi esse potest in voluptatibus Mundi quæ dum quæruntur, fatigant? — cum acquiruntur infatuant — cum amittũtur excruciant — & continuũ *Væ animæ peccatrici* in-
Isai. 1. generant — idcirco terrores mortis militant adversus eam — & dolores inferni inveniunt illam. — Irascuntur ei catuli leonis rugiẽtes vt rapiant

piant & quærant proiectam à DEO escam sibi — Revertere fili à via per quam *errasti sicut ovis quæ periit* Ps. 118 — & voca multis gemitibus Pastorem tuum. &c.

O me plus quam saxeum qui non ad vnum scelus meum, non ad mille, sed vix non ad infinita minime *contremisco tanquam reus*! — Non credo Divinam vel humanam esse legem, quam non transgrederer ego, in nullo excusabilis *omnium factus reus* — Iacob. 2. Ego sum ille qui iniustissima rebellione DEO bellum indixi — ego conspiratione facta cum capitalissimo DEI hoste dæmone, centies millies *per prævaricationem legis DEUM inhonorans* adorsus sum — & Rom. 2. quod peius est ego versutissimo beneplacito meo satisfaciens, ad meas fæditates DEUM concurrere feci — ipso querulante per Prophetam: *Servire me fecisti in peccatis tuis* — Isai. 43. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* — & per hoc eousq; amaritudine complevi incircumscriptæ bonitatis Oceanum — vt *dolore cordis*

Genes. 6. *tactus intrinsecus* ingemuerit : *Pœnitet me hominem fecisse* — Ah *quid faciam miser?* — *quo tendam? ubi fugiam nisi ad Te DEUS meus* — Deicida ad DEUM — reus ad Iudicem — co-
Ps. 31. ram quo *confitebor adversum me iniustitiam meam* obtinendæ veniæ fi-
Luc. 15. ducia. — *Peccavi in Cælum & coram Te* patientissime DEUS — iam *non sum dignus vocari filius Tuus*, imo
Ierem. 9. nec creatura Tua — *Quis dabit Capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum*, quibus *die ac nocte defleam* omnes miserias meas? — O si cor meum perfidum elideret noxarum atrocitati respondens, animi suspirium! — O si in affectuosissimos singultus prorumpere possem *in a-*
Iob. 7. *maritudine animæ meæ!* — *quia pecca-*
Psal. 56 *vi ei qui benefecit mihi &c.*]

CONSIDERA II. quam abominabilem DEO & exosum omni creaturæ suâ maculâ te faciat peccatū,
Osee 8. iuxta illud : *Abominabiles facti sunt sicut ea quæ dilexerunt.* — Nonne *abominatio est coram Domino* profana-
1. Cor. 3. re *templum DEI quod estis vos* turpi

sacri

sacrilegio ? — apostatare à mandatis eius — & transire ad partes diaboli ? — terga vertere Creatori & converti ad creaturas ? — consequẽter minus appretiare DEUM creaturis ? — præponere summo & æterno Bono, apparens & momentaneum ? — contemnere gratiã eius toto Arabiæ auro imo vniverso Orbe pretiosiorem ? — & è contra *diligere vanitatem* & stercus appetere absq; vllo respectu ad Divinas promissiones — & minas terribiles ? — Quid putas iratum Numen habere qui vnius homuncionis potentiam vel odium tantum exhorrescis ? — Credisne levem iniuriam esse peccare in oculis eius qui offenditur ? — æstimas forte minus inconveniens odisse eum quem amare debuisti ? — & quale putabis scelus ipsum Iudicem convitiis appetere & probris qui *deducit ad inferos & reducit ?* — *Si times eos quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est ?* — & cur *non timebis DEUM, cui perdendæ in gehenna & animæ & corporis sit* pote- Psal. 4. 1. Reg. 2. S. Hilar in Matt Cap. 10 post med.

potestas? — Ab miser quo ruis vbi pudor? vbi Deus! Hic hic iuxta te quē videtem, quem vindicantē non effugies — O insaniam *filiorum hominum!* qui credentes eiusmodi Maximas, tantū
Ierem. 12. malvm audent committere *& nullus est qui recogitet corde.* — Perversissimus mundi genius carpit si in vrbanitatem delinquatur, silet dum DEI
Deut. 32. mandata violantur. — *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?* — *Nūquid non ipse est Pater tuus qui possedit te — & fecit & creavit te?* — *Arguet*
Ierem. 2. *te malitia tua & aversio tua increpabit te, in die illa tremenda quando Cæli mo-*
Eccl. 18. *vendi sunt & terra.* — *Scito & vide quia si præstas animæ tuæ concupiscentias eius faciet te in gaudium inimicis tuis.* — Proinde *sit sub te appetitus tuus*
Genes. 4. *& tu dominaberis illius* — *melior enim*
Prover. 16 *est qui dominatur animo suo, Expugnatore vrbium?* E contra quid miserabilius esse potest quam rationem ancillari sensui? — spiritum carni? — & teipsum effici *servum peccati* — mortis filium — mancipium diaboli — & pabulum inferni?? &c.

Ante-

Antequam consensisses peccato anima tua velut *Filia Sion inclyta pulchra & decora* Divinum in se provocabat aspectum & affectum — nunc autem *vestitu deaurato* charitatis spoliata — habitibus supernaturalibus virtutum exuta — omnibus auxiliis præsidiisq; cæli destituta — protectione DEI & Angelorum orbata — tota *nuda & ignominia plena* — adeò tetra — distorta — & abominabilis facta est — vt similior dæmoni non Divinæ imagini videatur — Ante peccatum particeps erat *omnium timentium DEUM* — nihil in toto Christiani Orbis ambitu fiebat precũ — suffragiorũ — votorũ — austeritatũ — sive in claustris sive in templis, ad cuius meriti sortem non accederet — admisso vel vno peccato axauctorata è *Concilio Sanctorum & congregatione* — exterris — & vaga à facie DEI — atq; â toto fidelium corpore, instar putridæ carnis abscissa — nullam ex operibus vel suis vel alienis, gratiam spemue concilia**t** — O periculosum statum cui medicina non prodest? — O turpitudinem! O ma-

Ps. 44.

Ezech. 23

Psal. 118.

Psal. 110.

o maculam incredibilem? nullo unquam labore & conatu hominum Angelorumq; detergendam? tametsi maria omnia verterentur in lachrymas – Cœlum omne in gemitus – quidquid est sub Cœlo in suspiria – ne sic quidem vel levissimæ lethalis culpæ labem eluere possent? – Imo si quot stellæ in Cœlo – quot stillæ in mari – quot arenæ scrupi in littore, tot essent mundi *in cinere & cilicio*, ad expiandam vel unicam enormitatem peccati, nihil fieret – Quid amplius? absente peccato *nihil odit eorum quæ fecit DEUS*, posito peccato mutatur scena, ita, ut nec Angelus, nec homo tantum, placere possint – sed & Mater DEI, & Filius DEI, si peccare potuissent, dignum fuissent obiectum odii Divini – prout advertit Propheta: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* – Cœlum ipsum fieret infernus cum hac furia furiarum peccato – quod dæmoni quoq; dæmon est – flammis oleum ac bitumen – Quem quæso ista si non plane stipes est, & stipite omni stupidior

Matth. 11. Sap. 11. Psal. 5.

pidior

pidior non percellant??— Hinc nemo vnquam improbum hominem, propter eius turpitudinem vere amavit, si improbum novit — multo minus dignum honore duxit. &c

Sed hæc parva sunt, est aliqvid æternô majus, quod adimit peccatum — DEUM quem perdis — Cælum quo excidis — Angelos beatos — beatitudinem ipsam, tuam si non peccasses, æternam si momento non posthabuisses — O qualem luctũ, cum hæc in oculis quondam erunt! — Egone infelix mercator parvo immensa — caduco æterna — instabili certa atq; mansura postpositũ! — Itane est? DEO caremus summo Bono? — JESU meo & Matre JESU & omnibus bonis? — gaudia illa immensa *quæ præparavit DEUS diligentibus se* mea non sunt? — nec videbo vnquam? — aut si videbo? tantum vt amissa doleant? — O *infernum inferno acerbiorem?* — Ex hac derelictione à DEO consequenter ab Incolis Cæli, sequitur tanta obstinatio voluntatis in scelere, quam nulli inferi — nullæ minæ dimove-

1. Cor. 2.

S. Ioan. Chrisost.

ant

ant — Offunditur sceleratissimæ menti horrifica caligo — succedit immanis quidam ad omnia stupor — exinde durum inaccessumq; cor — & nullis Cœli telis expugnabile — Ridentur omnia — callum obducitur — hinc auxilia diminuuntur — inde hostes, scelera, inclinationes pravæ corroborantur — Parum est? Peccatum nonnunquam in vitam ipsam exitium parat — luxatur corpus frangiturq; voluptatum immoderatâ libidine — hinc infandæ morborum species — hinc visi in ipso flore iam facti senes, labantibus membris & fætidis & effætis — Sed quid dico in *vitam nostram invehit, innumeraq; gignit* mala? DEO bellum indicit — & immortalem ad mortem deposcit — novusq; hic Herodes perditum cupit non infantem in stabulo, sed regnantem in Cœlo — Non placet peccato sceptrum & potestas in vindice — exturbare eum è solio nititur, & si non possit, furit tamen ex odio nimium Potentis, teste Bernardo: *In ipsum (horribile dictu) desævit Authorem*

S. Io. Chrisost. Orat. de S. Philogon. tom. 3.

rem — nam quantum in ipsa est ipsum DEVM perimit voluntas propria — omnino enim vellet DEVM peccata sua aut vindicare non posse — aut nolle — aut ea nescire — vult ergo DEVM non esse DEVM &c. — Crudelis plane & execranda malitia, quæ potentiam DEI Iustitiam, Sapientiam perire desiderat. — En quanta tu in DEUM aulus es ô creaturarum ingratissima!— Quis tu? quis DEUS? — tam parvi tibi est DEUS?— tam magni tu tibi ipse? aut modica sensus tui delectatio? —

Cur quid turpe facis quod me præsente puderes
Cur spectante DEO non magis ipse rubes:

Audi quid dicat Anselmus: Si hinc peccati pudorem & illinc cernerem inferni horrorem, mallem purus & innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus Cœlorum regna tenere — En quã tædum te faciat peccatum, quod tamen non consideras — nec oblatrantis conscientiæ clamorem attendis! — Quæ tua est impudentia tam tenerè te amantem DEUM, cui amore in Cruce morientem tam indigne tractare?—

&

& odia illi indicere â quo amores favoresq; recepisti? — hoccine meruit qui te ad se creavit? vt ei cum tanto contẽptu terga verteres? hoc qui te toties recepit? — & et amoũ expansa habet in Cruce brachia ad te amplectendum vt tu stercora & mundi quisquilias, suumq; æq; ac tuum hostem amplectereris? — Dices forte te offendi turpitudine vitæ tuæ, quid prodest? verbis mala reiicere factis amplecti? — Nemo est tam profligatæ conscientiæ, cui aliquando vitia sua nauseam non pariant, sed cito cum illis in gratiam redit — O quam multa multi proponunt nec exequuntur — plus promittunt quàm præstent — dicunt non faciunt — Et tu ipse ô quoties in arena defecisti qui tot tibi victorias pollicebaris? — enormissime *cecidisti*

Isai. 14. *Lucifer* qui *in monte testamenti* & perfectionis *sedere* tibi fidebas — Deprime iam sub pedes Dei tui superbum Caput vilis creatura — ah etiamnum superbis? — Indigna es quã suis pedibus dignetur JESUS tuus

Con-

Conculcent te damnati omnes & ipsi dæmones quorum tu iniquitates supergressa es — & posthac antequam ad infernum *detraharis in profundum laci*, resolutiones quas facis ad virtutem, factis proba — & tuis propositis fidere noli &c. Isai. 14.
Heu me ego sum talis qui talia in aliis reprehendo — ego sum illud fœtidissimum apostema, è quo continuò stillat putredo intollerabilis ingratitudinis meæ — *Peccavi — & super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates meæ — Non est peccatum super peccatum meum — non est iniquitas super iniquitatem meam* — Orat. Manass.
Vt mirari satis nequeam quomodo impietatem meam DEUS vsq; modo tolerare possit — qui *omnem creaturam in vltionem peccatorum armare* solet — quomodo turpitudinē meā ocul⁹ mundi respicere? — quomodo Cæli suis influentiis me conservare audeant? — quomodo aer respirationi flatum concedat? — cur terra viuum non absorbeat? — & omnes creaturæ fideliter famulentur? — & p.Sa 75
qui-

quidem non alio fine nisi vt eorum
allectus famulitio *seruiam Domino in*
Ps: 2. *timore & tremore magnitudinis eius* —
& ego omnigena commoditate in-
solescens in maiorem licentiam ef-
fusus sum — factusve omnibus crea-
1.Petr. 2. turis *lapis offensionis* — *& petra scan-
dali* per non correspondentiam vo-
cationi meæ — O vtinam Te mi DE-
VS numquam offendissé — vtinam
primo peccato prius extinctus fuis-
sem! — O si in eiusmodi desideriis
& affectibus hactenus perstitissem! —
2.Cor. 1 *O Pater misericordiarum, cur inebriavi*
Thren. 3. *Te absynthio, qui mille benedictionibus
dulcedinis prævenisti me?* — *Pænitet*
Exod. 32. *me peccasse* cupio emendare quod
feci — tantúmodo *quiescat ira Tua*—
*& esto placabilis super multitudine
nequitiæ* meæ O *Domine DEVS
salutis meæ* moriar millies ne semel
peccem — hocq; vnicum instanti-
Ps: 118 sime efflagito *vt non peccem Tibi* —
& si me vides in eiusmodi proposi-
Ps: 72. to deficere posse, tolle me *de terra*
Ps: 68. *viventium*, dele *de libro vitæ* iatius, &
non me permittas facere peccatum—

Ces-

Certum quidem est quia conscius pravitatis meæ *mori timeo quia non sum paratus* — *& vivere erubesco quia non proficio* — Nihilominus *melius est mihi* cum innocente Susanna *mori quam* vivendo *peccare in conspectu Domini* — imò Eleazari exemplū secutus *præmitti me malle in infernum quam prævaricari legem DEI* determino — Interim cum castissimo Ioseph suspirante: *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* omnibus fœditatibus meis sero licet, serio renuntio, &c. S. Bern: Dan. 13. 2. Mach. 6 Genes. 39

CONSIDERA III. quas parturivit miserias vnum peccatum mortale *Primo* in Angelis quos benignissimus Dominus pariter ac homines pro merito gloriæ æternæ *reliquit in manu consilij sui*, provisos ac ornatos innumeris donis gratiæ & gloriæ vt dicat scriptura: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ & decore in delicijs Paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et quia vt homines solent (inde accepta superbiendi occasione quæ inserviendi Eccli. 15 Ezech. 28.

DEO intimius esse debuerat) conversi sunt in arcum pravum & ecce
Ps. 77. immediate addit Propheta: *Videbam Sathanam tanquam fulgur de Cælo cadentem*, ex nunc *superbia*, vel vt alii Theologi sentiunt *Spiritualis luxuria*, vel iuxta alios *inobedientia* &c. Angelos formavit in dæmones – facturas pulcherrimas in abominabiliores larvas – amicos DEI in Capitales hostes – incolas Cæli in inferni mancipia – creaturas fælices in infælicissimas & quidem in æternum. – Si ergo tam benignus Dominus cuius *misericordia*
Iacob. 2. *superexaltat judicium* – qui *infra condignum punit* – qui *dilexit omnia quæ fecit*, primitias operum suorum tam extraordinario decreto pro vno mé-
2. Petr. 2. tali peccato affecit: – *Si DEVS Angelis* [vtpote nobilissimis creaturis] *peccantibus non pepercit – sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos – exemplum ponens eorum qui impie acturi erant*: – Si tam terribilem formavit Processum contra primogenitas creaturas – quid de me

mise;

miserabili homuncione tot scelerum reo, constituet? — *Si omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam retributionem — quomodo nos effugiemus?* Hæbr. 2
— Si quondam *vasa electa DEI* inquinata fæce vnius peccati mortalis *sublata sunt de mensa Domini* — & ad purgandum perenniter infernali igni demandata — quid *de vase iniquitatis pleno* (quale ego sum) pensandũ? Heu me Mater mea vt quid, me genuisti Filiũ doloris & plorationis — filiũ damnationis æternæ, cur exceptus genibus — cur lactatus vberibus — nunc in pabulum, gehennalis flammæ nutrior? Petr. Blef. ferm. 40

Cogita præterea Adamum & Evam pro vno inobedientiæ peccato, de Paradisi deliciis eiectos — Originali iustitia privatos — possessione totius mundi spoliatos — & cum hæ pænarum scintillæ non sufficiant ad eluendam vnius peccati fæditatem — ad satisfaciendum Divino rigori ab vno malo ad omnia mala itum est — terra maledicto tacta — mors tam ipsis sceleris authoribus quam po-

fteris intimata — bella — peftilen-
tiæ — incendia — diluvia — fterilitates
— vaftitates fames — morbi — di-
fcordiæ — lites — ex eadem maledi-
S.Io.Chri-cta ftirpe enatæ — *& quidquid con-*
foft.Orat. *trarii in vitam noftram invehit innume-*
de S.Phi- *raq; gignit* mala, totum inde pullu-
logon. lavit. — Nec mirũ videri debet quia
tom. 5 vnum peccatum non dico mortale,
fed etiam veniale peius eft malum,
malis totius Mundi — iuxta illud A-
xioma: *Minimum maximi* (quale mi-
nimum eft peccatum veniale) *eft ma-*
jus maximo minimi per refpectum ad
malorum maximum ex ordine infe-
riori, quale effet fubverfio Orbis —
Si ergo vnius antiqui ferpentis Ori-
ginale virus, totam maffam generis
humani intoxicavit, fi tot millia mi-
ferorum infantum, gula vnius pomi
confumpfit, Si Proto-Parentis vni-
ca tranfgreffio Divinæ legis totum
Orbem omnibus malis, preffurisq;
replevit — quid cenfendum de pro-
priis vniuscuiufq; innumeris pec-
catis? — quid de me? — qui plenis
labris tot verborũ — quid dico ver-
borum

borum? imo operum & cogitatio-
num *bibi ſicut aquam iniquitatem*— qui Iòb. 15.
impudenter *ſicut canis ad vomitum* — Prov. 26.
velut *ſus ad volutabrum* — centies 2. Petr: 2
millies ad eandem redii *ſciens quod*
non parceret delinquenti — Heu quam Iob. 9.
grandia mala mea! — *Neq; iniquitas*
mea neq; peccatum meum: ſine iniquitat Pſ: 58.
te cucurri & direxi &c.

Cogita inſuper *Regem Cælorum &*
Dominum Angelorum propter larvam
alieni peccati *factum eſſe maledictum* Gal. 3.
— adeoq; tanta paſſum quanta nec
omnes Martyres — O quantum exi-
get rigoroſa Dei iuſtitia pro tot tan-
tisq; meis delictis! — quanta cum
ſeveritate illa vindicabit? — quam
ſcrupuloſe vſq; *ad noviſſimum qua-* Matth. 5.
drantem æterno puniet ſupplicio? —
Si enim *vnigenitus Dei Filius* — *figura* Ioan. 3.
ſubſtantiæ ejus — conſors Paternæ Hæbr. 1.
gloriæ — *ſpecioſus præ filijs hominum* —
vulneratus eſt propter iniquitates no- Pſal. 44.
ſtras — *attritus eſt propter ſcelera no-*
ſtra — adeo vt *non ſit ei ſpecies neq;* Iſai. 53.
decor — ideoq; *virorum noviſſimus*
habitus — & *cum ſceleratis* velut
lepro-

Ifal. 21. *leprosus reputatus est – opprobrium hominum factus & abjectio plebis – qui peccatum non fecit* pro alienis culpis tantum pertulit – puid putas misel le homo quanta te maneant pro tantis, & quidem propriis tuis sceleribus, qui *umbra & pulvis es?* – Hæc re cogita & contremisce ad horrendam enormitatem vnius peccati mortalis – quod non potest cancellari toto sanguine vllius puræ creaturæ quantumcunq; infinitè dignæ – solius DEI redemptione opus habet – Hoc ho solum pretium peccati est, Sanguis DEI – vita DEI – mors – Crux – Anima DEI – O Malum malum quanto Sanguine stetisti &c.

Finita Meditatione concludes iuxta dicta Cap. I. § 3. facto examine in quænam peccata crebrius impegeris, contra quæ media conquires, & Resolutionem cum suis Motivis & luminibus, certis limitatam clausulis formabis sic, vel similiter.

Paratus sum mori magis quam prævaricari legem DEI. 2. Mach. *Propter amorem Domini mei IESU CHRISTI quem vidi* Brev. Rom. 21. Ian (per contemplationem) *quem amavi in quem credidi, quem dilexi.* vel sic

Ps. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum lachry,*

lachrymis meis, saltem semel de die *recogitans omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Propter multitudinē iniquitatū mearū.* Rosetum idem qui lamenta suggerit Psaltes. *Averte faciem Tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* vel: *Ne reminiscaris Domine delicta nostra neq; vindictam sumas de peccatis nostris.* Isai. 38. Ps. 50. Tob: 3.

PRAXIS III.
De Peccato veniali.

DElevi vt nubem iniquitates tuas & quasi nebulam peccata tua. Isai. 44.

Præparatio præmittenda iuxta *del. de Fine vlt.* præsertim ex § 1. Cap. 8. & vbi lineolæ immorandum erit.

Prælud. I. Cogita te stare super *puteum abyssi* strictis vndequaq; circumseptum gladijs, ita vt si te vel minimum moveres, in momento in Chaos infernale præcipitareris vel *gladio vltionis* mortaliter transfigereris. Apoc. 9

Prælud. II. Roga DEUM vt te faciat cognoscere gravitatem peccatorum venialium & ab illis abhorrere.

CONSIDERA I. Etiam peccatum veniale in suo genere esse offensam DEI iniuriam DEI – & con-

temptum legis eius — adeoq; non tam leve credas quo DEUS contemnitur — nec parvum dicito quo Optimus Maximus offenditur — docente Hieronymo: *Non est in peccatis levibus considerandum quod sint parva, sed quod magnus sit DEUS cui displicent.* — Si leve putas leviter contemnere DEUM, levia erunt omnia mala mundi quorum nec minimam partem tolerare potes — hæc enim omnia vnum veniale superat malitiâ — hinc metire gravitatẽ vel minimæ culpæ venialis iuxta Augustinum: *Levius malum esset si vniversus Orbis funditus everteretur — & omnes omnino tum homines tum Angeli annihilarentur — quam si vnum peccatum levissimum committatur* — ex quo maxima creaturarum mala, sunt infinitè minora respective ad DEI iniuriam — ex præasserto iam axiomate: *Minimum maximi est maius maximo minimi.* — Imo vnius venialis malitia tanta est, quãta non est bonitas in omnibus totius vitæ etiam longissimæ bonis operibus — nec omnium mundi

malo-

malorum cumulativè accepta, miseria — Et si crudum hoc videtur, crudius & maius ex aliorum sensu peccatum veniale crede, cui appingunt malitiam infinitam — & tantum adscribunt imperfectionis & malitiæ quantum bonitatis & perfectionis non attribuunt quorumcunque Iustorum bonis operibus — Qua ratione ergo peccatū veniale paruū dices, quod te ex nullo fundamento relevare videtur? — quomodo leve putabis quod in lance Divinæ iustitiæ præponderat omnibus *saeculi malis*, pressuris, & angustiis? — vnde hoc quæris? offensa DEI est. — en montes — en asinaria mola suspensa collo — Hinc recogita infinitam bonitatem DEI, quod te tantis onustum peccatis vsq; modo toleraverit? — quod te (iuxta illud: *Væ qui spernis nonne & ipse sperneris — cum fatigatus desieris contemnere, contemneris*) non *proiecerit à facie sua* — nec pro illis deleverit *de terra viventium, &c.*

Io. Bus. Medit de pecc ven. punct. 1.

Isai. 33.

Tu

Tu nec minimum peccatum pro maximo Cæli lucro admittere debueras — etiamsi cum illo evacuare posses infernum — & reparare ruinas omnes Angelorum — & sphæras Cælestes, ne cadant in obscurum v. g. cum tota Cæli Curia ab impracticabili exterminio præservare — & (at) en proh dolor! quot & quanta pro vna nuga — pro modico tui solatio &c commisisti? — quoties pro temporali interesse æterna bona commutasti? — quoties in gratiam bestialium sensualitatum, Divinas inspi-
Ier. 30. rationes contempsisti — dirupisti vin-
Osee. 11. cula ejus qui vinculis charitatis attrahit te miserans, & dixisti: Non ser-
Ier. 2. viam. — O bone DEUS si homuncio à nobis ametur, nec semel eum leviter offendimus — & Te infinitè amandum septies imo millies vnaquaq; die offendere nec erubescimus nec timemus! — O quæ tua impudentia anima mea ingratissima! — Haccine reddis Benefactori Tuo? —

Cre-

Creatori — *& Salvatori Tuo?* — quovis; *bibes sicut aquam iniquitatem?* — Iob. 15.
num in æternum peccabis? — Heu *quomodo apparebis in conspectu Domini?* — *in concilio iustorum & congre-* Ps. 110
gatione tot sordibus defædata? &c.

Sordes eius in pedibus eius lamenta- Thren. 1
batur de quadam Propheta — & quomodo *partem cum Domino* obtenturu me confido qui *non tantum ma-* Io. 13.
nus & pedes habeo inquinatos peccatis — sed hucusq; omnibus membris quæ *ad serviendum Deo viventi* con- Hæbr. 9
cessa sunt — centrum omniũ bonorum — *Dominum meum & DEUM meum* offendere non desisto? — Forsi- Io. 20.
tan hæc non nocebunt quia parva sunt? — nonne parvæ arenulæ magnam demergunt navim? nonne parvæ scintillæ ignis, magnum excitant incendium? — imo quod scintillæ hoc & scintilla potest, & hoc plerumq́, vnum peccatum quod pleraq; — hoc enim licèt parvum videatur per respectum ad mortale, sicut lacus v. g. ad Oceanum, in se nihilominus magnum est & pondero-

fæ

ſæ æquivalens catenæ (quod inſipienter reputatur pro tenui filo—) ex quo pertrahere valet *in profundum laci.* — An leve putabis quod Sancti innumeri omnibus inferni pænis prætulerunt — eligentes potius mortē æterna mori quam vel minimo veniali fædari? — Numne parvum illud eſt quod miſericordiſſimus DEus *diſſimulans peccata hominum propter pænitentiam* vocat in Iudicium? — contra quod non obſtante illa iuris Maxima: *Minima non ponderat Prætor, facit* formare rigoroſum Proceſſum — Non eſt parvum quod (quāquam ad tempus) privat ſummo Bono — nec leve dici meretur quod acerbiſſimis idq; diverſiſſimis totius inferni pænis exolvitur. — Mortali æquale videtur ſi obſerves quod in præſenti vita diſſenſiones excitet & bella — infirmitates cauſet — dolores multiplicet & afflictiones — inquietudines mentis & ariditates generat — Divinâ privet præſentiâ — pace & tranquilitate quæ eſt fructus bonæ conſcientiæ ſpoliet — fervorē chari;

Iſai. 14.

Sap. 11.

charitatis & favores Divinos diminuat vel adimat — cœlestia fastidiat — terrena appretiet — Vide ergo quid mensuret maioritatem mortalis à veniali, nisi sola æternitas — veniale solâ æternitate minus est *inferno inferiori &c.* Ps. 85

CONSIDERA II. Peccatum veniale esse velut quandam infirmitatem, quæ ad præsens causat languorem, pallorem & fastidium rerum, alioqui iucundarũ, & in futurũ mortem comminatur; — sic veniale causat langvorem quia hominem ad bona spiritualia negligentem vel impotentem reddit — pallorem; ex quo diminuit fervòrem charitatis, quæ illum ad superna excitet & inflammet, — nauseam spiritualium; quia *non quæ sursum sunt sapit, sed quæ super terram*, terrena cœlestibus antepónendo magis — consequenter [quod peius est omnibus malis) disponit ad mortem animæ, quæ est peccatum mortale — *qui enim spernit modica facile decidit* ad maiora — sic per vnum peccatum sternitur, ad aliud Coloss. 3. Eccli. 19.

ud & quidem ad gravius via. — Quisquis ergo times infirmitatem corporalem vtpote mortis prænuntium — quam vt fuges vel fugias tot adhibes curas — medelas — servitia, — incommoda pateris — vel nativo pudori violentiā inferendo — vel gustui amaris & fætidis potionibus præiudicando &c. attende quantum faciat in te amor sanitatis, & non efficiet plura amor sanctitatis? — si tantum laboras ad curandā infirmitatem corporalem, quid non agere debebis ad depellendam vnam febriculam spiritualem? — quæ non vitæ temporalis tantum, sed æternæ infert tibi iacturam? — Melius tamen facies si *principijs obstabis* ne vllum peccatum deliberate committas — si à longe occasiones perspicias & ab eis *elonges fugiens* — nam expost *sero & incerta medicina paratur.* Veniale stuppa est, palea est, qua accenditur focus gehennalis — veniale *sicut ny-*
Ps. 101. *cticorax in domicilio* figuris & vmbris mortis delectatur — vel vt il-

la præſaga mortis avis, *bubo ferale canit* — & inevitabile fatum (vtinã ſaltem non vltimati per ſæcula ex- exterminii) prænunciat — o horrendam gravitatem culpæ venialis! — o chymeram infernalem! veniale diceris & ſine venia ad pares noxæ mortali pænas trahis — *Nomen habes quod* parcas, ſed plerumq; perimis.— velut *anguis in herba* verſutiſſime agis, acſi ſcias *plus eſſe periculi in inſidiatore occulto quam in hoſte manifeſto* — adeoq; ne tuam monſtruoſitatem caveant mortales *caput draconis* tegis, vtcunq; blandâ caudâ ſerpentis— O Deus bone quo pervenit noſtra fragilitas! quod tantis involvamur labyrinthis — quod tot tantisq; captionibus irretiamur & laqueis. &c Apoc. 9

O *miſericordiarum Pater* ecce me tot culparũ reũ eſſe cognoſco & profiteor — & quod pei⁹ eſt de his omnib⁹ non ſatis propter Te doleo,& quod peſſimũ:amplius & amplius cum tanta facilitate peccare non erubeſco.— O anima mea deſine nimium eſt— Non decet Religioſum; plebeium

DEI

DEI servum esse, solo metu ab iis abstinentem quibus annexa est infernalis pœna; – nec amantis Filii Patrem est, gravem culpam in eum abhorrere, levioribus exulcerare – etiam leve peccatum committere cave, *ne forte auferat* (Dominus) *vitam* Eccli. 19 *tuam* – alioqui ob consvetudinem tuam *statim in foribus peccatum aderit* Gen. 4. & post peccatũ interminabilis mors – iuxta illud terribile Hilarii fulgur: *Desperata die Dominus adveniet, eumq̃ à bonis quæ spoponderat dividet – portionemq̃ eius cum hypocritis in pæna æternitate constituet – quia adventum desperaverit – quia mandatis non obtemperaverit – quia præsentibus studuerit – quia vita Gentium vixerit &c.* Comment. in Matth. Cant. 26. in fin.

CONSIDERA III. In præsenti vita non esse maiorem pænam morte temporali, hæc enim est malorũ mundi compendium & epitome; nihilominus ex revelata in scripturis veritate pro vno veniali infligitur. – Patet exemplo cuiusdam viri 3. Reg. 13 *DEI* qui dum contra prohibitionem Divinam cibum sumpsisset in via quan-

quanquam circumventus ab alio, occisus occubuit à leone. — sic Oza, 2.Reg.6
ob minus reverentem tametsi necessarium contactum Arcæ DEI, dum recalcitrarent boves, lapsus in terrã subito expiravit. — sic Ananias & Act. 5.
Saphira propter mendacium coram D. Petro cõmissum, instantanee extincti sunt. — Imo etiam vnius venialis noxam plurium morte temporali vindicari à DEO, compertum est in Ezechia, qui pro vana osten- 4.Reg. 20
tatione sui thesauri punitus est in filiis = & David ob vanam gloriã 2.Reg 24
de multitudine sui exercitus quem numerari iussit, plurium morte afflictus est — quod ipsum Lucas expressit dicens: *Putatis quod hi Galilæi* Luc. 13
præ omnibus Galilæis peccatores fuerint quia talia passi sunt, non dico vobis sed nisi pœnitentiam habueritis omnes simul peribitis. — Si ergo minus prævisum viri DEI inobedientiæ peccatum, mortem sibi causavit — si Ozæ minus cauta irreverentia, in momento vitam abstulit — si Ananiam & Saphiram mendacium ad pedes Pe-

tri exanimes proſtravit – ſi vna oſte-
tatio Regiæ fortunæ, Ezechiæ filios, & parte Exercitus Davidis ad mortem damnavit —— Si Galilæorũ preſſuræ veniales noxas aggravare videntur – & pro eis mortis minas aliis, pro certo incutiunt? – quid de tuis & quidem tot deliberatis inobedientiæ actibus, concludes? – quid de multiplicatis *in domo Domini* irreuerentiis? – & quod maximum eſt, non de temeraria contrectatione Arcæ DEI, ſed de indigna tractatione Myſteriorum eius, non timebis? —— quid de pompatica contra Religioſum ſtatum oſtentatione & inani fumo? – quid de mendaciis non iocoſis tantum, ſed pernicioſis? – quid de aliis infinitis peccatis? – revera vna mors non ſatis eſt niſi ſit æterna —— nec tuorum omnigena ſufficit afflictio, niſi forte totius Patriæ tuæ – vel ad minus Congregationis tuæ per annos & annos continuata calamitas – & forte etiam finale, quod inſtat exterminium —— Revolve annales quoties vnius ob culpam, re-

gna

gna in exitium data — hic millia peste consumpta — hic diluvio populos — hic incendio vrbes — Quodsi in hac vita quæ misericordiæ stadium est, tanta atrocitate sævitur, quid in altera sperandum? &c.

Quis iam dicat levem tuam culpam, pro qua te per semidiem, vivum vstulari oporteat — quidsi totius vniversi pænis eam vindicari necesse sit? — quidsi cruciatibus inferni dilui? — quidsi non morte propria tantum, sed aliorum quam plurium, eam exolvi adsit obligatio? — O malum malorum etiam venialem noxam! quid de mortali dici non potest? — cuius miseriam nunquam satis defleres, tametsi haberes *tot oculos* quot in toto corpore poros; & continuo diu noctuq; per vitam etiam longissimam fleres — Ergo *nos qui vivimus qui relinquimur*, 1. Thes. 4. *qui residui sumus, quasi à facie colubri* Eccli. 21. *fugiamus peccatum*, etiam ueniale, maxime deliberatum — ne nos astutius emendita specie incautos decipiat — *& benedicamus DEVM Cæli*

& omnium viventium Dominum quia
Psal. 88. *fecit nobiscum misericordiam suam* ita vt *cantare* possimus *misericordias*
Thren. 3. *Domini* cum Propheta: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti*; ob innumera peccata *mediâ vitâ* in morte existentes. – Interim *dum tempus*
Galat. 6. *habemus operemur bonum, ne* nos *tenebræ* æternæ damnationis *comprehendant.*
Ioan: 12.

Claudes Meditationem juxta dicta *Cap.* 8. § 3. Reliqua, vt Resolutio, Rosetum, Examen, Motiva & lumina, ex Meditatione anteriori, de Peccato Mortali, subservient.

PRAXIS IV.

De Morte.

Peccatum generat MORTEM.

Præparatio solita præmittatur *ex dictis sup. de Fine Vlt.* præsertim *ex Cap.* 8. *S.* 1. & vbi sunt lineolæ pausa servetur.

Prælud: I. Cogita te morti proximum ideóq; extensum super lectum, astantibus vndequaq; circumfusum, candelam mortalem in manu tenentem, vocem illam auscultari: *Dispone domui tuæ*
Isai. 38. *quia morieris tu & non vives.*

Prælud: II. Pete tibi dari nunc pro semper vivam mortis apprehensionem & horrorem, qualem *instante resolutionis tuæ* instanti, habi-
2. Tim. 4. turus es,

CON-

CONSIDERA I. Jndiſpenſabile mortis fatum ex doctrina Pauli: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Iudicium,* — O Deus bone quanta mala hominem *capiunt in interitu ſuo?* — O quæ plaga tunc erit! & mortem oppetere — & terribile ſubire Iudicium — Quanta afflictio amicos relinquere — quæ habes amittere — patrias ſedes deſerere — & *in regionem longinquam* — ignotam horrore & mærore plenam. — *peregre proficiſci* nunquam rediturus? — Quam putas tribulationem fore aduitalitium ſocium, carnem dico tuam quam velut quoddam idolum honorifice tractaſti — tam delicate nutriviſti — tam ſuperbe excogitato cultu veſtiviſti — ſacroſancte *ſemper ritu novo* foviſti — tunc pallidam — fœtidam — horridam poſthabere — congenitam amicitiam cum ea re, ſcindere — ſtrictiſſimum identitatis nexum diſſolvere — Quid te juvabunt tunc Medicorum conſilia? aut apothecarum remedia? — quid proderunt conſanguineorum & amico-

Hebr. 6.

Luc. 15.

rum lachrymæ? – quando solius Dei discretioni, discussioni, & disquisitioni relinqueris? – *Crede Evangelio:*
Marc. 1. Matth. 24 *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mũdi usq; modo neq; fiet.* – etiã pagano Philosopho idem sentiente: *Omniũ rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius.* –
Arist. 3. Ethic Cap. 6. Si saltẽ experiri liceret quænã sit illa Patria ad quam perrecturus es – quam humani Incolæ – aut dissimiles mores &c. – qualecũq; transmigrationis tuæ posses habere levamen – sed migrare hinc & in incertum tendere – avelli à terrenæ habitationis residentia – & quo perventurus es ignorare – o quam dolorosa valedictio! – Quanta calamitas sævissima morte ad perpetuum exilium damnari! – mundum deserere & à mundo deseri – omniũ possessione spoliari – omnium creaturarum usu privari – singulorum membrorum dolore torqueri – potentiatũ & sensuum administratione destitui? – O quam grave tibi erit, prudentia – doctrina

tor-

— forma — fortuna nudatum de patriis Penatibus eliminari, ita plane sicut *nudus egressus es de vtero Matris* Iob. 1.
tuæ — & vniversaliter ab omnibus separari quæ ardenter hactenus amaveras. — *O mors quam amara est me-* Eccli. 14.
moria tua? — & quomodo amara non erit ipsa præsentia *homini pacem habenti in substantijs suis* quas adimit — Eccli. 41
in deliciis quibus spoliat — in *omni-* Thren. 1.
bus Charis ejus à quibus separat — in seipso quem exdimidiat? — *Siccine* 1 Reg. 15
seperas amara mors, Filiam à Matre sua, S. Hier. lib 3. in Matt.
nurum à socru & inimici hominis dome Cap. 19.
stici ejus quem abominantur — quē Psal. 113
fugiunt — quem *in terra oblivionis* sepeliunt &c.

Si insensata bestia (bovem intelligo) ab altera cum qua communē portabat iugum, separetur, non sine doloris vehementia mugit validissimè; non satis capio quomodo tē boare non oportuerit dum *de terra* Psal. 141
viventium te videris eliminandum? — quomodo tunc non animo concides à mortis latrocinio fædissimē deprædatus, qui *super astra Cæli* te Isai. 14.

gradiri ſperabas ? — O tyranna mors quæ non modo adiacentibus privas ſed inſuper dignam DEO fabricam hominem in partes ſcindis — quæ non adunaſti dividis — quæ non poſuiſti tollis — adeoq; non ſine præiudicio clementiæ, Parca vocaris, cum nulli parcas — indiſcriminatim

Pauperum tabernas Regumq; turres
Æquo pulſans pede —

Apoc.14. O durum *mortis imperium !* quæ nec precibus flectitur — nec pietate movetur — nec ducitur ratione — nec potentia deterretur — nec corrumpitur pecunia — ſed vna falce omnes ſine vlla aſſiſtentia — ſine mente — ſine cerebro — cæca — manca — ſurda cum ſit — ſuæ ſubigere ſatagit ſervituti — O quam horrendum eſt in tam defectuoſæ larvæ incidere laqueos ! — quàm doloroſum in vnius lavernionis cedere poteſtatem ! —

Rom.7. *Infelix ego homo quis me liberabit*
Pſal: 88. *de corpore mortis hujus ?* — imo *quis eſt homo qui vivit & non videbit mortem !* — *eruet animam ſuam de manu inferi ?* — O miſerrimam ſortem ho

mi-

minum! *quotidie morimur* — *& quasi aquæ dilabimur* omnes — *quotidie enim demetitur aliqua pars vitæ* — quæ ex sensu Greg: M. *nihil aliud est quam quædam prolixitas mortis* — ex mente Jobi *Ventus* qui cito transit — *umbra* quæ cito fugit — Sapientis effato *umbræ transitus* quæ velociter percurrit — Psalmistæ oraculo *fumus* qui in ictu evanescit — *fœnum* quod in continenti exsiccatur — ex allegoria Isaiæ *flos* qui ex nunc exarescit — & vt docet S. Jacobus Apostolus: *Quæ enim est vita vestra? vapor est ad modicum parens* & deinceps exterminabitur — vno verbo: vita humana: *Nihil est* dicit *Iob. nihil enim sunt dies mei* — prout & omnia per Divinum Psalmographum nihilo mensurantur: *Et substantia mea tanquam nihilum ante Te* — quæ vix oritur, citius extinguitur, *quam à texente tela succiditur* — adeoq; fragilis est vt ne quidem vitreo vasi æquiparari possit, — vnicus siquidem ventus — vnicus solis radivs — vnicus frigidæ haustus — vnicus spirantium flatus — vnicus mo-

2. Reg. 14
Senec.
Hom. 37. in Evang.
Job. 7.
Iob. 14.
Sap. 2.
Ps. 36. 101
Ps. 36
Isai. 40.
Iac. 4.
Iob. 7.
Ps. 38.
Iob. 7.

rientium halitus — non illa & cum illa omnibus privat & spoliat. &c.

Eheu quam fragilis — quam misera — quam momentanea est præsens vita! — Quid diligis o *vanitati similis*
Ps. 143. *homo?* — quare ad veram vitam non properas nec illam curas? — ut quid te fundas super terram vt *addas do-*
Ierem. 45 *lorem dolori* tuo? — cur tantopere a-
Prover. 10 varus es vt *thesaurizes tibi thesauros impietatis?* — *Quid superbis terra*
Eccli. 10 *& cinis?* — nonne brevi *concidet ca-*
Isai. 14. *daver tuum* — *detrahetur ad inferos superbia tua?* — ubi *subter te sternetur tinea* — *& operimentum tuum erunt ver-*
Eccli. 10 *mes* — *cum enim morietur homo hæreditabit serpentes & bestias* — *& vermes* — Ah misselle corrige vivendi stylū — muta modum — & dum tibi aliquod *Nunc* subest, libenter ipse relinque inanes curas & omnia, antequā relinquaris — ut cum venerit mors nihil in te inveniat quod abrumpere possit — curam autem præcipuam animæ impende vt quæ excellentia prior est, non sit cultu posterior —
Ps. 50. ideoq; *corde contrito & humiliato* deplora

plora miseriam tuam cum Jobo: *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? – dimitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non revertar – ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine – terram miseriæ & tenebrarum – vbi vmbra mortis & nullus ordo – sed sempiternus horror inhabitat – Remitte mihi vt refrigerer antequã abeam & amplius non ero, &c.* Iob. 14. Psal. 38.

CONSIDERA II. *Statutum semel mori.* Si altera vice liceret mori, possemus forte inevitabilem in moriendo errorem corrigere, sed semel mori & ignorare quando? –& quomodo? – o quæ tortura animi tunc erit? – Actiones difficiles & inusitatæ pro prima vice nunquam solent cedere bene, ideoq; assignantur probæ, vt eveniant bene; Et quid magis difficile quàm mori? – & quid inusitatum magis quam mori bene? – quapropter *quis non timebit* mori? Amos. 3. – Si cui darentur tres dies hoc pacto vt si quartâ metam attingeret, se Regem Poloniarum cum Leicone

II. inaugurari ſperaret; è contra ſi à meta aberraret velut Regiæ ſupplantator fortunæ, vel equis raptandus vel igni cremandus daretur, nonne homo eiusmodi in *arcu & ſagitta* ſe exerceret? — nonne diverſas artes tangendi centrum, fortunæ probaret — nonne ſe ſine ceſſatione iteratis jaculis ad recte dirigendas manus habilitaret? — Tu forte ne quidem tria momenta habes ad mortis metam, & tam ſecure vivis quaſi nunquam moriturus? — ad mortē non tantum non reflectis, ſed ne quidem de ea ſomnias? — reliqua momenta uitæ quæ tibi pro diſcenda arte bene moriendi indulta ſunt, fingis eſſe æternitatem — eaq; impendis *in vanitates & inſanias falſas* — cum periculo amiſſionis non vnius regni terreni, ſed cœleſtis — vitæ æternæ — & totius boni quod deſiderari vnquam poteſt, — & quod plane infeliciſſimum eſt cum reatu interminabilis pænæ, damnationis perpetuæ — *Ah quando tandem* (ſuſpirat Auguſtinus) *tantum DEO quantum*

Iudith. 5. Pſ. 39.

tum mundo! — tantum Cœlo quantũ terræ — tantum virtuti quantum vitijs fragilitas humana famulabitur &c.

O miram mortalium cæcitatem! qui in rebus transitoriis tam soliciti sunt & providi — in salutis negotio adeo se tepidos probant & pigros, vt nec attendant quo tendant — minime reflectentes ad illud: *Si cecideret lignum ad Austrum aut ad Aquilonem in quocunq; loco ceciderit ibi erit* — nec æternæ veritatis præmonitionibus permoventur: *Estote parati quia quâ horâ non putatis Filius hominis veniet* — ut si forte *in 2da vigilia* (quæ est symbolum non minus licentiosæ quam vitiosæ juventutis) *veniat* — eos ad æternæ felicitatis nuptias introducat — *& si in 3tia vigilia* scilicet in virili ætate *venerit, & ita invenerit* pariter *beati sunt servi illi* — Hinc non gratis *vigilare nos Dominus admonuit: Vigilate quia nescitis diem neq; horam* — *ne vos mortis tenebræ comprehendant* — quasi diceret: Ita hic incerta omnia, vt hoc solum sit certissimum quia *nescitis quando*

Eccli. 11.
Luc: 12.
Matth. 25.
Io. 12.

Matth. 24 do Dominus vester venturus sit — mane an meridie — an media nocte — an galli cantu — propterea vigilate — appropin-
Deut. 32 quat hora — & adesse festinant tempora — & expost non dabitur regressus à privatione ad habitum &c.

Luc. 12. Nonne si sciret Paterfamilias! quâ horâ fur veniret, vigilaret utiq; & non sineret perfodi domum suam ! — Et: Dies
Soph. 1. magna & amara valde (voco diem mortis quâ nullus amariorem in præsenti habuit) nonne sicut fur in nocte ita veniet? — cum enim dixerint
1. Ehes. 5. pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus — Nihilominus nemo recogitat inexplicabilem amaritudinem eius — nullus tanta vivacitate apprehendit angustias, quantâ tunc persentiet — vt etiam magnos san-
Brev. Rom. 21. 8bis ctos cum Hilarione perterverit: Egredere anima mea quid times? 70. annis servivisti DEO & mori times! — quid nobiscum fiet, qui nec septem dies
Psal. 13. viximus DEO! — Omnes declinaverunt inutiles facti sunt — non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum — Ergone à mortis angustijs liberabimur ? —

Forte

Forte à *periculis inferni securi* — *à ventura ira* DEI salvi erimus? — Ah *Domine DEUS salutis meæ* noli in ira Tua clamare contra me: *Succidite arborem & mittite in ignem* — *sed secundum magnam misericordiam Tuam & secundum multitudinem miserationum Tuarum* aperi mihi in vitæ termino portam Regni Tui, & introduc pauperem peregrinum de exilio ad Te revertentem — Non mihi obsistat in exitu de Ægypto serpens antiquus — non latret contra me in porta infernalis cerberus — tetra eius imago non perterreat — mortis horror non conturbet — sed SS. Angeli Tui fideliter assistant — fortiter adjuvent — potenter protegant — benigne suscipiant — & ad cœlestem Patriam cum exultatione introducant, &c. Dan. 4 Psal. 50

CONSIDERA III. Ly *Mori*, hoc est vltimũ instans vitæ, quando propiores mortis Nuntij accelerabunt & nunquam hactenus practicatis doloribus indispensabilem necessitatem hic & nunc moriendi tibi intimabunt — Quid facies quando à

Medicis derelicto – ab amicis deplorato – ab omnibus desperato – jam jam vltimum *vale* insinuabitur? – quando auribus tuis JESUS & MARIA inclamabitur? – quando
Eccli 51. á bestijs infernalibus *præparatis ad escam* insultabitur: *Euge euge devo-*
Psal. 34. *rabimus eum?* – Quomodo tunc totus impallesces? – oculi concident & evertentur – vox vix gemitum exhalabit – pectus palpitabit – cor supra modum saliet – lingua deficiet – manus & pedes emortui algore rigebunt – omnes deniq; sensus ex magna vi discedentis animæ
Sap. 5. *timore horribili insperatæ salutis* turbabuntur – interius vero cum maligno spiritu bellum – cum rodente verme conscientiam colluctatio quædam, instaurabitur – verbo: *Fo-*
2. Cor. 7. *ris pugnæ* miserum concutient – *intus timores vsq; ad divisionem animæ ac*
Hæbr. 4. *spiritus – compagum quoq; ac medullarum pertingentes penetrabunt &c*

Punget te etiam repræsentata imago Crucifixi, in quam transfixisti – terrebit Sanguis eius quem peccatis con-

conculcasti — torquebit multitudo peccatorum quæ commisisti — & forte vt par erat pro eis non doluisti — Affliget neglectus mediorum ad salutem — opportunitas occasionum ad bonum toties omissa — inspirationes Divinæ abjectæ — monitiones salubres, & exempla sancta despecta — omnia hæc & alia quam plura supra modum cruciabunt — Gliscet intime, omnesq; penitus animi recessus pervadet inquietus horror — reformidans ad omnia male conscium pectus — contremiscet artubus — exalbescet metu — nec sibi, nec Deo, nec vlli cohærebit — Quid de tẽpore in vanitatibus — jocis — cõversationibus minus religiosis *in multiloquio* (in quo *non deest peccatum*) &c, perdito? — ad cuius vel minimum instans (ah si daretur hora!) ardentissime aspirabis, nec dabitur tibi &c Prov. 10

Tunc incipies timere telam in Iudicij magno die tot peccatorum implicantijs texendam — tunc acerbum *adinventionum* tuarum *fructum comedes* Isai. 3.

des — tunc pleno amaritudinis corde haurîes venenosæ potionis fæces, quas tibi Babylonicus calix exterius deauratus mundanæ voluptatis reliquerat — tunc sero nimis lamentari incipies: Quam melius esset pænitentiam quam voluptatem coluisse — Heu me! nimis perdite vixi, & ideo *perdidi omnia* — Maxime autem cruciaberis quia nescis quam viam ingredieris, vitæne an mortis æternæ terminū apprehēdes? — vtra istarum sors tibi obtigerit? — Nec minus torqueberis quia ignoras qualem comitivam habebis, an Angelos DEI ad Paradisum? — an dæmones ad infernum? — qui illo acerbissimo tēpore gregatim circuibunt, terribilib⁹ spectris *torquentes cor & oculos* mētis tuæ — & tripudiabunt suū te esse jactitantes — Opplebunt aures incōditis clamoribus vt te in desperationem rapiant — vel rigorem Divinæ justitiæ extenuando — vel numerum peccatorum tuorum ampliando — vel scrupulos aggravando — vel metus desperationis suggerendo — v.g.

Job. 17.

qua;

qualis vita finis ita — *Si justus vix salvabitur, iniquus & peccator vbi parebunt?* — *Mors peccatorum pessima* — *Mors depascet eos* — Vltra hæc os inferni apertum] infra te aspicies — intra te vermem conscientiæ persenties — sursum, Cœlum occlusum — & Deum iratum conspicies — Et tamen proh dolor! talia credentes sic viVunt, quasi nunquã morituri — quamvis quotidie cernant mortalitatis exuvias, sub *mortis imperium* cadere, tot cadavera — ex illo vniversali decreto: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur* — *quia aruit messis terræ. &c.* 1. Petr. 4. Psal. 33. Ps. 48. Apoc. 14

Ah *quis mihi det* vt dum *ambulavero in medio vmbræ mortis, non timeam mala?* — *Nonne Tu qui solus es?* — *Salva me Domine in die illa tremenda* — *antequam induatur caro mea putredine, & sordibus pulveris* — Ah me *timor mortis conturbat me* — & vt verbis Bernardi dicam: *Mori timeo quia non sum paratus* — *vivere erubesco quia non proficio* — & ideo *Circumdederunt me dolores mortis & torrentes iniqui-* Ps. 113 Iob. 7 Ps. 17

Ps. 114. *tatis conturbaverunt me — præoccupaverunt me laquei mortis — & pericula*
Iob. 10. *inferni invenerunt me* — Sed *memento quæso quod sicut lutum feceris me* — & ideo antequam *in pulverem reduces me, adjuva me ne vnquam obdormiam in morte æterna — ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.* — Et certe *cur non timebo in die mala* quando non tantum *iniquitas calcanei mei circumdabit me* levi orum scilicet culparum ^ verum etiam gravitas peccatorum condemnabit me — Non tantũ vmbra mortis cooperiet me, — sed etiam in quoddam terriculamentũ & spectrũ odibile omnib' formabit me — vt dici possit:
Psal. 30. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobriũ vicinis meis valde — & timor notis meis* ✓ idcirco *qui videbant me foras fugerunt à me — Factus sum tanquam vas perditum — & oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde* — ita vt *sepulchra eorum* (mortuorum) *domus illorum in perpetuum* inhabitare cogar, vili tectus lacerna, *in tenebris*
Psal. 48.
Iob. 17. *sternens lectulum meum* — ibidem invisam naturæ consanguinitatem con-

tracturus *dicens putredini: Pater meus es — Mater mea & soror mea vermibus* — Heu, heu, heu, *quam amara est dies illa. &c.*

Sic finita Meditatione concludes juxta dicta Cap. 8. §. 1. appositâ hac vel simili Resolutione: Ab hinc sic vivere statuo quasi hodie moriturus, *semper* & in omnibus *mortificationem JESV in corpore* meo *circumferens*, vt & *vita JESV manifestetur in corpore* meo. Rosetum: *Peccantem me quotidie & non me pœnitentē, timor mortis conturbat me. O DEVS totius consolationis gere curam mei finis.* 2. Cor. 4

Pro adminiculo Meditationis.

Trenidia B. Iacoponii

CVr mundus militat, sub vana gloria
Cuius prosperitas est transitoria:
Tam cito labitur eius potentia
Quam vasa figuli quæ sunt fragilia.
Plus crede literis scriptis in glacie
Quam mundi fragilis vanæ fallaciæ,
Fallax in præmijs virtutis specie
Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.
Credendum magis est vitris fallacibus
Quam mundi miseris prosperitatibus
Falsis insomniis & vanitatibus
Falsisq; studiis & voluptatibus.

Dic vbi Salomon olim tam nobilis,
Vel vbi Samson est Dux invincibilis
Vel pulcher Absalon vultu mirabilis
Vel dulcis Ionathas multum amabilis.

Quo Cæsar abiit Celsus imperio,
Vel dives Epulo totus in prandio
Dic vbi Tullius clarus eloquio:
Vel Aristoteles summus ingenio.

Tot chari Proceres tot rerum spatia,
Tot ora Præsulum tot regum fortia,
Tot mundi Principes tanta potentia
In ictu oculi clauduntur omnia.

Quam breve festum est hæc mundi gloria
Vt vmbra hominis, sunt eius gaudia
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt hominem ad dura devia.

O esca vermium! o massa pulveris
O nox! o vanitas! cur sic extolleris
Ignoras penitus vtrum cras vixeris
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.

Hæc carnis gloria quæ magni penditur
Sacris in literis flos fœni dicitur,
Vt leve folium quod vento rapitur
Sic vita hominis quæ cito tollitur.

Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit intendit rapere
Superna cogita, cor sit in æthere
Felix qui potuit mundum contemnere.

Ad eundem finem conducet lectura Libelli intitulati: Somnium vitæ humanæ

PRAXIS V.

Mors citat ad IUDICIUM.

Surgite mortui venite ad Iudicium.

PRæparatio prœmitenda, iuxta dd. de Fine vlt. & Cap. 8. §. 1. & vbi sunt lineolæ pausa adhibenda erit.

Prælud. I Cogitabis Christum ex Advocato tuo factum strictissimum Iudicē in valle Iosaphat pro Tribunali sedentem, formidoloso aspectu *minas* Act. 9. *rum & cadis spirantem, de cuius ore romphaa bis* Eccli 28 *acuta exibit &c.*

Prælud. II. Prorumpes in hæc vel similia verba: *Transfige Domine timore Tuo carnes meas,* vt nunc & semper *mente cordis* mei revolvam terribilia Iudicia Tua, *& in aeternum non parcem &c.*

CONSIDERA I. Quod sicut *in diebus Noe* inopinate *inundaverunt* Matth. 24. *aquæ* diluvij, *ita erit & Adventus Filij hominis;* quando enim terrigenæ minus credent instare Iudicium vniversale, tunc incipient alterari cœlestes motus cum strepitu terribili — *Tunc sol obscurabitur — & luna non dabit lumen suum, sed convertetur in sanguinem — stellæ cadent de Cælo & virtutes Cælorum movebuntur — Erunt* S. Greg. hom. 35. *terræ motus:* hæc namq; concutietur in Evang. adeo

adeo motibus insolitis, vt integras
Idē ibid. Civitates & Regna vno haustu absorbeat — *Terroresq́ de Cœlo*; nam fulgura, fulmina, & tonitrua adeo horrenda supervenient, vt insolitas tempestates de nubibus excutiant — venti adeo furiosi consurgent vt saxa saxis collidant — montes cum
Idem ibid vallibus commisceant — *Et signa magna erunt*; nam elementa quasi quidam humores in corpore vniversi, non aliter alterabuntur & conturbabuntur, ac alterari solent quatuor humores in carne humana, dum in-
2.Tim.4. *stat tempus resolutionis* eius — Herbæ, plantæ, arbores rore plorabunt sanguineo — Mare tremendis fluctibus
Luc. 21. & procellis agitabitur — *arescentibus præ timore horribili hominibus* — & vel in ventre bestiarum asylum quærentibus — quæ naturalis feritatis oblitæ, fragore ruentis mundi, de nativis exactæ cavernis hominum & ipsæmet continuis vlulatibus implorabunt patrocinium. — Quid de vniversali terræ *& omnium quæ in ea sunt* conflagratione dicendum? — ita vt

aquæ

aquæ fluctuantes ardeant — & belluæ marinæ cum fluctibus in terras prosiliant — *Heu quam horrendum est incidere in manus DEI viventis?* — Hæbr. 1.
Quis poterit cogitare diem adventus eius — & quis stabit ad videndum eum? — ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum &c Malach. 3.

Attende o mortalis homo quam terribilis sit *futura figura mundi* quã adeo dura præcedit citatio? — Nũquid non timebis scelerum tuorum dictante conscientia formatum Processum, qui modo ad præliminaria Iudicij tantum exhorrescis? — Forte non formidabis strictissimum actionum tuarum Iudicem & vindicem; quem habere Advocatum apud Patrem noluisti? — Non pavebis *vultum ipsis quoq; tremendum Angelicis potestatibus*, qui nunc horres vermem rodentem — *& spiritum procellarum?* — Numquid non contremisces *ab ira potentis — a facie furoris eius — & à Verbo aspero?* — qui concuteris nunc à superventura conflagratione Elementorum — *à tempestate valida* — Psal. 90. Psal. 49.

à voce

1 Theſſ. 4. *à voce Archangeli* à dentibus beſtiæ
Ionæ. 2. Eccli. 51. infernalis — *à ventre inferi* — *à rugientibus præparatis ad eſcam?* &c

Heu me! *tremens factus ſum ego et timeo, dum diſcuſſio venerit atq; ventura*
Pſ. 54. *ira* — *Timor & tremor venerunt ſuper me quia irritavi iram Tuam Domine* — *quid faciam miſer, dum dies Iudicij ab-*
S. Hilar. Comment. in Cap. 10 Matth. poſt med. *ſtruſam voluntatis noſtræ conſcientiam prodet* — & *ea quæ nunc occulta exiſtimantur luce cognitionis publicæ deteget* — *vbi fugiam à ventura ira* — *à morte æterna* — *à laqueis infernalibus* — Quis *eruet animam* meam *de manu potenti* — *& brachio excelſo?* — *O Deus vltionum, quo ibo à ſpiritu Tuo* — *& quo*
Pſ. 138 *à facie Tua fugiam?* *Si aſcendero in Cælum Tu illic es* — *Si deſcendero in infernum ades* — *Si ſumpſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus Tua deducet*
Pſal. 142. *me & adducet in Iudicium* — *Ab Domine non intres in Iudicium cum ſervo Tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu Tuo omnis vivens* —

Recordare JESV pie
Quod ſum cauſa Tuæ viæ —
Non me perdas illa die — Die ir*æ*

quam illa tremenda, quando Cæli movendi sunt & terra — dum veneris iudicare sæculum per ignem noli me condemnare — Quod si decreveris judicare Israel (populũ electũ] iudica me Dñe secundum justitiã meam — & secundũ innocentiam meã super me — & benigne fac in bona voluntate Tua Sion, ut ædificentur muri Cœlestis Ierusalem &c. Ps. 7. Ps. 50.

CONSIDERA II. Qualiter illa die Filius hominis mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt Electos ejus, à quatuor ventis, à summis Cælorum usq; ad terminos eorum — & hæc omnia instantanee fient dicit D: Paulus; In momento, in ictu oculi, in novissima tuba &c. mortui resurgent incorrupti — Deinde exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum — de quo enucleatius idem: Cum autem venerit Filius hominis in Maiestate sua & omnes Angeli cum eo, sedebit super sedem Maiestatis suæ. O terror sæculorũ! — & congregabuntur ante eum omnes Gentes. O confusio mortalium! — & separabit eos ad invicem sicut Pastor segregat oves ab hædis. O dolor vocatorum! — & statuet oves Matth. 24 1. Cor. 15 Matth. 13 Matth. 25.

quidem à dextris hædos autem à sinistris. O pudor damnatorum! — *Tunc duo*
Matt. 24. *erunt in agro unus assumetur & unus relinquetur — duæ molentes in mola, una assumetur & una relinquetur* — O quam terribilis ictus tunc erit sociorum amicitiæ assumi inter oves, te relinqui inter hædos -- te deijci ad sinistram, alterum evehi ad dexteram!-- A fortiori: quid putas quantus erit damnatorum eiulatus; dum incipient evanescere ex oculis eorum amici olim, euntes in Cælum — socij —condiscipuli — conreligiosi — se verò viderint deferi ad infernale præcipitium detrahendos &c.

Heu quam tremenda quam amara
Soph. 1. sinistris erit *dies illa!* — *dies tribulationis & angustiæ — dies calamitatis & miseriæ -- dies tenebrarum & caliginis — dies nebulæ & turbinis — dies tubæ & clangoris* — Quale iudicium habet qui non pavet etiam nunc tremendum DEI Iudicium? — Væ impiis quia *dies Domini veniet crudelis — &*
Isai. 13. *indignationis plenus, & iræ & furoris — ad ponendam terram in solitudinem —*

& peccatores conterendos — *qui non posuerunt* DEVM *adjutorem suum* — ideoq; creaturarũ protectionem sed absq; *vlla spe* inuocabunt dicentes *montibus: Operite nos* — *& collibus: Cadite super nos* — & à ventura ira indemnes præservate, — Sed *non erit qui se abscondat à calore eius* — *nec qui effugiat eum* — dicit enim Paulus: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi* — *vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum* — Hinc ad DEI præsentis vbiq; imperium [*Consurgant & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes Gentes in circuitu populi, populi in valle concisionis quia iuxta est dies Domini in valle concisionis*) *& mare dabit mortuos suos, qui in ipso erant* — *& mors* (quos sibi iure gladii arrogarat) *reddet* — *& infernus* (quos devoraverat] evomet infelicissimos damnatos — illosq; ex infernali extractos abysso rapi conspicies, in squalidis & fætidis corporibus — ardentibus oneratos catenis vermibus scatentes velut quædam

Psal. 15.
Oseæ. 10.
Psal. 18.
Ioel. 2.
2. Cor. 5.
Ioel. 3.
Apoc. 20

quædam monſtra horribilia terrifi-cos &c.

Jungentur cadaveribus reprobati ſpiritus ſalutatione crudeli — expro-
Galat. 5. brantes quæ *caro adverſus ſpiritum concupiſcens* peccaverat :— O perfida mea ſocia, Caro, quæ lurcinis con-cupiſcentiarum me tantopere aggra-
Deut. 32. vaſti — & *uſq; ad inferni noviſſima* catenis vitiorum detraxiſti — ecce propter beſtiales appetitus tuos quæ patior ego? — experire tu quoq; pa-ria tormenta, quæ me tuis maledictis oblectamentis condeſcendere coegi-ſti — Nec corpori deerunt ſimiles in animam ejectiones: Tu ipſa ma-ledicta ſis in æternum, quod cum fueris Domina potentiarum, eas ali-qualiter à peccatis non cohibueris — quod plerumq; malis meis de-ſideriis aſſenſum præbueris — quod contra voluntatis imperiū tranſgreſ-ſiones ſubditorum tibi membrorum, diſſimulaveris &c.

Hæc dum obaudies *tunc dabit ti-*
Deut. 28. *bi Dominus ibi, cor pavidum, & deficien-tes oculos, & animū conſumptū mœrore* —

maxi

maxime cùm videris catervas dæmonum contra te frementes & instigantes — circa te circumcursantes — *præ timore velut arundinem vento agitatam* te protrudentes — & forte etiam vocis, rastris, & aliis imaginabilibus crudelitatis instrumentis te ad sinistram detrudentes — O infelicissimam sortem reproborum! — Mallent tunc afflictissimi peccatores etiam animati intra viscera terræ cui insepulti erant, dehiscere; — plus dico: Mallent potius *operti humo descendere vivi in infernum, & perire de medio multitudinis* — quam ad sinistram Divino præsentari obtutui — sed Matth. 11 Num. 16

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum
Coget omnes ante Thronum —

Tuba inquam illa quæ Sanctos etiam in somnis percellebat, ita ut Hieronymus ne quidem dormitare secure potuerit, cujus semper insonare auribus videbatur —

Quantus putas tremor est futurus
Quando Iudex est venturus
Cuncta stricte discussurus? —

Nullus

Nullus scit — nemo credit quæ angustiæ? — quæ pressuræ? qui angores lancinabunt peccatores! — & tamen (o rem stupendam nimis) *Viri* Prov. 24. *mali non cogitant ludiciū!* — quodsi serio recogitarent non dubiumquominus in melius pravos mores reformarent! &c.

In illa die (dicit Dominus) *occidet* Amos. 8: *sol in meridie* — *& tenebrescere faciam terram in die luminis* — *& convertam festivitates eius in luctum & omnia cantica eius in planctum* — *& ponam eam quasi luctum unigeniti* — *& novissima ejus quasi diem amaram* — O quàm formidandum erit figuratum, quod anteibit adeo terribilis figura! — Quis non timeat luctuosam tragædiam dum umbra tantum percellat! — O quantum væ quanta succedent lamenta excitato ingenti sinistrorū ex cantu planctu! — Quomodo tunc non timebis eum *qui respi-* Ps. 103. *cit terram & facit eam tremere* — *tan-* Iob. 26 *git montes & fumigant* — *Stellæ & columnæ Cæli ad nutum ejus pavent & contremiscunt* — Quomodo non pa-

vebis

vobis eum *qui corpus & animam perdere potest in gehennam.* si etiam ad gravissimi alicuius latronis corporale supplicium exhorrescis? — cur te non moveat magis proprium & quidem irreparabile damnum, si temporali sceleratorum compateris infortunio? — Ecquid non formides *terribilem apud Reges terræ qui aufert spiritum Principum*, si ad Capitalem sententiam Iudicis terreni tantopere trepidas? — *O Iuste Iudex ultionis* Ps. 57.

Donum fac remissionis

Ante diem rationis — Expavesco Iudicia Tua — magis peccata mea Ingemisco quia *cuius misericordiæ non est numerus & bonitatis infinitus est thesaurus, non flectetur — neq; parcet — nec miserebitur* — Ah serva reū Virgo innocens (MARIAM *dico*, MARIAM *invoco*) — hærebo vestigijs Tuis vsq; dū exorādum me hominē reconciliaveris Filio — *nec dimittam nisi benedixeris mihi & veniam impetraveris* — O per quidquid amas dulce perfugium meum, contine paulisper Filii impendentem manum — antequam in mea Jerem. 21 Genes. 32.

Capitali causa, salutare suspirium edidero — & rationes infelicissimæ vitæ meæ in melius ordinavero — *Sancti Angeli custodes Nostri, defendite nos in prælio, vt non pereamus in tremendo Iudicio &c.*

CONSIDERA III. His ita disposi-
Matt. 24. tis *tunc apparebit signum Filij hominis &c. & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli, cum virtute multa & Majestate* — Nam præter millia
Dan. 7. *millium Angelorum assistentium ei*, aderit etiam à dextris Filii Divinissima Mater & Virgo MARIA, & omnes viri Apostolici qui in vita præsenti
Matth. 4. *relictis omnibus secuti sunt eum* iuxta dogma Evangelicum: *Amen dico vo-*
Luc. 12. *bis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in Sede Maiestatis suæ, sedibitis & vos super sedes 12. iudicantes 12. Tribus Israel* — Heu quod habebis Iudices nul-
Th. Kemp par. 2. ad Novit ser. 2 per tot. lum Patronum! — Advocatum nullum!
Jer. 16. — Quis tunc *miserebitur tui? aut quis contristabitur pro te? — aut quis* stabit *ad rogandum pro pace tua?* — Aderit quidem misericordiarum Di-

va Mater, sed in nullo opitulari tibi poterit, rea conscientia instigante, iuxta illud: *Statuam te contra te* — Hinc *maior tribulatio & angustia in omnem animam operantem malum — gloria autem honor & pax* omni operanti bonum — quos benignissima Domina blando oculo aspiciet, cum sinistros *conscientia accusabit — ratio iudicabit — timor ligabit — dolor cruciabit* — O Deus bone! quantus exinde accrescet ad lævam dispositis mæror — quantus livor — quæ rabies! &c. Rom. 2 S. Greg.

Augebit extremam sinistrorum miseriam Iudiciarius ordo & *vlciscens in omnes adinventiones eorum*, DEVS — quando nimirum *ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius — ecce enim dies veniet succensa quasi caminus — & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula — & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus Exercituum* — Imò non ignem tantum Divinus furor accendet sed *omnem creaturam ad vltionem armabit — & pugnabit cum illo Orbis terrarum contra insensatos* — Psal. 96 Malach. 4 Sap. 5

Eccli. 3. Ecce quomodo tractabitur *cor durum!*
— male habebit in novissimo — Tandem
Liber scriptus proferetur
In quo totum continetur
Vnde Mundus judicetur — & forte contra te vnum tam grandis erit, quam grandem in spiritu conspexit Propheta: *Ego video volumen volans,*
Zach. 5. *longitudo ejus 20. cubitorum, & latitudo ejus 10. cubitorum* — Ex illo *quidquid latet apparebit* — *omnia* enim *nuda sunt & aperta in oculis eius* — ideoq; *nil inultum remanebit &c.*

Heu quid faciam cum surrexerit ad
Iob. 31. *iudicandum DEVS — & cum quæsierit*
Iob. 9: *quid respondebo ei? — Quantus ego sum vt respondeam ei — & loquar verbis meis cum eo? — qui etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor — & cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam* — *vere scio quod ita futurum sit — & quod non iustificetur homo compositus DEO — si voluerit contendere cum eo non poterit ei respondere vnum pro mille — Quodsi compositus DEO non respondebit vnum pro mille:*

Quid

Quid sum miser tunc dicturus
Quem Patronum rogaturus
Cum vix iustus sit securus — & *si iustus vix salvabitur, impius & peccator* 1.Petr. 4.
vbi parebunt? — *Num poterunt contē-* Eccli. 6.
dere cum eo in Iudicio? — Quid re-
spondebūt ei *duces cæci excolantes cu-* Matt. 23.
licem, camelum autem glutientes — quid
ad voces DEI surdi? — inspirationi-
bus insensibiles — mandatis rebelles;
— flagellis duri — beneficiis ingrati?
qui non salutis æternæ sed volupta-
tis & commodi corporei rationem Isai. 1.
habuerunt — *Væ genti peccatrici, po-*
pulo gravi iniquitate — *semini nequam*
filiis sceleratis — & quicunq; *dereli-*
querunt Dominum — *blasphemaverunt*
Sanctum Israel — abalienati *sunt, re-*
trorsum — *Nonne DEVS requiret ista* Psal. 43.
qui novit abscondita cordis? &c.

In tempore illo scrutabor Ierusalem Soph. 1.
in lucernis dicit Dominus — quasi vel-
let dicere cum Psalmista: *Cum acce-*
pero tempus ego iustitias iudicabo — Psal. 74.
quanto magis Babylon perver-
sam, scrutabitur? — *Visitans vi-* Soph. 1.
ros defixos in facibus suis, qui dicunt

in cordibus suis: Non faciet bene Dominus & non faciet male — Fallimini
Eccli. 11. infælices! *Pro omnibus his adducet vos*
Sap. 6. *Dominus in Iudicium qui interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scru-*
Apoc. 2. *tabitur* — *& dabit vnicuiq; secundum*
Matt. 21. *opera sua* — *Malos male perdet, & de-*
Psal. 54. *ducet eos in puteum interitus* — bonis bona retribuet sempiterna, prout pro-
Malach. 3. testatur per Prophetam: *Accedam ad*
Ezech. 18. *vos in Iudicio & vnumquemq; iuxta vias suas iudicabo* — *& gloriam eorum in*
Oseæ 4. *ignominiam commutabo* — *Quid facie-*
Isai. 10. *tis in die visitationis & calamitatis de*
Matt. 22. *longe venientis* — *Quomodo fugietis à Iudicio gehennæ?* — *Ad cuius confugi-*
Isai. 10. *etis auxilium?* — *& vbi relinquetis gloriam vestram?* — *ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis* —
Ezech. 30. *vlulate væ* — *væ diei* — *quia iuxta est dies, & appropinquat dies Domini* — *di-*
Apoc. 1. *es nubis &c. Ecce venit in nubibus*
Psal. 96. *(nubes* enim *& caligo in circuitu eius* — *Iustitia & Iudicium correctio sedis*
Apoc. 1. *eius) & videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt* — sed dispari visione
Psal. 95. nam non tantū *tunc exultabunt omnia ligna*

ligna sylvarum (intellige propter gloriam Crucis] *à facie Domini quia venit, quoniam venit iudicare terram in æquitate, & populos in veritate sua* — sed etiam *lætabitur Sion* (de populo acquisitionis dico) *& exultabunt Filiæ Iudæ propter iudicia Domini* — ex quo tunc *annuntiabunt Cœli iustitiam eius & videbunt omnes populi gloriam eius* — verbo: *videbunt recti & lætabuntur & omnis iniquitas oppilabit os suum, &c.* Psal: 96. P·s: 106.

Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi — quasi dicere vellet benignissimo vultu conversus ad eos: *Ego sum qui vos per gratiam vocavi* — *elegi per veniam* — *pietate sustinui* — *portavi charitate* — *& modo vos sola benignitate suscipio* ad regnum æternum — quod *vobis* non prævaricatoribus Angelis — simul cum mundo præparatum & donatum est — *O bonitas! o benignitas Salvatoris nostri* DEI! — qui *vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servitute* Matt. 25. S. Ioan. Chrisost. serm. 81. Tit. 3. Hæbr. 3.

tuti — non Angelos sed semen Abrahæ apprehendit &c.

Tunc dicet & his qui a sinistris e-
Matt. 25. runt & qui eum peccatis pupugerunt,
Apoc. 1. & adhuc apposuerunt peccare ei — rur-
Ps. 77. sum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI
Hebr. 6. & ostentui habentes quasi gloriando ,
quod male fecerint — Tunc inquam,
Ps. 2. loquetur ad eos in ira sua: Ecce servi
Isai. 65. mei comedent & vos esurietis — ecce
servi mei bibent & vos sitietis — ecce
servi mei lætabuntur & vos confundemini — ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis — & præ contritione Spiritus ululabitis — Esurivi enim & non
Matt. 25. dedistis mihi manducare — sitivi & non dedistis mihi potum — hospes eram & non collegistis me — nudus & non cooperuistis me — infirmus & in carcere & non visitastis me — Propter hoc tona-
Ps. 2. bit super eos & in furore suo conturbabit eos Vultu minaci — & voce terribili exprobrans eis ingratitudinem incredibilem — quod tanto amori
Apoc. 1. quo dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo non corresponderint

derint — propositâ Crucis ignominiâ quam velut maledictum despexerunt — obiectis infinitis beneficiis (*Et tu Capharnaum vsq; ad Cælum exaltata* Luc: 10. *es* per collatam toties gratiam — per oblatam gloriam — per tot salutis Media, Sacramenta scilicet — doctrinam Confessorum — exhortationes Concionatorum — præcepta superiorum — exempla devotorũ — suffragia amicorũ — suasiones sociorũ — inspirationes — illustrationes — & quascunq; occasiones Exercitiorum spiritualium) quibus abusi sunt — vltra hæc cumulasti sordes tuas o ingratissima Capharnaum, dum sine modo, sine mensura *fætere fecisti odo-* Exod. 5. *rem nostrum* &c. *& ideo ad infernum* Luc. 10. *demergeris* — *væ tibi Corosaim* [populo scelerato) *væ tibi Betsaida! quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitêrent* — & ideo (Definitivam auscultate] *Discedite*. O Matt. 25. durum exilium! — *à me* quàm amara separatio! — *maledicti* quàm crudele anathema? — *in ignem æternum*.

O in:

O indeficiens pæna & quidem ob *momentaneum delectat — qui paratus est diabolo.* quanta confusio ex Filio DEI fieri mancipium Luciperi? — *& Angelis ejus.* pro *societate Civium supernorum* nancisci perpetuum Chaos tormentorum? O horror! o interminabilis afflictio! &c.

Ex nunc post feralia Iudicis verba tanquam è flammeis nubibus ex-
Matth. 8. cussa tonitrua, fremitus *& stridor dentium* aures opplebunt — *ploratus &*
Matth. 2. *ululatus multus* ipsos etiam sed immisericordes Cœlos transcendent — maledictiones — execrationes — horrendæ in DEUM blaspemiæ — & con-
Apoc. 8. tinuum *væ, væ, væ* — *usq; ad abyssos* penetrabunt — Ipse Dominus qui peccatores nunc *attrahit miserans, tactus*
Genes. 6. *dolore cordis intrinsecus.* quodammodo conturbabitur, ex quo cogetur condemnare — & cedere supra suas creaturas morti æternæ potestatem:
Psal. 54. *Veniat mors super illos & descendant in infernum viventes* cum anima & corpore — Quid putas tunc de teipso
Ps. 51. erit *qui potens es in iniquitate?* — *Leo*

rugiet;

rugiet quis non timebit? — tu forte se- Amos. 3.
curus eris? nec obaudies *cum iudica-
tus fueris: Exeat condemnatus* — & Ps. 108
diabolus stet à dextris eius, — *quoniam
dilexit maledictionem & veniet ei* — &
*noluit benedictionem & elongabitur ab
eo* — *Quid facies cum inspicere cæperit* Eccli 2.
Dominus? — *Quid facies de illo desu-* Reg.S Aug
per inspectore quem latere nihil potest?
— Nonne spectata tuorum conditi-
one scelerum, in manus ministrorum,
iustitiæ dæmonum, consignaberis? —
qui audita Iudicis sententiâ rapidis-
simo advolabunt cursu & *denudabunt
te vestimentis tuis*, habitibus scilicet, Ezech. 22.
(si qui erunt) supernaturalibus — &
tollent vasa gloriæ tuæ te titulo spo-
liantes ad hæreditatem æternam —
& *dimittent te* (*per latam & spatiosam
portam quæ ducit ad perditionem*) *nu-* Matth 7.
dum detractis gratiis gratis datis — &
ignominia plenum vt pote proscriptum
— excommunicatum — & segrega-
tum à *communione Sanctorum* — *Tunc
erudiet te abscissio tua & malitia tua
corripiet te, quam malum & amarum
sit tibi quod recesseris à Domino* —

Tunc

Tunc incipies sero lamentari, cum
Filia Sion: *Dereliquit me Dominus* –
Dominus *oblitus est mei* – sed cu-
Isai. 49. jus vitio *vide & considera.*

Væ mihi misero! quia peccavi ni-
Ier. 45. Mich. 11. *mis in vita mea* – Quid mihi prode-
runt *thesauri iniquitatis*? – quid talen-
ta? – quid quantaquanta potentia
&c? – Certe *non proderunt divitiæ in*
Prov. 11. *die vltionis* – *nil proderunt thesauri im-*
pietatis – *nec opus* – *nec ratio* – *nec*
Eccl. 9: *sapientia* – *nec scientia erunt apud in-*
feros – *Super* quod *plangam & ulula-*
Mich. 1. *bo* – *vadam spoliatus & nudus* – *faci-*
am planctum velut draconum – *& lu-*
ctum velut struthionum – *quia despera-*
ta erit plaga mea – Ah *Domine ne in*
Ps. 37. *furore Tuo arguas me* – *neq; in ira Tua*
corripias me, dum veneris in novissimo
die – *Quoniam sagittæ Tuæ infixæ sunt*
Ps. 87. *mihi in timore Tuo* – *in me transierunt*
iræ Tuæ & terrores Tui conturbaverunt
Ps. 118. *me* – *à judicijs enim Tuis timui* – *Mi-*
Ps. 50. *serere mei secundum magnam misericor-*
diam Tuam, dum tempus est miserendi –
Exod. 32. *& esto placabilis super nequitia mea* –
Hoc Tuæ bonitatis inclinatio, hoc naturæ
Tuæ

Tua benignitas suadet — hoc Paterni affectus suavitas exigit — hoc viduata Angelorum sedes suspirant — hoc sanguis Filij Tui postulat — qui clamore valido interpellat pro nobis, ne me damnes in tempore judicandi — ut inde discant peccatores nunquam apud Te irritas esse pœnitentium preces — Teque toties Patris affectum exhibere, quoties contrito corde timeris Iudex &c.

In hunc modum finita Meditatione cætera expedies iuxta dicta *Cap.* 8. 9. 3. Resolutio hæc vel similis subserviet:

Omni die ad pedem Crucis cum Magdalena *Iudicem meum deprecabor* & tuba horribili de tumulo ignaviæ ad vitam actionum me strenue excitabo. Rosetum: *Dum veneris judicare noli me condemnare.* Iob. 9.

Pro PRAXI de Iudicio Particulari

NOto in hac Materia me non advertere quidpiam quod non sit commune Iudicio vniversali excepta sola solennitate Iudiciarij Processus; quatenus in Particulari Iudicio discutientur in specie opera reorum, instante tota vniversitate creaturarum, quibus abusi sunt prout Noster Th: à Kemp: toto serm: 7. part. 2. ad Novis luculen-

ter observat & expendit: in Iudicio autem vniversali tantummodo publicabuntur vniverso *in*
2.Reg. 12 *conspectu omnis Israel & in conspectu solis,* quæ discussa iam & publicata in Particulari, iuxta illud Prophetæ in Persona DEI dictum: *Nunc fi-*
Ezech. 7. *nis super te* (vitæ) *& iudicabo te iuxta vias tuas.* Unde vt assuescas timere salubriter etiam Particulare Iudicium, quod non infirmabitur vnquam si non confirmabitur per vniversale, salutare tibi erit identidem expendere illam Psalmistœ ad DEUM apostrophen:

Ps. 35. *JUDICIA TUA ABYSSUS MULTA*

I. Quia nescis an sis in numero Prædestinatorum aut Præscitorum,
Exod. 32 iuxta illud: *Miserebor cui voluero & clemens ero in quem mihi placuerit* quod
Rom. 1. tamen te detorquere non debet *in reprobum sensum* cum sit *in manu tua*
Prov. 18. *vita & mors* adeoq; etiam Prædestinationis donum vt enucleate docet
S. Th. vill. *copiosum æternæ sapientiæ flumen* Augustinus: *Si non es prædestinatus fac prædestineris, satagendo per bona opera cer-*
2. Petr. 1. *tam vocationem & electionem tuam facere.* Nihilominus quia series Prædestinationis Divinæ à multis conditionibus (quanquam tibi liberis) si, si, &c. dependet, quæ tibi sunt ignotæ, ideoq; time,

II. Exhorreſce ad abyſſum Iudiciorum DEI! quia ignoras numerum auxiliorum efficacium quibus te donare: & menſuram peccatorum in quibus te tolerare miſeratio Divina decrevit, *poſt hoc autem Iudicium*. Præterea ſcis evidenter te peccaſſe, & remiſſum tibi peccatum neſcis, quia neſcis *vtrum amore an odio DEI dignus ſis*. Et ſuppoſito quod ſcias te amore dignum, adhuc neſcis an in gratia DEI perſeveraturus ſis *vſq; in finem*, cum certò conſtet multos qui diu bene vixerunt, in extremo vitæ puncto damnatos fuiſſe. Hœbr. 9. Eccl 9.

III. Time non tantum Iudicia DEI ſed etiam Miſericordias DEI in Iudicio — Et quod eſt iſtud paradoxum? — quis impius timet pietatem & clementiam erga ſe? — quis miſer metuit miſericordiam? — quis beneficiarius beneficium & gratiam pertimeſcit? — Amoris hæc non timoris videntur indicia — indulgentiæ non pœnæ argumenta hæc cenſentur — Et tamen non videtur poſſe intelligi aliter ſcriptura quæ dicit:

Quis non timebit Te Domine quia solus pius es! — idq; ideo quia in die Iudicii ratio danda erit ex talento, ita vt qui plus accepit plus exigatur ab eo — vnde Gregorius M. *solicite considerare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab Authore mundi gravius inde judicemur* — *cum enim augentur donationes etiam crescunt donorū* — Hinc frequentem gratiarum abusum vehementer time — expost omnem gratiam æstima — omnem occasionem arripe — & *ne in vacuum gratiam DEI recipias* studiosissime cooperari cura — *nescis enim quid paritura sit superventura dies* — *quam aliquando vives & non vives.*

Apoc. 15.

Homil 9. in Evang.

2. Cor. 6

S. Io. Chrisost. hom. 21. in 2: Cor. 10.

PRAXIS VI.

Minister Judicij INFERNUS

S. Greg. *Descendamus in infernum viventes ne descendamus morientes.*

INstituetur præparatio iuxta *Ad. de Fine Ult.* & *Cap.* 8. § 1. & vbi adsunt lineolæ pausa servabitur.

Prælud. I. Imaginaberis *in corde terræ voraginem* capacem 800000000 Personarum ; totam

totam ardentissimis & tenebricosis flammis exæstuantem, nec non diversissimis tormentorum refertam generibus &c.

Prælud. II. Rogabis DEUM vt tibi det vivam apprehensionem gehennalis miseriæ quam mox mente versabis, quatenus S. timore (iuxta illud: *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari*) & commissa peccata obstergas, & committenda non adijcias. Eccli. 1.

Notandum autem hic est (quod etiam idipsum per omnes Recollectionum dies servare poteris) sub tempus Meditationis cubiculum tuum aliquantulum obtenebrabis, pro intensiore subiectæ Materiæ menti tuæ impressione, & proportionata magis luctui, loci compositione.

CONSIDERA I. Infernum esse statum omni aggregatione malorum miserrimum vt tetigit Psalmista: *Pluet super peccatores laqueos — Ignis — & sulphur — & Spiritus procellarum — pars calicis eorum* — Ergone ista non sufficiunt ad integrandam totam inferni pænam? — Nonne sufficere videntur ad complendum calicem passionis infernalis, quatenus sunt æterna, si non sufficiunt qua gsaviter pænalia? — Hæccine est pars calicis reproborum? — Ita sane — *Hæc omnia initia sunt dolorum: Ignis — grando — fames & mors* Ps. 10. Matth. 24.

Eccli. 39. — *omnia hæc ad vindictam creata sunt — bestiarum dentes — & scorpij — & serpentes — & romphæa vindicans in ex-*
Eccli 40. *terminium impios — Ad hæc mors — sanguis & romphæa — oppressiones — fames & contritio — & flagella — super iniquos creata sunt hæc omnia — & propter illos factus est cataclysmus* — O vere cataclysmum miseriarum! &c.

Inprimis in illo *camino ignis ar-*
Dan. 3. *dentis* insequitur *Mors* impios, sed immortalis — 2da sed infelicissima, quæ nec finit nec finitur vnquam — Hanc vt evitare possent *homines quæ-*
Apoc: 9 *rent mortem* (temporalem) *& non invenient eam — & desiderabunt mori & mors fugiet ab eis* — Nec *sine sanguinis effusione* illa laniena expeditur, dum alij crucibus affiguntur — alij ferreis pectinibus dilacerantur — alij membratim in frusta conciduntur — alii à bestiis vrsis nimirum — leonibus, lamiis & harpiis &c. discerpuntur —
Ps. 13. Præterea *contritio & infelicitas in vijs eorum* tanto erit amarior, quanto in præsenti vita ex malorum consortio societas suavior fuit — iuxta illud:

Quan-

Quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentũ & luctum — Hinc peccatorum consocii & amici tanto odibiliores erunt ad invicem, quanto erant amabiles in actu peccandi — dentibus siquidem proscindent se & mordebunt *morsu amarissimo* — odio sempiterno illicitum vitæ præsentis reposituri amorem — ideoq; perpetuus ibi erit *fletus & stridor dentium* — Tam copiosum autem fletum damnatorum fore vt si singulorum colligerentur lachrymæ integer ex illis congereretur Oceanus — O vere *magna est velut mare contritio* reprobórum, in qua miseri sine fine fluctuabunt ! &c. Apoc: 18. Deut. 32. Matth. 8. S. Bonav. Cap. 49. de Infer. Thren. 2.

Insuper eosdem *affliget Dominus fame caminâ* planè — teste Psalmista: *Et famem patientur vt canes* — etenim *fel draconum vinum eorum erit* — & *venenum aspidum insanabile* — Cibus non alius nisi stercora & putridæ carnes — & fætores diversissimi — Quodsi forte aliqua de victualibus alterna mutatione eis apponentur, non alia certe quam quæ in persona DEI pro- Prov. 10. Ps. 58. Deut. 32.

Ier. 33. mittit Propheta: *Ecce ego cibabo eos absynthio* — *& potabo eos felle* — adiuncta ardente pice — & liquato me-
Luc. 16. tallò — O helluones & qui *epulamini quotidie splẽdidè* observate parata vobis fercula per sæcula! &c. Et *flagella* infernalia sive *stylis ferreis* — sive flagris stelligeris — sive virgis spinosis — sive iuncis marinis — sive siccacis nervis *sudibusq; adustis* quis enumerabit? — Quis dinumerabit *oppressiones* diabolicas; quot catastas sustinebunt? — quot candentes craticulas experientur — quot secantes rotas corporum in atomos patientur? — quot ignitos equos equuleosq; probabunt? — quot catenis *inflammatis & accensis* onerabuntur — quantis serpentibus & venenatis *reptilibus quorum non est nu-*
Ps. 103. *merus* circumligabuntur? — quantum
Psal. 73. *in securi & ascia* affligentur &c.

Ad extremum finge tibi quas potes carnificinas — recogita quos voles tortores & tyrannos — imaginare quas potes lanienas — multo maiora — & duriora — & plura experientur miseri damnati, quamdiu *DEVS* erit

verum

eorum DEVS. — Locus ipse teterrimus palpabili fumo, & intolerabili fætore repletus — adeo coarctabit angustiâ loci maledictos, vt veluti halices in dolio — veluti lateres igniti in fornace Babylonica — veluti carnes salitæ in clidio vndequaq; pressuris arctati gement: *Va nobis quia peccavimus — propterea mæstum factum est cor nostrum — ideo contenebrati sunt oculi nostri — defecit gaudium cordis nostri — versum est in luctum chorus noster* — Ah miseros nos! *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis!* — *& ambulavimus vias difficiles — viam autem Domini ignoravimus — Quid nobis profuit superbia? — aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? — Transierunt omnia tanquam umbra & tanquam Nuntius præcurrens — & tanquam navis quæ pertransijt fluctuantem aquam cuius cum præterierit non est vestigium invenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus — aut tanquam avis quæ transvolat &c. sic & nos nati continuo desivimus esse — & virtutis quidem nullum signum valvimus ostendere in malignitate autem nostra* Orat. Ier. Sap. 5.

consumpti sumus — Hæc est Meditatio *sepultorum in inferno* — hæ querelæ — talis pænitentia &c.

Augent *lamentationes & carmen &*
Eccli. 2. *væ* habitatores inferni fastidiosissimi — infensissimi — horridissimi — Mul-
Psl. 148. tiplicant *væ, væ, væ* — *Ignis, grando, nix glacies spiritus procellarum* — *quæ faciunt verbum ejus* (DEI) ita vt nec ista diffluant ab igne — nec, ab istis ignis
Sap. 16. obruatur — sed *nix & glacies sustinebunt vim ignis & non tabescent ignis ardens in grandine & pluvia corruscans* — adeoq; vtrumq; contrarium in gradu intensissimo impios damnabit —
Iob. 24. qui alternis vicibus *ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium* — Et quidem *ignis consumens* eo crudelior est quia non consumit — ardet & non
Psal. 28 lucet — vrit sed non comburit *voce Domini intercidentis flammam ignis* ita disponente — adeoq; vehemens est &
Hebr. 4. *penetrabilior omni gladio ancipiti* — *& pertingens ad divisionem animæ ac spiritus* — *compagum quoq; & medullarum* — vt ex sensu D. August: & exæstuantis Ethnæ ardor — & flamivomi vesuvij

æstus, picti videantur — & damnatis subservirent pro refrigerio — O infelicissimi peccatores? *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* — Isai. 33.
quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? — *& in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere?* — hoc est vri, vri, vri, vri, & semper vri — *Præparata est* pro vobis infernalis *Tophet præparata — profunda — & dilatata nutrimento ignis — & ligna multa* ad proportionem iniquitatis vestræ *flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam* — scilicet fornacem *nephtâ — & stuppâ — & pice & malleolis — & fornacem custodiens in operibus ardoris* — Quis ad hæc omnia non contremiscit? — quã profundo sopore obruitur, quem non excitant tanta tonitrua! — quam surdus & sine mente censeri potest qui tot & tantos terrores non percipit nec considerat! &c. Eccli 43 Isai. 30.

Insuper *Spiritus procellarum operiet eos ex alto* dum partim perstrepent tonitrua — partim percellent corruscationes & fulgura — partim obruent turbines & tempestates — partim Ps. 10.

feri-

ferient (infelices) fulmina — ita vt perpetua serie alternent vices suas, inexplicabiles & quidem tota æternitate miseriæ — juxta illud: *væ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ, post*
Apoc. 9.
Apoc. 11. *hæc — væ 2dum abijt, & ecce væ tertium veniet cito* — Et hæc est vna stilla tantummodo tormentorum quia vnius sensus TACTVS — O DEUS bone ergone plura patientur damnati? — Ita. plura — Ergone alij sensus hæc & alia experientur tormenta? —
Ps. 129 *Domine quis sustinebit?* — Experientur — Jmo non sensus tantum externi & membra, sed & potentiæ internæ omnes, novis & peculiaribus affligentur pœnis — vt quæ erant instrumenta peccatorum *justo DEI Iudicio* participent de meritis castigationibus damnatorum — iuxta illud: *Per quæ*
Sap. 14. *quis peccat, per hæc & torquetur — vnus-*
Iob. 14. *quisq; luet quæ fecit, omnia iuxta multitudinem adinventionum suarum sustinebit* — Hinc manus & pedes habebunt suos compedes — digitorum extremitates acutissimis transverberabuntur spinulis — brachia vix tolerabilibus

bus onerabuntur ponderibus — pectus cādentibus lammis exuretur — latera ardentibus facibus torquebuntur — musculi ignitis forcipibus excarnificabuntur — cutis in scissuras ibit — caro autem scindetur in frusta &c. Recogita si possis vel vnius aciculæ puncturam pro semper sufferre, qui hæc omnia & similia martyria subiturus es *per sæculorum sæcula?* — valebisne vel minimam eius modi ærumnarum supportare partē, qui nihil prorsus pati vis, tam libere peccans? — *quæ est enim fortitudo* tua *vt sustineas?* Job. 6. — *aut quis finis* tuus *vt patienter agas?* — *Nec fortitudo lapidum fortitudo* tua — *nec caro* tua *anea est* — Et licet ferro durior sis, timere necesse habebis flāmam æternam — cuius reatu tenetur corpus istud, quod tu amas plus quā animam tuam — & ideo cruciandam consignas tortoribus infernalibus cum tota sensuum familia &c.

Ocvli namq; vt porte fontes & fenestræ peccatorum præter alias pœnas quas enumerare longum esset, horribilibus spectris — teterrimis lar-

vis — imperceptilibus monstris tremendis dæmonum ! apparitionibus in illa perpetua nocte discruciabuntur — iuxta quod dicitur de Ægyptijs: *Personæ illis tristes apparentes pavarem præstabunt — & transitu animalium & serpentum sibilatione commoti, tremebundi peribunt* — tamq; truculentæ erunt vt si ad præsens vel vna videri posset, non secus ac basiliscus visu, monstruositate sola vnumquemq; mortalium enecaret — Quid de theatris reorum? — spectaculis suppliciorum infernalium credis? — nonne compassivo quodam dolore torquebunt oculos dadamnatorum? — cernentes hic alios velut fides per catastas distendi — alios *in pila quasi ptisanam feriente desuper pilo contundi* — alios in sartagine pice fervente & sulfure frixari — alios *in stagno ignis ardentis & sulphuris* balneari — alios protracto feris dentatis martyrio in partes dividi — alios per ardua raptari — hos velut *zizania colligari & mitti in clibanū ignis* — alios *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores proijci* — & vt truculentius

Sap. 17. Prov. 27. Apoc. 19. Matt. 13. Matth. 22.

tius Orci mancipia plectantur, omnis generis emancipantur tormenta &c.

AVRES quot catenis strepentibus perstringentur? — quos gemitus? — quas querelas? — quæ lamenta & continuum væ obaudient — O quæ tortura! vlulatibus canum vel suino grunnitu repletam ferre non potes domum, quominus vel declines aliò — vel clamosas bestias compescas? — & quomodo sustinebis tot rictus? — tot rugitus? — fremitus tot, non tot quin plurium pecudum infernalium? — O quot latratus canum in illa scelerata abysso implebunt aures eiusmodi, quæ nolunt audire *mollitas super oleum sermones DEI*? — O quam formidolosa spectacula terrebunt oculos illos, qui *diligunt vanitatem* magis præ summo Bono? — O quanta rabies torquebit animam illam, quæ *renuit consolari* svavissima familiaritate eius &c. Psal. 64. Psal. 4. Psal. 76.

GVSTVS vltra ardentissimam sitim & lupinã famem, incomparabilib⁹ sordibus explebitur — & pro exquisitis ferculis huius tẽporis non refectio, sed infectio tormentosa dabitur ei — *ODO-*

RATVM

RATVM tanto fætore torqueri haud dubium erit vt tolerari vix; possit — tantus quippe *de cadaveribus eorum* (damnatorum] *ascendet fætor*, vt vnum eorum ad inficiendam peste *omnem animam viventem* sit sufficiens &c.

Isai. 3.

Ps. 18. *Nec se abscondent à calore eius* etiam internæ animæ potentiæ, sed inenarrabilibus cruciabuntur supplicijs — *IMAGINATIVA* revolvet incessanter quæ dura — quæ horrida vnquam passa est — & tanta apprehensione malorum præteritorum discruciabitur, vt (nisi æterna iustitia exigeret) tormentis realibus opus non esset — hinc damnati continuo *turbabuntur*

Sap. 5. *timore horribili* — *& insanient*; &c.

APPETITVS sensitivus velut quoddam inexplebile mare, vanis desiderijs æstuabit — quæ quia nunquam adimplebuntur, prorumpet in rabiem — blasphemias — probra in DEUM &c. & per hoc accidentalem calamitatem sibi cumulabit &c.

INTELLECTIVA velut caput sine cerebro tota turbida — confusa — melancho-

lancholica – viva mente continuò meditabitur gehennalis cataclyſmi imaginem – quam tanta perſpicacitate cognoſcet, vt eam in deſperationem ruere ſit neceſſe – *VOLITIVA* qualiter affligetur? conſule tuum velle in qua diſpoſitione manet tunc, dum non in puncto datur illi ſatisfactio – quid ſi non detur? – *MEMORIA* acrius igne infernali torrebit peccatores malis commiſſis quæ poterat evitare – & bonis amiſſis quæ procurare non voluit – O quantum dolebunt tunc, ſero ſupplices futuri in æterno ſupplicio? – Ex hac Matre (Memoria) generabitur vermis conſcientiæ – quam *cane & angue pejus* lacerabit – & nunquã morietur iuxta illud: *Dominus omnipotens dabit ignẽ & vermes in carnẽ ipſorũ – vt vrantur & ſentiant vſq; in ſempiternũ* Hic vulturẽ non fabuloſum – hic furias omnes hic orcũ peiorẽ Orco experientur. &c. Iudith. 16

Reflectere miſer an poſſis vel minimam ex prætactis pœnam per reſiduum dierum tuorum ſufferre – quas pro vno mortali te ſubire neceſſe erit

per

per sæcula — Quomodo sustinere poteris tormentum & vermem quo rodentur viscera tua, si nunc ferre non potes vnius diei ærumnas — aut incommodum lectum vnius noctis? — Forsitan & *in fame* perpetua *ridebis*?
Iob. 5. — *& bestias terræ*, multo magis infernales *non formidabis*? — *à flagello linguæ absconderis & non timebis calamitatem cum venerit?* — Hæc est conditio pessima *filiorum hominum* quod absentia mala vel maxima, vix aliquem terreant, præsētia vel minima etiam fortes frangunt! — Ah per quidquid, sacrū
Eccli 30. per quidquid venerabile Cœlo est obtestor te: *Miserere animæ tuæ placēs Deo* — Et quia mille infernos pro cōmisis meruisti, hic geme — hic plora — *hic vri & secari* implora — dūmodo æterna supplicia rore pænitentiæ dilvere — *& characterem bestiæ* quo signatus es
4. Cor. 1. abolere queas — *O Pater misericordiarum!* O *DEVS* æternæ *consolationis*! qui non lætaris in perditione peccatorum, en habes ad thronum Misericordiæ Tuæ prostratum supplicem — cui vnicum hoc pro totius vitæ gemitu relictum est: *Peccavi* —

Præbe aurem verbis nec dirũ vlciſcere crimen.
CONSIDERA II. Meo ſenſu nullã pænã ſenſus crudeliorem eſſe damnatis ac eſt ÆTERNITAS, quæ DEO æternũ privat — indignatione Divina æternùm affligit — teterrimo carcere æternùm tenet — ardente foco æternùm. vſtulat — vltra præaccennata tormenta innumerabilibus æternùm tyrannizat malis — O nunquam ſatis deplorandã damnatorũ æternitatem! — quæ nihil eſt aliud niſi *mors ſine morte*, — *finis ſine fine* — O ſtatum miſerabilem in quo mors ſemper vivit — finis ſemper principiat — vita ſemper moritur, & nunquam extinguitur — tempus ſine tempore nunquam terminatur — eſtq; inſtar paradoxi quiddam mirabile dictu: Nunquam ſemper — ſemper & nunquam — quia deſinit nunquam — incipit ſemper æternitas &c. S. Greg.

Numera ſtellas ſi potes ad quarum computum in ſtygia vrna gemes, necdum tamen æternitatis attinges principium — Ergo cogita quot atomi vagantur per aera, quot arenæ componunt globum terræ, quot folia veſti-

unt Majales arbores, quot guttæ integrant vastum alveum Oceani &c. tot annis *in loco tormentorum* permanebis,
Luc. 15. quot fuit guttæ aquarum etiam possibilium super terram — quot folia arborum similiter permanentium & possibilium — quot arenæ maris — quot atomi aeris — nondum tamen medietatem æternitatis attigisti — Centuplica tot scilicet centena annorum multiplicando, quot aquarum guttæ (extendendo semper ad possibilia infinita in omni genere) quot arborum folia, quot arenæ terræ, quot aeris atomi &c. quibus pœnas lues in illo miseriarum ergastulo — Assigna millenos annos, imo milliones annorum assigna, correspondentes singulis, ex infinitis permanentibus & possibilibus atomis — folijs — arenis — guttis &c. — omnes illi milliones annorũ transibunt, tu pœnosam æternitatem pro uno mortali, modo primũ in cæpisti — O æternitas! æternitas! o — longa! — o profunda! — o abyssalis! — o æterna æternitas! — Breve nomen habes sed in te interminabilis es, — circula-

cularis es, sed hoc ipso truculentior quia sine fine – Prodigiosa quoad substantiam cum sis, melius verbo quam verbis ijsq; ænigmaticis magis quam claris elucidaris – per nunquã fluens – per semper præsens – per hodie perpetuum tormentorum &c.

O quisquis æternitatis arcanum, consideras *voca nomen ejus absq; misericordia – quia non addet vltra misereri DEVS – sed oblivione obliviscetur eorum qui in tenebris & in vmbra mortis sedent* – Jngemisce & defle miseram sortem damnatorum, quorum vnica erit in tota æternitate occupatio sine fine eiulare – rugire – tabescere invidiâ – ira & odio æstuare – stridere dentibus – lachrymari – lamentari – querulari – & ob interminabilem finem malorum desperare – DEUM blasphemare – Sanctos execrari – creaturis maledicere: *Pereat dies in qua natus sum – & nox in qua dictum est: conceptus est homo – Dies ille vertatur in tenebras – non requirat eum Deus desuper & non illustretur lumine – Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis*

Osee 1.

Iob. 3.

tis — occupet eum caligo & involvatur amaritudine — Noctem illam tenebrosus turbo possideat — non computetur in diebus anni — nec numeretur in mensibus — Sit nox illa solitaria nec laude digna — maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviatan — Obtenebrentur stellæ caligine eius — expectent lucem & non videant, nec ortum surgentis auroræ — Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me — nec abstulit mala ab oculis meis. — Quare non in vulva mortuus sum? — egressus ex utero non statim perij — quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? &c. Hæc erit musica — hæ cantilenæ — hæ matutinæ — quas infelices illi, canent sine termino — O linguæ maledictæ quæ nil nisi blasphemias & maledicta ingeminatis! — O infelicissimi oculi qui extra torturas nil aliud conspicitis! — o aures miseræ quæ nil præter planctus & stridores dentium auditis — o infortunatissima corpora quæ nullum respirium, — refrigeriũ nullũ in ardoribus sempiternis habetis &c.

Quo

Quo erunt illi animo qui dum vi- verent fallebant horas rebus ludicris, & tempus omne in voluptuosis di- vertimentis insumebant — O quā lon- gam miseriarum catenam, tam breves fabricaverunt deliciæ — O quam cito evanescunt vanitates sæculi! — & *sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi* Eccli. 18. — O stulti quid vobis prosunt carnis illecebræ, quibus tunc indulgebatis, cum iam planctibus æternis devovea- mini! — Quid de vestris divitijs fa- ctum est? — vbi sunt vestri thesauri? — vbi vestræ oblectationes? — gaudia vestra vbi sunt? — gloria vestra vbi perijt — felicitas vestra in dolorum pelago submersa est — Ad quantam penuriam pervenistis, vt nec aquæ guttula vobis concedatur, qua rabidus gutturis ardor temperetur! — Felici- tates vestræ maiorum nunc vobis ex- tant causæ tormentorum — dulcedo transactæ delectationis vestræ, gene- rat vermem doloris, & æternæ amari- tudinis, qui continua rememoratione cruciat cor vestrum! — Quid estis nunc? — quid fuistis? — Heu quam hor-

Petr. Blef. ferm. 57. „ horrendum eft venire in locum tor„ mentorum! ubi nec ignis extingui„ tur — nec vermis moritur — nec fæ„ tori — nec ardori — nec dolori fi„ nis — aut menfura imponitur — Quis iam adeo ftolidus erit, vt pro momentanea refpective ad æternitatem vitæ præfentis etiam longiffimæ licentia, patiatur avelli, & exulare à DEO in æternum?— fempiternis addici fupplicijs fine modo — privari omni refpirio fine fine — fpoliari omni bono fine termino — Num forte pro vnica gutta confolationis in præfenti præeliget mare ærumnarum, & æternæ plorationis in futuro? — Avertat DEUS hanc infaniã à filiis hominum — Quantum ex me anathematizo omnia oblectamẽta vitæ huius — eiuro

Pf. 61. illa & ftatuo illis me *nolle cor apponere* dũmodo Chrifto fruar per fæcula &c.

Sed heu me! forte iam inexorabilem fuftulit manum iuftus fcelerũ

Iob. 13. vindex *fcribens contra me amaritudines*

Psal. 83. *& confumere me volens peccatis adolefcentiæ meæ?* — forte iam *æftimatus fum cum defcendentibus in lacum* propter e-

enorm

normitates meas? — *factus sum sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorũ non es memor amplius?* — Forte iam congregata sunt super me flagella infer- nalia & ignoravi — *confirmatus est super me furor eius — omnes fluctus suos induxit super me?* — idcirco *si sustinuero infernus domus mea est* — & *in tenebris* abyssi *stravi lectulum meum* iniquitatibus meis — Agnosco quia *maior est iniquitas mea quam vt veniam merear* — At *nunquid in æternũ irasceris nobis?* — *aut extendes iram Tuam in sæculum sæculi?* — *vbi sunt misericordiæ Tuæ antiquæ Domine?* — *numquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?* — *Vsquequo Domine avertis in finem?* — *exardescet sicut ignis ira Tua?* — *Memorare quæ mea substantia: Tanquam nihilum ante Te* — *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam Tuam* — & *stipulam siccam persequeris* — *Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendero in* æternam *corruptionem?* — Et cuius emolumenti erit ineffabile pretium Tui Sanguinis adeo pro me abunde effusi — & quomodo *mors, mor*

Ps. 34. Psal. 87. Iob. 17. Genes. 4. Ps. 84. Ps. 88. Ps. 38. Iob. 13. Ps. 29.

te Tua mortua erit? — cum tartarus deglutiens imaginem Tuam simul in oblivionem absorbeat infinita merita Tuæ divissimæ Passionis? — & animā inextinguibili igni destinatam, à Tuā beatissima præsentia separet? — Ergone facies hominem quem creasti ad laudem Tuam, gaudium sempiternum

Esther. 13. inimicis Tuis? — Ergone *claudes ora Te canentium?* — & fauces damnatorum fines relaxare in Tuas blasphemias? — *Numquid narrabit aliquis in se-*

Psal. 87. *pulchro infernali misericordiam Tuam?* — *& veritatem Tuam in perditione?* — *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia Tua? & iustitia Tua in terra oblivionis?* — vtiq; *non mortui laudabunt*

Ps. 113. *Te Domine* — *neq; omnes qui descendunt in infernum* — *Quoniam non est in morte qui memor sit Tui* — *in inferno autem*

Ps. 2. *quis confitebitur Tibi?* — *sed nos qui vivimus benedicimus* Tibi *ex hoc nunc* —

Psal. 113. *& laudabimus Nomen Tuum in sæculum & in sæculum sæculi* —

Memento quod sumus Tui
Licet caduci plasmatis
Ne des honorem Nominis.
Tui precamur alteri &c.

CONSIDERA III. Maiorem his omnibus esse *Pœnam Damni* quæ consistit in privatione DEI, estq; incomparabiliter maior omnibus *pœnis sensus* & inferni; cum iuxta D. Th. sit intrinsece & intensive infinita, ex quo privat Bono infinito, adeoq; magis afflictiva damnatorum quam etiam infinitorum infernorum pœnæ, vtpote tantum extrinsece & extensivè infinitæ — *Et quis hæsitet in corde suo* eiusmodi pœnam esse pœnarum pœnam? — cum privari DEO sit spoliari omnibus bonis — perdere DEUM sit perdere in adversitatibus perfugium — in periculis animæ præsidium — *in fletu solatium* — in labore respirium? — verbo: est incurrere cumulum omnium malorum. — Quis neget DEUM esse vitam animæ — & quomodo vivet sine DEO? — Quis ambigat Totius humani centrum esse — quo ergo ibit, quo tendet homo sine DEO? — Si insensata satius non esse amant, quam esse sine centro? tu forte non insensatus eris, si credis te vivere posse sine DEO velut sine centro? — S. Ioan: Chrisost:

S. Greg. hom. in Evang: 37 vivere sine vita *mors est potius dicenda quam vita* — quid sine DEO qui vita vitæ est — anima animæ? — Esse sine DEO non est melius *non esse* — sed è converso *Non esse* melius est quam esse sine DEO teste scriptura: Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* — pensa ergo num eliges melius, dum deliges *esse* sine DEO potius, quam *non esse. &c.*

Ps. 29. Vix aliquando *avertit faciem suam Dominus* à David Rege, *& factus est conturbatus* — quid si amisisset DEUM! — quomodo non *planxisset planctu magno?* — quomodo non eiulasset? — à peccante non tantum faciem avertit Isai. 33. sed *obturat aures suas ne audiat vocem eius* — *& claudit oculos suos ne videat malum* eius, ut misereatur illi — quandoq; totaliter derelinquit eum iuxta Ier. 51. quod dicitur: *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam* — & tamen proh dolor! quasi ei *nil accideret triste*, tantâ iacturâ non movetur! — tanto infortunio non concutitur! — O infelicissime peccator quomodo audes tam libere gaudere amis-

ſa conſcientiæ quiete? — quomodo tam ſecure quieſcere *læſæ Maieſtatis crimine* admiſſo? — imò plerumq; *gloriaris in malitia, & exultas in rebus peſſimis?* &c.

Non erat beatificatiua facies David, exulantis Abſalon, nihilominus elegit potius mori, quam vultu Paterno privari pro *crimine peſſimo* fratricidij — *Obſecro vt videam faciem Regis; quodſi memor eſt iniquitatis meæ interficiat me* — Et tu forte imperturbate tranſiges æternitatem ſine beante DEO? qui non potes ferre ad tempus tædium ſine præſentia qui te delectat amici? — te forte non apprehendent mala & *afflictio ſpiritus* ex carentia viſionis DEI *in quem deſiderant Angeli aſpicere?* — pro cuius inſtantanea intuitione ipſimet quanquam intenſiſſimi dæmones, parati ſunt infinitum augmentum pœnarum ad diem Iudicij & vltra ſubire — cuius præſentiâ infernus Paradiſus foret — cuius abſentiâ Cœlum cum ſuis delicijs in faſtidium abiret — qui ſerenitate infinitâ nova 2.Reg. 14

nova ſemper gaudia in Beatos ſpirat — & copioſiſſime omnigenæ felicitatis divitias in eoſdem diſpenſat vt magis adhuc beet — Tantamne beatitudinis æternæ iacturam ſine gravi ſenſu doloris ſuſtinebis? — præſertim cum annexum ſibi habeat ignominioſiſſimum ab optata Patria exilium *in regionem longinquam* — eo magis formidabilem quia infinitis vt iam vidiſti refertam miſeriis? — & quidem irrevocabiliter per ſæcula &c.

Saltem Abſalon in hoc beatus, quia revocatus ab exilio fuit — & Regiæ reſtitutus fortunæ — & hæreditati redditus, Paternæ reconcilia-
2.Reg. 14 tione gratiæ: *Revertatur in domum ſuam* — quanquã ad tempus ſuſpenſus ne ſuſpirato vultu Patris potiatur: *Et faciem meam non videat* —
1.Petr. 1 Tu avulſus *à facie DEI hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſcibilem conſervatam tibi in Cælis* perdes? — & in æternæ damnationis abyſſum præcipitaberis? — O durum exitium! O immane

mane infortuniū *proiecti à facie* DEI – quod tantopere Rex S. David horrebat, vt toties & quidem in eadem Psalmodia ingeminaverit : *Ostende nobis faciem Tuam* [à qua vnice totum beatitudinis negotiū pendere noverat] *& salvi erimus* – tu ad tuum periculum (*miser & miserabilis* peccator cum sis,) in quo versaris non paves? – Jlle solicite nilies instando inclamavit: *Ne avertas faciem Tuam à me, ne declines in ira à servo Tuo* – *Non avertas faciem Tuam à me* alioqui *similis ero descendentibus in lacum* – *avertente autem* DEO *faciem* suam à te, ne quidem turbaris? – O lapis si tanti Monarchæ exemplo non moveris? o stipes si tam tremenda comminatione non concuteris? – ô vere iacturam ineffabilem? O ruinam irreparabilem *proiecti à facie* DEI &c. Psal. 79. Apoc: 3. Psal. 9. Ps. 142. Ps. 103.

O bone JESU plene misericordia & bonitate *ne projicias me a facie Tua* – *& ne obliviscaris in finem* quem hactenus per tot annos tolerasti – *Non avertas faciem Tuam* ab hac anima Ps. 50.

mor-

mortis æternæ affecta doloribus quam non avertisti ab ijs qui eam sputis & colaphis male tractarunt — Noli benignissime JESU filii Tui licet prodigi in æternum oblivisci, quem in
Isai. 49. Tuis *descripsisti manibus* — Noli in æternum à facie Tua opus manuum Tuarum repellere vtiq; Domine *ni-*
Sap. 11. *hil odisti eorum quæ fecisti* — *Recognosce ergo quod Tuū est & absterge quod alienum est* — *ne me perdat iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas Tua* — Et quid proderit mi JESU Maiestati Tuæ pro me tam humiliter exinanitæ, si me in æternum à facie Tua proiectum & exclusum in abyssum inferni, æternis trades cruciandum tortoribus? — *Numquid cum iratus fueris misericordiæ non recordaberis?* — *Numquid hæreditatem Tuam delebis?* — vel in rapinam dabis inimicis Tuis? — Equidem *preces meæ non sunt dignæ vt gratiam merear* — *Sed Tu Deus fac benigne, ne perenni cremer igne* — Non patiaris *miseritor-*
2. Cor. 1. *diarum Pater* vt quem in filium adoptasti, tota æternitate habeas inimicum

micum — Non patiaris vt cui naturæ Tuæ infudisti imaginem, ille Tuorum hostium præda fœdissime dilaceretur — Non patiaris vt cui inter cœlestes spiritus lumen gloriæ præparasti, ille ad infernorum tenebras condemnetur — Non patiaris vt quem Cœli sedibus destinasti ille damnatorum incendijs triste pabulum obijciatur &c.

Finita Meditatione claudes horam iuxta dicta Cap. 8. §. 3: addita hac v g. Resolutione: *In omnibus operibus* meis *memorabor novissima* ne *in æternum peccem*, interim quolibet vesperi *pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Rosetum, *Ne tradas bestijs animas confitentes Tibi, & animas pauperum Tuorum ne obliviscaris in finem.* Eccli. 7. Deut. 25. Psal: 73

Pro PRAXI De Purgatorio.

NOto etiam in hac materia omnia accomodari posse ex immediate antecedenti Meditatione, dempta sola æternitate, hâc enim solâ Purgatorium minus est inferno inferiori, *quod nihilominus dici potest infernus superior, quia & visione DEI beante privat, & omnibus tormentis vt supra excruciat animas beatas, solâ spe finitionis eiusmodi tormentorum eas recreante.* Psal. 85.

PRAXIS VII.

Omnium malorum propitiatorium PÆNITENTIA.

Apoc. 3. *IN tribulatione maxima erunt nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.*

Præparatio vt sup. cum pausa in lineolis servabitur

Præl. I Pones tibi ob oculos *Sanctum*

Dan. 9. *Sancto* (D. Ioan. Baptistam) imo ipsum *Sanctum Sanctorum* pœnitentiam in deserto egisse, & tanto utriusq; exemplo ad similem occupationem resolves

Prælud. II. Petes gratiam *à D. DEO tuo* per interpositionem ejusdem Præcursoris (sub cujus patrocinio hanc horam si non totam diem expedies) cæterorumq; sanctè pœnitentium, vt bene perspectis medijs ad salutem *facias dignos fructus pænitentiæ.*

CONSIDERA I. Te non absimilem

Luc. 15. esse *Filio prodigo* qui acceptâ *portione substantiæ* domum Paternam deserens *peregre profectus est in regionem longinquam*, vbi fræna cupiditatibus laxavit & omnia abliguriv... cum Patris dedecore — & extrema sui pauperie — Nonne tu es ille, quem *Pater Cælestis* tantopere & quidem *amore perpetuo dilexit?* — *hæredê DEI*

Rom. 8. — *cohæredem Christi fecit?* — & in præsen-

præſenti vita ſpecialem *ſubſtantiæ portionem* dedit, dum te ad Religionem vel N. N. vocavit — nec non tot gratiarũ munera ad rite obeundum munus tuum contulit — fervorem ſerviendi DEO infudit — ad contẽptum terrenorum accendit — ad ſequenda cœleſtia animavit — ad obſervantiam regularum promptitudinem inſtillavit &c. — Tu autem quid? *cum eſſes parvulus* ſcilicet Novitius *loquebaris vt parvulus* humiliter — *ſapiebas vt parvulus* ſimpliciter — *cogitabas vt parvulus* fideliter, nec aliud niſi *ad quid veniſti?* — *quando autem factus es vir* poſt Profeſſionem Religioſam, *evacuaſti quæ erant parvuli* — videri — laudari — audiri appetens ſæcularıſmum didiciſti — *altas cogitationes* ſed *non ſecundum cor* *DEI* cõcepiſti — *plus ſapere quàm oportet ſapere ad ſobrietatem*, incepiſti — Et quod peius eſt in *regione diſſimilitudinis à DEO ſalutari tuo* per oſcitantem ſpiritum & vitæ teporem retrocedens notabiliora peccata commiſiſti — *Divinum Patrimonium* dona vi-

1\. Cor. 13.

Rom. 12.

S. Amb. lib. 7 Comment. in Cap. 15. Luc. init.

deli,

delicet supernaturalia & gratias dilapidasti — vt non sentires amplius consolationes internas quas ab initio vocationis tuæ habuisti — & gustum ad cœlestes delicias in sac: exercitiis & bonis desideriis amitteres — consequenter loco vlterioris profectus, in viæ perfectionis, totaliter defecisti — Et quod peius est *exultasti in rebus pessimis sicut victor facta præda* — Hæc cogita Fili *qui potens es in iniquitate* & sentire cura vt liquescat anima tua in adulterio peccatorum deprehensa — & balneo lachrymarum laveris à sordibus delictorum quibus inquinatus es, — Dissolve iam colligationes iniquitatis quibus agglutinatus es recede *à falsis Prophetis* qui seducunt te — quære *iudicium & iustitiam* — & opportunâ pœnitentia, salva dilectā animam tuam &c.

Jerem. 9: Ps: 51.

Ah sis vtinam felix sicut *filius prodigus* — vtinam velis reverti *ad Patrem tuum* vbi tanti *mercenarij* (sæculares) *abundant panibus* quibus alantur ad vitam æternam — Tu *in terra*

ra aliena fame peris? — Redi ergo redi *reversus* in te ad pristinos fervores — *noli facere mala & non te apprehendent* — *discede ab iniquo & deficient mala absq; te* — proijce siliquas — relinque porcos — & quod recesseris à bono Patre insolenter, geme solenniter — suspira — dole — *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi* — *neq; taceat pupilla oculi tui* — *Clama ne cesses*: Ego sum qui peccavi ego qui inique egi — & *quasi tuba exalta vocem tuam* cum Prodigo: *Peccavi in Cælum & coram te Pater, non sum dignus vocari Filius Tuus* — vel cum Iobo: *Peccavi & vere deliqui & ut eram dignus non recepi* — vel cum Manasse: *Peccavi super numerum arenæ maris* — *multiplicatæ sunt iniquitates meæ* — *& non sum dignus intueri & aspicere altitudinem Cæli præ multitudine iniquitatum mearum* — *quia excitavi iracundiam Tuam* — *& mandata Tua non custodivi* — *statui abominationes* — *& multiplicavi offensiones* — ita ut *neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum si-*

Eccli. 7.
Thren. 2.
2. Reg. 24.
Job. 33.
Orat. Manass.
Psal. 58.

ne iniquitate cucurri & direxi &c.

Peccavi Domino peccavi — & iniquitates meas agnosco — & in amaritudine animæ meæ, quid in *Patrem misericordiarum*, quid in *Filium eius unigenitum* cōmeruerim, plenus pudoris & mæstitudinis confiteor: Ego sū ille, qui non reb⁹ tantūmodo creatis, male vsus sum, sed etiā supremis Divinitatis donis & gratiis abusus sū — Ego redēptionis Divinæ perverti consilia — mysteriū Incarnationis VERBI DEI sus superq; confudi — & sanctissimas intentiones eius aliò direxi — *Factus*

S. August. serm. 13. de Temp. *est DEVS homo vt homo fieret DEVS* — *O mira circa nos* Divinæ *pietatis dignatio*! stupet Ecclesia — *O inæsti-*

Ben. Cer. *mabilis dilectio charitatis* — *vt servum redimeres Filium tradidisti*! — ego vero in tantam me conjeci vilitatem, vt pro forma hominis, formam, dæmonis per peccatum assumere non

Rom. 6. Joan. 1. abhorruerim — *Ad destruendum corpus peccati VERBVM CARO factum est.* O gratiam inauditam! ego nihilominus nil aliud intendebam quàm iterum peccare — familiam eius scādalizare — templum S. suum pollue-

re – & firmare regnum peccati –
Peccavit homo & factus est reus, natus est HOMO DEVS vt liberaretur reus – S. Aug. cit.
ego contempto *suavi jugo* CHRISTI
in terram captivitatis redij – & vltroneè servitutι peccati me dedi –
Cecidit homo miserabiliter, descendit DEVS misericorditer – non alio fine nisi vt nos *mortis æternæ vincula rumperet,* Idem ibid.
in veram libertatem assereret – ego
me iterum mortis laqueis irretivi –
Cecidit homo per superbiam, descendit DEVS cum gratia, quam toties *in vacuum accepi,* quoties *stans ad ostium* cordis mei diversis inspirationis *pulsavit* & non aperui ei – quoties clamavit revocando *ab inferno animam meam: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, & ego suscipiam te,* nec *prossua reverentia audivi* eum – quoties dum non proficeret blandioribus modis, comminationibus atterruit me, reducendo ad mentem mortem – rigorem Divinæ iustitiæ – inclementiam inferni &c. & nihil curavi – & quidem quod omni admiratione maius est, sine vlIdem ibid. Apoc. 3. Ier. 3

lo inferni metu — sine vllo supremæ Maiestatis respectu — sine vlla ad mortem reflexione — exsibilavi promissiones Divinas — & minas terribiles contempsi, lenociniis mundi inescatus, — & dæmonis fraudibus circumventus — *Quis igitur dabit Capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* — vt saltem de congruo [de condigno enim etiam *die ac nocte plorando* per totam æternitatem impossibile est (deplorare) possem, tam indignam compensationem *pro omnibus quæ retribuit mihi* Dominus! — O bone DEUS quanta fuit hactenus ignavia mea! tempus ad pœnitentiam concessum perdidi — gratiam & auxilia reieci — vocibus Tuis quibus me vocabas ad pœnitentiam obsurdui! — O tempus maledictum in quo Te offendi — o misera cæcitas in qua Te non agnovi — o nefanda surditas in qua non audivi voces Tuas — o durum & infatuatum cor, quod se immiscuit pulchritudini & amori corruptibili Tuarum creaturarum — Te deserens

Ier. 9.

Ps. 115.

qu

qui es vera pulchritudo & bonitas æterna! — væ væ tenebris meis in quibus iacui — væ petulantiæ illi, væ insaniæ, quâ me in tot & tanta scelera resolvi &c.

Sed eheu me! non hic est finis inexplicabilis perversitatis meæ! & Divinæ clementiæ! — *amplius peccavi* & ille toleravit me — & iterum *adjeci peccare et* & sustinuit me — profanavi tabernaculum suum & ipse sanctificavit me — & *unxit me oleo misericordiæ suæ* — Quotidie crescebat mea malitia, è contra multiplicabatur quotidie super me misericordia sua! — Ego continuo resolut' eram ad peccandum, ille semper intentus erat ad expectandum — Sed *quis sapiens & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* — quis exponere sufficiat infinitam longanimitatem DEI? — *aut quis adjiciet enarrare misericordiam eius?* quis intolerabilem ingratitudinem meam & malitiam eloquatur? — *Impinguavit me dilectum suum* omnigena commoditatum provisione, & ego *recalcitravi*

Ps. 106.

Eccli. 18.

Deut. 32.

ei – *Dulcis & rectus Dominus legē sta-tuit mihi in via, ne offenderem ad lapi-dem pedem* meum, & *in lege eius nolui ambulare* – Ipse *elegit me ex millibus & vocavit me nomine meo*, & averti ab eo aurem meam – *Arguit me & statuit contra faciem meam, & proieci*
Isai. 40. *sermones eius retrorsum* – *In manibus suis sanguine suo descripsit me*, ego pro tam eximijs gratiis & beneficiis il-lusum – consputum – cæsum – *rur-*
Hæbr. 6. *sum*, *mihimet ipsi Filium DEI crucifigens* dirissima morte confeci – *& ostentui habui* – O Cœli amor! o spes vnica! o meum remedium! adhuc tamen vsq; modo supporta-
Jer. 9. sti me! – *væ mihi super contritione mea pessima plaga mea &c.*

Ps. 83. Et nunc *elegi abiectus esse in domo DEI mei* (Religione) propter pœ-nitentiam vbi pius Dominus instil-laverat *mihi* absynthium terrenorum *& vino compunctionis potavit me* infun-dens in copia Cœlestem supernorū ambrosiam – & ecce in loco pœni-tentiæ offendi *magis, quam si habitas-sem in tabernaculis peccatorum in sæcu-*

lo

lo nequam — profanavi *locum sanctitatis* maiori licentia — & in abiectionis statu ventosi tumoris & ambitionis fundavi receptacula — sub pallio modestiæ fovi exempla malorum, & sub specie religionis *DEO & saluti animæ meæ* tepide vivo — & perdite vixi — Antea scrupulos pro peccatis reputavi, nunc stolidior ipsâ naturâ casuum resolutor, etiam graviora pro scrupulis habere non patior — intantumq; in loco perfectionis multiplicavi delicta, vt *Cælestis Pater* meam licentiosam vitam mirari satis non possit, cum dicat: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* — Ah infelicem me! quid fiet de me in illa die quando discutientur omnia opera mea? — quando ad cribrum veniet inexplicabilis ingratitudo mea? — quando reddere cogar rationem ex talento? O *Domine DEUS salutis meæ per viscera misericordiæ* Tuæ *in quibus visitasti nos oriens ex alto* præsta ne imputetur mihi illa maledictio: *In terra Sanctorum iniqua gessit non videbit* glo-

Isai. 11. Psal. 87. Luc. 1. Isai. 26.

gloriam DEI! — *Alligavi duplicia pec-*
Eccli. 7. *cata* — *&* *aggravavi iugũ meum* quod
Deut. 32. deprimat me *vsq; ad inferni novissim*
— sic resoluente Bernardo: *In alijs nugæ, nugæ sunt, in Religiosis sacrilegia! &c.*

Jer. 15. *Væ mihi Mater mea quare me genu: isti virum dolorum* & miseriæ? — væ
Ant. Eccl. mihi *quia peccavi nimis* | *in vita mea!* O dies infelices quos turpiter transegi *diligens vanitatem* — & recedens *longe à salute mea* — Egone vile & proiectum cadaver ausus sum & qua fronte impudens, in ipsius Numinis & Angelicarum mentium conspectu, scelere meo impetere Creatoré meum, qui *ex nihilo fecit me.* — Redemptorem qui me *Sanguine redemit?* — Prædestinatorem qui *priusquam me*
Jer. 1. *formasset in vtero, novit me?* — *& antequam inde progrederer, recordatus est* in sua æternitate *Nominis mei*, quasi guttulæ in vasto mari? — & quasi arenulæ in vniverso hoc? — Egone infamis mercator pro momentanea voluptate DEO contempto æternos mihi ignium inferorum cruciatus,

com-

comparare non sum veritus ? — O quam magna est iniquitas mea ! — Ah pudet me mei & si nemo alius conscius foret impudentiæ meæ ! — quid vero erit cum toti mundo revelabuntur enormitates meæ ? — O si possem cum Israele hunc carnis Iæbusæum subiugare, si exterminare non possum ! — O Domine DEUS quando mihi plene moriar vt Tibi vivam ? — quando me ab omnibus rebus terrenis expediam ? — quando sensus & affectus cohibebo ? — & quidquid est in me vitiosum frænabo ? — *vtinam* post hac *ab omni vitio purgatus* — *ab omni inordinata affectione emundatus essem* &c.

Et nunc flecto genu cordis mei precans à Te bonitatem — quoniam Tu es Dominus Altissimus, *benignus* — *longanimis* — *& multum misericors* — *& pœnitens super malitias hominum* — *Tu Domine secundum multitudinem bonitatis Tuæ promisisti pœnitentiam & remissionem ijs qui peccaverunt Tibi* — *Quare peto rogans Te remitte mihi Domine* — *neq; in æternum iratus reserves mala* Orat. Manass.

mihi

mihi — neq; damnes me in infima terræ
Psal. 56 *loca — donec transeat iniquitas* — Ec-
Pf. 118. ce jam *concupivit anima mea desidera-*
re Justitiam Tuam, intende in adjutori-
Psal. 85. *um meum D. DEVS salutis meæ* —
Ecce sub Tuæ misericordiæ umbra
protectus, ad Thronum gloriæ veni-
am postulans pulso & clamo: *Tibi*
Pf. 50. *soli peccavi & malum coram Te feci* —
cui soli & semper à me & ab omni
creatura summa laus — honor — a-
mor — & benedictio debebatur. —
Rom. 9. propter quod *tristitia mihi magna est*
— *& continuus dolor cordi meo* — *vide*
Thren. 2. *Domine* quia *magna est velut mare con-*
Pf. 118. *tritio* mea, *& de lege Tua miserere*
mei — Ecce *sicut innundantes aquæ sic*
Iob. 3. *rugitus mei* — *hostiam vociferationis pla-*
Pf. 26. *catus accepta* — *Ægrotus sum ad Medi-*
S. August. *cum clamo* — *cæcus sum ad lucem pro-*
soliloq. *pero* — *mortuus sum ad vitam suspiro* —
Pf. 79. *Quousq; irasceris super orationem ser-*
vi Tui? — Poterisne ô *Pastor bone*
spernere vocem oviculæ balantis cor-
dis lachrymis — & de medio luporũ
infernalium fugientis ad Te, per pœ-
Pf. 118. nitentiam? — En *exitus aquarum de-*
duxe;

duxerunt oculi mei quia non custodierunt legem Tuam, auribus percipe lachrymas meas — *Fiant aures Tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ* — *& secundum multitudinem miserationum Tuarum dele iniquitatem meam* — Non ego Domine meritas peccatis pœnas metuo, sed me peccasse summe doleo, idq; ideo quia Te super omnia amo — Ergo jam bone JESU *cor contritum & humiliatum non despicias* — *afflictus sum* enim *& humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei* — *& gemitus meus à Te non est absconditus* — *Parce Domine parce servo Tuo; qui omnipotentiam Tuam parcendo maxime & miserando manifestas* — Sin minus? *Recedite à me* vanitates sæculi, iterum iterumq; *amare flebo &c.* Ps. 38. Ps. 129. Ps. 50. Ps. 37. Iob, 14. Isai. 22.

CONSIDERA II. Ne inutili tabescas dolore *oportet te veterem expoliare hominem cum actibus suis, & induere novum* — sic *insiliet in te Spiritus Domini & mutaberis in virum alium* — Scito te non ad vnum obligari actū pœnitentiæ, sed ex Sac: Concilij Trid. præscripto cuiuscunq; Christiani vitam Coloss. 3 1. Reg. 16

S. Th. 2. 2. q. 189 a. 3. ad. 3. tam continuam debere esse pænitẽtiam, quanto magis Religiosorum? — quorum convictus & cohabitatio æquivalere debet cuicunq; pœnitentiæ, vt pote continua Crux & mortificatio — At DEUS scit, an non certior

Ose. 4. sit illa prophetia: *Et erit sicut populus sic Sacerdos* — vel illud: *Ex quo DEO*

S. August. Epist. ad pleb. Hipp. 137. *servire cæpi, quomodo difficile sũ expertus meliores quã qui in Monasterijs profecerũt ita non sum expertus pejores, quam qui in Monasterijs ceciderunt &c.*

Verum quisquis sis qui peccasti,

Genes. 30. *justum est vt aliquando provideas* melius *domui* tuæ cum Iacob — & saltẽ semel in vita assecures magnum interesse conscientiæ tuæ, continuò

Sap. 14. Habac. 1: mente revolvens, quia *Odio sunt* DEO *impius & impietas eius* — & *mundi sunt oculi eius ne videant malum & respicere ad iniquitatem non possunt* — idcirco

Jer. 31. vt avertas odiũ DEI *Statue tibi speculam* diligenter prospiciendo futuris casibus — *pone tibi amaritudines* pro præteritis — *dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti* antequam in

Rom. 6. peccandi licentiam laxareris — *sicut enim exhibuisti membra* tua *servire im-*

munditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeas ea, servire iustitiæ in sanctificationem — Et *sicut portasti imaginem Adæ terreni, ita te portare ne-* 1.Cor.15.
cesse est & *Cælestis* — alioqui aut pœnitendum est, aut ardendum erit — præcavet Iob: *Qui vitat pruinam ir-* Iob.6.
ruet super eum nix — Ergo *apprehen-* Ps.34.
de arma & scutum pœnitentiæ, sine quibus exturbari nequit turba vitiorum — scilicet *luctum Vnigeniti fac ti-*
bi, planctum amarum — quem (vnige- Jer.6.
nitum) si quis habens perdit nonne vultu deiecto gemit? — nonne flet? — tu ecce *vnicam* tuam (Animam Ps.34.
intellige) misere perdidisti — & funus tuum tecum portas, nec tamen acriter plangis? — *Nomen habes quod* Apoc.3.
vivas, & mortuus es, nec ingemiscis? — An non sunt in te viscera miserationis vt plangas corpus a quo discessit anima, nec plangas animam a qua recessit DEUS? — Ecquid non deberes arripere vnice salutare remediū Pœnitentiam? quæ *à vitijs sæculi & à caligine peccatorum segregatos reddit* Ben. Cer.
gratiæ — *sociat sanctitati,* — *Fugat sce-*

lera

lera — culpas lavat — reddit innocentiam lapsis — & mæstis lætitiam — Potestne imaginari aliud efficacius peccatricis animæ restaurativum? — credisne securiorem præ alijs medijs ascensum ad Cœlum — diffidis Canonizatæ cuiusdam Sancti veritati: *O*

S. Petr. de Alcant. in Brev. Rom. 19. 8bris

felix Pænitentia quæ tantam mihi promeruit gloriam! &c.

Nec tibi durum videatur nomen Pœnitentiæ pro salute tua, & vita æterna cum sis peccator, cum ipsa innocentia CHRISTUS JESUS *Can-*

Sap. 7.

dor lucis æternæ, eius rigorem non abhorruerit prote — Et hoc exemplar deberet resolvere glaciem cordis tui vt fleres & pœnitentiam ageres pro delictis, quibus *ad iracundiam bonum*

Deut. 9.

Dominum provocasti, quamvis nullis beneficiis te affecerit — quanto magis si te innumeris & eisdem in momenta muneret? — quod facile deprehendes si expendes quâ te bonitate condidit — quâ misericordia redemit — quâ liberalitate locupletavit — quâ benignitate conservat & gubernat — quâ lætitia recipit ad se

rever-

revertentem — qua lenitate sustinet delinquentem differens vltionẽ dum cogitas emendationem — O si pensares benè, quanta te maneat pænitentia & forte æterna in futuro, cum magna amaritudine & quidem sine intermissione retroactam vitam defleres — duriora semper mollioribus præeligeres! &c.

O si hâc horâ, hoc momento videre posses quid cum tuis paribus agatur in inferno — qui *mediâ vita*, & in medio cursu peccatorum, imo post primum mortale à vindice fato absorpti misere torquentur — cum quanta serietate actionũ, cum quanto rigore mortificationũ, durissimã ageres pœnitentiam? — nec in vanitatibus mundi miserabiliter perderes tempus quod tibi *ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam — ad acquirendam gratiam — ad promerendam gloriam* misericorditer indultum est — Dubitas forte quod tot & tantos iustissimus DEUS minorum scelerum reos, quam sis tu, *qui potens es in iniquitate*, ad infernum præcipitavit Ant. Eccl. S. Bern. Ps. 51.

tavit

tavit? — Nonne Angelos tam excellentes creaturas ad vnius duntaxat cogitationis consensum, in ignem æternum detrusit? — nonne primogenitũ Adami, ob vnũ fratricidium
Rom. 1. in *reprobum sensum* dedit, & tandẽ damnavit — ipsũ quoq; Adamũ cum sua consorte, & omnes descendentes ab eis, propter esum vnius pomi dignos æterna damnatione pronunciavit — tibi vt parceret, vt dissimularet tot personalia delicta quid movit — Quis ligavit Divinæ justitiæ manus, ne te post primum immediate peccatum de medio viventium tolleret — præsertim quando illum novis & novis peccatis, ad vindictam provocabas! — quis oravit pro te quando sopore gravi in peccatis dormiebas? — sed potius pro summa sua pietate donec ad saniorem mentem redeas vsq; modo expectavit — nec non animæ tuæ calamitatem agnoscendi & detestandi eandẽ, sanctum otium, & moram indulsit vt jubilare possis cum Psalmista:
Ps. 93. *Nisi quia Dominus adjuvit me paulominus bas*

nus habitasset in inferno anima mea — Quis effecit hoc? — quod alijs infinitis minime concessum est, quos prius mors præoccupaverat & damnatio quam præstare id potuissent — Quis retardavit fulmen iusti furoris eius quod tecum pariter flagranti in crimine, *iudicio non contenderit?* — quod meritã damnationem dissimulaverit? — Quid nunc esset de te? — quomodo tractareris? qualiter torquereris — Adhucne inducias misérationis Divinæ vilipendes? — nec toto conatu studebis *properare ad Angelicã societatẽ* — *suspirare ad amissam hæreditatẽ* — *deflere admissam iniquitatem?* — *An divitias bonitatis eius* — *patientiæ* — *longanimitatis contemnes? ignoras* forte *quoniam benignitas* DEI *ad pœnitentiam te adducit?* — Ah veniet profecto tempus veniet, quando tonabitur super te: *Tacui semper silui* — *patiens fui* — nunc *sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul &c.* Eccli. 5. S. Berna. Rom. 2. Isai. 42

Ergo antequam veniat dies illa *convertere ad* D. DEUM *tuum quoniam corruisti in iniquitate tua* — pone Osee 14.

Tren. 3. in pulvere os tuũ | si forte sit spes remis-
Joel. 2. onis — Convertere ad eũ in ieiunio — &
in fletu — & in planctu — quia benignus
& misericors est, patiens, & multæ mise-
ricordiæ — & præstabilis super malitia
— quis scit si convertatur & ignoscat? —
& benedic DEUM Cæli, & omnium
viventium Dominum cum Psalmista:
Ps. 65. Benedictus DEUS qui non amovit ora-
Ps. 68. tionem meam & misericordiam suam à
me, cum infixus in limo profundi cla-
Psal. 39. marem ad eum — & exaudivit pre-
ces meas & eduxit me de lacu miseriæ
— & de luto fæcis — & statuit super
petram pedes meos, ne impingam am-
plius — & direxit gressus meos ne cor-
Ps. 137. ruam — & immisit in os meum canti-
cum novum, ut cantem in vijs Domini
Psal. 52. quoniam magna est gloria Domini — car-
men DEO nostro, & enarrem universa
mirabilia eius — Admirare cum Jere-
Thren. 3. mia: Misericordias Domini quia non
sumus consumpti — & exulta unani-
Ps. 12 miter cum eodem Psalmista: Bene-
dictus Dominus qui non dedit nos in ca-
ptionem dentibus eorum (luporum in-
fernalium) — Anima nostra sicut paf-

ser erepta est de laqueo venantium — laqueus contritus est & nos liberati sumus — ut sine timore de manu inimicorū nostrorum liberati serviamus illi — O Deus immortalis *cuius misericordiæ non est numerus*, quoties *peccantem me quotidie & non me pœnitentem, à mortis perpetuæ* præservasti *casibus* — quoties *mi Domine eduxisti ab inferno animā meam ut non periret — proiecisti post tergum omnia peccata mea* — & *salvasti me à descendentibus in lacum* — quoties *convertisti planctum meum in gaudium mihi — conscidisti saccum meum & circumdedisti me lætitia — Protexisti me à Conventu malignantium à multitudine operantium iniquitatem* — quoties irritatus non tamen iratus *operuisti ignominiam meam — quia eripuisti animam meam de morte — oculos meos à lachrymis — pedes meos à lapsu* — Ego veró quid pro tanto præservationis beneficio? iterum irritavi iram Tuam Domine — loco pœnitentiæ, ulterioris patientiæ aniam præbui, tot delicta — Heu me quam *bonum Dominum in multis offendi!* —

Luc. 1.

Ps. 29.

Isai. 38.

Psal. 69.

Ps. 114.

Amos 5

Hei mihi Domine qualiter hactenus vitam meam impendi — *thesaurisavi iniquitatem*, thesaurisavi mihi iram in die iræ & indignationis eius! *quasi*
Iob. 15. *aquam iniquitatem bibens!* Nihilominus ah quàm dura & quàm insensata facta est infelix anima mea! — & quomodo sic induruit cor meum vt non ingemiscat? — nec dolore tabescat ob multitudinem iniquitatis suæ? &c.

Ephes. 2. *O Domine DEVS dives in misericordia largus in miserationibus?* ecce
Apoc. 3. ego *mendicus & pauper sto ad ostium* clementiæ Tuæ & *pulso* — si forte post luctā cum hostibus salutis meæ dones mihi *benedictionem de rore Cæ-*
Gen. 27. *li*, cuius *stillicidia concupiscit anima mea* — *vt plangam paululum dolorem*
Iob. 10. *meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat* — Mollifica cor meum vt tandem redeat ad te — & in dolore ac multo planctu tabescat quod Te summum Bonum offenderim. — Mortifica & avelle à me quidquid displicet Tibi — vivifica & multi-

multiplica In me quod Tibi placet. *Tu qui mortificas & vivificas* DEUS 1.Reg. 2.
— Ah miserum me quia te offendi? — Heu me quia dies antiquos perdidi? — *Quis mihi det ut seminans in lachrymis* æternæ consolationis dies inveniam? — *Quare Domine de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem ne oculus me videret — fuissem quasi non essem de utero translatus ad tumulum* — & nunc ecce ad quantam miseriam deveni! — intra me descendi, quia Te offendi! — Agnosco culpam — accuso offensam — & indignum me comparere reor in Tuo conspectu — *nec audeo levare oculos ad Te — nec invocare Te.* — Sed *quo ibo?* — quem invocabo & succurret mihi — ad quem clamabo *& intendet in adjutorium mihi* — *si Tu me ejicies quis me recipiet?* — *si Tu me despicies, quis me aspiciet?* — *Convertere Dne usquequo?* — *& deprecabilis esto super servo Tuo* — Numquid Tu non es *Pater meus?* & quidē sine modo, sine mensura? — & licet ego per summam Iob. 10. Ps. 89.

scelus desierim esse Filius Tuus, Tu
non cessas obire vices, plus quam
optimi Patris vel Matris — prout
Isai. 49. me assecurat Propheta: *Numquid o-
blivisci potest mulier infantem suum, vt
non misereatur filio vteri sui, & si illa
oblita fuerit, ego tamen non obliviscar
tui?* O pietas inexhausta! o verbu
Ps. 118. salutiferum *in quo mihi spem dedisti*
— *Noli ergo Domine sic attendere ma-
lum meum, vt obliviscaris bonum Tu-
um — nec memineris ira adversu
reum, sed memor esto miserationis*
S. August. *Tua erga miserum — nam si ego ad-*
lib. Medit. *misi vnde me damnare potes, Tu non*
Cap. 39. *amisisti vnde salvare soles — Vsquequo*
Ps. 88. *Domine avertis in finem? — exarde-
scet sicut ignis ira Tua? &c.*
2. Cor. 1 O DEVS *totius consolationis* ad
Te solum, *verba doloris effundo*, mise-
ricordiam Tuam implorans, vt faci-
as opus Tuum, quod est *misereri &
parcere — Adiuva me fortitudo mea vt*
S. August. *per Te sublever — succurre mihi vir-*
soliloq. *tus mea vt per Te sustenter — veni lux*
Cap. 2. *mea vt per Te videam — appare mihi
vita vt per Te vivam — Ad Te suspi-
ro etc;*

ro creatura Tua, Creator es recrea me — ad Te clamo factura Tua vita es vivifica me — ad Te anhelo Tuum plasma, Plasmator es, restaura me — Domine secundum actum meum noli me iudicare Ant. Eccl. *nihil dignum in conspectu Tuo egi — ideo deprecor Majestatem Tuam vt Tu deleas iniquitatem meam — Amplius lava me Domine ab iniustitia mea & à delicto meo munda me — & veniat super me misericordia Tua Dne — salutare Tuum secundum eloquium Tuum* — Ps. 118. Ne despicias voces & singultus ovis perditæ, & filij prodigi ad Tuã, pietatem redeuntis — non enim lætaris in perditione morientium, qui vt ego non morerer mortem subire dignatus es — Heu quoties contempsi Te, & abij in regionem dissimilitudinis post praua desideria cordis mei — *Dereliqui Te panem vitæ* glandesq; ac siliquas à porcis conculcatas ac protritas comedi, passiones & affectus animi inordinatos, brutalesq; appetitus secutus — cumq; inutiliter dissipata omni substantia ad Te nudus & fame consumptus re-

versùs sum, Tu suscepisti me. O incõprehensa benignitas! — & omniũ iniquitatum mearum oblitus es. O incomparabilis clementia! — vermis terræ retribui mala pro bonis — & heu quot mala? — & quam gravia peccata pro tantis & tam eximiis bonis — *Confiteor igitur vilitatem meam — agnosco Tuam bonitatem, & laudo pietatem — & gratias ago propter nimiam charitatem* — quodq; Tuam impudenter offenderim Maiestatem.

Th Kemp. Lib 4. Cap 2. de Imit Christi

Ingemisco tanquam reus
Culpa rubet vultus meus
Supplicanti parce DEUS &c.

Iniquitates meæ diviserunt inter me & Te? — & peccata mea absconderunt faciem meam ne exaudires — *Confundor & erubesco DEUS meus levare faciem meam ad Te — quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt Caput meum — & sicut onus grave gravata sunt super me* — Bonum mihi quia amasti me amore æterno, & infinito, nisi enim infinita esset bonitas Tua, nullo modo tolerare posses miseriam meam — transeunt enim dies & di-

1. Esdr. 9.

Ps. 37.

es — anni & anni, & ecce nihil pro-
ficio — vincat igitur & absorbeat
bonitas Tua malitiam meam — vtiq; S. August.
*maior est misericordia Tua quam impie-
tas mea — plus potes dimittere quam e-
go committere — & plus parcere quam
ego peccator peccare.* — verum quidē
est me omnium quos mundus ha-
bet vitiosissimum esse — sed si sunt
super numerum peccata mea, non
est etiam numerus misericordiæ Tuæ
— & si ad salvandos peccatores ve-
nisti? ecce me maximum — salva
me; alioqui in infirmitate mea pe-
ribo — En nunc rebellem cervicem
meam inclino, & ad aram miseri-
cordiæ Tuæ vltro me Tibi victimam
sisto — hoc vnicum à Te suppliciter
postulans *vt non peccem* — sed in o-
mnibus faciam voluntatem Tuā —
Sæpe quidem volui *& statui custodi-* Ps. 118.
re iudicia iustitiæ Tuæ — verum quid
prodest velle, nisi Tu des perficere?
Non enim quod volo bonum hoc ago sed Rom. 7.
quod odi malū hoc facio — Tu nosti fragi-
litatē meā & notæ Tibi sunt viæ meæ
quia

quia nihil possum, nihil sum, sine Te — nec nisi ex Te omnis sufficien-
Ps. 34. tia mea — *Exurge* itaq; *in adiutorium mihi* & potenti gratia vires adde vt propositum voluntatis meæ efficaciter impleã. — *Ne derelinquas*
Psal. 37. *me Dñe DEVS meus, ne discesseris à me — intende in adiutorium meum D.*
Ps. 118. *DEVS salutis meæ, & non dominetur mei omnis iniustitia* — *Custodi me à*
Psal. 140. *laqueo, quem* [maligni spiritus) *statuerunt mihi — & à scandalis operantiũ iniquitatem — quia ad Te Domine Domine oculi mei, in Te speravi non auferas animam meam* — O si tandem aliquando quod amant mundani pro nihilo reputarem ! — O si ianuas sensuum meorum rebus terrenis occluderem ! —. o si cunctis virtutibus ornarer vt Tibi per omnia placerem — *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas*
Ps. 118. *iustificationes Tuas* — O *DEVS fortitudo mea* qui cannas erigis in
Isai. 40. columnas & *aspera in vias plenas* attemperas, fac vt nullis tentationum stimulis succumbam, — omnes occasiones peccandi à longe prospiciam

&

& fugiam — & nulla vnquam illicita perpetrem — *Qui doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellū, da robur fer auxilium ne commovear — sed in DEO meo transgrediar murum.* — & *quæ placita sunt ei faciam semper* &c. Pf. 143. Pf. 17. Joan. 8.

CONSIDERA III. *Quis peccavit?* — quoties? & in quem? — Non maior in minorem, sed minimus in supremum omnium Superiorem — non liber in servum sed mancipium *in Dominū Dominātium* — non homo in Angelū sed *opprobrium hominum & abiectio plebis in Angelorum Dominum* — Minus dixi plus dico: Non par in parem, sed rationale infimum in vniversorum Authorem — non frater in fratrem, sed ingratissimus filius plus quam in amantissimum Patrem — non factura in facturam sed in Creatorem creatura — non *vas in figulum* sed *terra & cinis* in DEUM — sed impius in *Sanctum Sanctorum* — sed fætidum sperma in impollutum — sed sordidus terræ vermiculus in Cœlorum Conditorem — sed opprobrium Apoc. 19. Pf. 21. Eccli. 17. Dan. 9.

brium naturæ — pudor generis humani — adeo ut si in DEUM verecundia cadere posset, nullius rei cũ puderet magis, quam quod conservet peccatorem — & eo magis quia
Genes. 4. non *septuagesies septies* — non centies — non millies — sed infinities & infinitam ausus est offendere Maiestatem — Hæc dum perpendis quomodo etiam de *propitiato peccato esse*
Eccli. 5. poteris *sine metu*? — præsertim cum Ambrosius adeo difficilem asserat veram pænitentiam, quam impossibilem probat nostra perversitas — dicit enim: *Facilius est in peccatum non*
S. Ambr. lib. vnic. Cap. 10 de Pænit. *labi, & innocentiam primævam conservare, quam post lapsũ veram sincerãq; pænitentiam agere* — O grande tonitru! — o horrendam sententiam! — ô tremendam peccantibus intimationem! — Adeone difficilis est nostra salus! — adeone insufficiens ex se pœnitentia, aliqui ordinata ad delenda crimina? — Ergone vera non erit illa Maxima: *Quâ hora ingemuerit peccator, salvus erit*? — Quis vnquam tutus erit? — quis certus

salus

salutis æternæ? — siccine siccæ erunt lachrymæ ad eluendas vitiorum maculas natæ?— Itane singultus inutiles ad emolliendum irati Numinis cor, â supplici natura excogitati? — tam parum valebunt calida suspiria ad expugnandum etiam *æneum Cælum* subornata? — Et dolor — & pudor — gemitus — detestatio — proposita pro nihilo omnia ista erũt? — O quãtũ concutior ad hoc fulgur! — ô quam totus plane *in statuam salis* obrigesco! — Hæreo *inter spem & metum*, nec securus de venia, nec desperans de gratia — O si nunquam peccassem! — ô si nunquam in tantam miseriam & calamitatem incidissem! — *utinam non recessisem à Patre* [coelesti] *impedimenta nescissem* gratiæ — O *beatum virum cui non imputavit Dominus peccatum* — *nec est in Spiritu eius dolus* — O ter *beatos quorũ remissæ sunt iniquitates* — *& quorum tecta sunt peccata*! — O beatiores illos qui innocentiam non amiserunt — qui Baptismatis gratiam illibatam servaverunt — O infelissimos, qui a-

Deut. 28. Gen. 19. S. Ambr. Lib. 7. Comment in Cap. 15 Luc. init. Ps. 31.

liquan-

liquando vel vnico mortali peccave-runt, nec qua par est doluerunt — & huc usq; de condigna pœnitentia minus curant &c.

Nihilominus erige te ô anima mea, *respira o peccator, respira ne desperes — spera in eo quem times — fuge ad eum à quo aufugisti — invoca importune, quem superbe provocasti* — arripe *dignos fructus pænitentiæ* — sume indulgentiæ fiduciam — *Numquid in æternũ projiciet DEUS?* — *aut non apponet vt complacitior sit adhuc* — *aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem?* — *aut obliviscetur misereri DEUS* — *aut continebit in ira misericordias suas?* — Animat te etiam ille qui atterue-rat Ambrosius: *Bonum Dominum habemus, qui venit non vt iudicet mundum sed vt salvetur mundus per ipsum* — vel vt ait Th: Kempen: *venit te quærere non perdere — venit te solvere non ligare — venit malapati non irrogare — cupit te liberare non incarcerare* — Quod vt fortius credas & quod credis exequaris ecce

S. August. L. de cont. cord.

Luc. 3.

Ps. 76.

Ioan: 3.

Tom. 1. Pars 2. Conc: seu Medit. 6. de Nat. Christi.

te assecurat (quanquam sub certis clausulis) etiam Propheta: *Si autem impius egerit pænitentiā, ab omnibus peccatis suis quæ operatus est — & custodierit omnia præcepta mea — & fecerit iudicium & iustitiam vita vivet — & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor — in iustitia sua quam operatus est vivet — Numquid voluntatis meæ, est mors impij? dicit Dominus — & non vt revertatur à vijs suis & vivat?* — Proinde *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem — subito enim veniet ira illius — & in tempore vindictæ disperdet te* — Imo magis diebus istis paucis *non impediaris orare semper* ad redimenda peccata tua — *& ne verearis vsq; ad mortem iustificari* — quoniam quamdiu DEUS erit DEUS, iam hæ horæ non redibunt — horæ salutis — horæ pænitentiæ — horæ dandæ, restaurandæ conscientiæ — Observa quantis sermonibus ipsemet *misericors & miserator Dominus* compellat & invitat etiam induratos, in malis ad pænitentiam: *Audite duri*

Ezech. 18
Eccli. 5
Eccli. 18
Ps. 110
Isai 46

corde

corde qui longe estis à iustitia, prope feci iustitiam meam non elongabitur — & salus mea non morabitur — Redite prævaricatores ad cor — convertimini ad
Zach. 1. *me & ego convertar ad vos — convertimini & videbitis quid sit inter iustum & impium — inter servientem DEO;*
Isai. 1. *& non servientem ei — Si fuerint peccata vestra vt coccinum* ob impudentiam perditi pudoris, *quasi nix dealbabuntur — & si fuerint rubra quasi vermiculus* per mentis confusionem, *velut alba lana erunt* — tantummodo
Jacob. 4. *miseri estote & lugete — & plorate — risus vester in luctu convertatur — gaudium in mærorem*, cantus in planctus.

Si tantis se offert obstinatis, quanto cum amore adhærebit tibi, *si in toto*
Thren. 3. *corde tuo quæsieris illum — Bonus est Dominus sperantibus in eum — animæ quærenti illum* &c.

Ecce etiam tibi obligat se in spe-
Ezech. 6. cie: *Quiescet indignatio mea in te — & auferetur zelus meus à Te — & quiescam ne irascar amplius — Hic est fons*
Zach. 13. *patens domui David & habitantibus* Cælestem *Ierusalem in ablutionem peccatorum*

cato-

toris & menstruata — ideoq; peccatores recipit — respicit Petrum — tangit cor Magdalenæ — abblanditur Iudæ — Paradisum promittit latroni — conversionem præstat Centurioni — attrahit miserans telonarios — iustificat Publicanos — & indiscriminatim omnes vult salvos fieri — Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur — & gratiam inveniamus in auxilio opportuno — Auget fiduciam dilectus Christi secretarius : Filioli mei hæc scribo vobis ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM iustum — & ipse est propitiatio pro peccatis nostris — non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi — semper tamen timor cum fiducia conjungendus est, quia si multus est ad ignoscendum multus etiam est ad vlciscēdum — Ergo dum tempus habemus Jer. 31. Hœbr. 4. 1. Io. 2. Isai. 55.

Flectamus iram vindicem
Ploremus ante Iudicem Hymn Quadr.
Clamemus ore supplici
Dicamus omnes cernui. cū Prophe-

Isai. 64. *ta: Et nunc Domine Pater noster es Tu, nos vero lutum — & fictor noster Tu; & opera manuum Tuarum omnes nos — Ne irascaris Domine satis — & ne ultra memineris iniquitatis nostræ — ecce respice populus Tuus omnes nos — Con-*
Ps. 84. *verte nos DEUS salutaris noster, & averte iram Tuã à nobis — nec multitudinẽ viscerum Tuorum super nos contineas —*
Dan 9. *non enim in iustificationibus Nostris prosternimus preces ante faciem Tuam, sed in miserationibus Tuis multis — Multum quidem peccavimus* — sed *audi benigne Conditor, nostras preces cum fletibus — & propter gloriam Nominis Tui parce, confitentibus —*

Laxa malum quod fecimus
Hymn Quadr. *Auge bonum quod poscimus*
Placere quo tandem Tibi
Possimus hic & perpetim. &c.

Claudes horam iuxta dicta Cap. 8. §. 3. exposito examen institues si forte habeas aliquã occasionẽ peccandi; quam evacuare studebis, adiunctâ hac v. g. Resolutione. *Recogitabo Tibi omnes an-*
Isai. 38. *nos meos in amaritudine animæ meæ* per contritionis actum *mane & vespere* Roseti loco sæpius per diem tundens pectus cum Publicano replicabis: *DEUS propitius esto*
Luc. 19. *mihi peccatori.*

Affectus Pænitentis.

Ad emolliendum cor impœnitens.

O Lachrymæ vbi estis? vbi estis lamenta? Quo vos subduxistis fontes lachrymarum? vbi es mæroris vnda? Redite obsecro lachrymæ. Movemini in me fontes lachrymarum, rigate me fletibus, humectate maxillas, aspergite genas, date planctum amarum. Inter omnes ego graviter corrui, inter omnes durius cecidi, omnium impiorum pœnas scelere vici, idcirco tartarea tormenta vix iniquitatibus meis sufficiunt. Cum peccatricis conscientiæ meæ librum revolvo, vestem innocentiæ in Baptismo acceptam graviter conscissam invenio, vulnerúmq; meorum cicatrices magis corruptas, quàm sanatas agnosco. Heu infelici animæ meæ! *Quis medebitur* malis meis? Quid primùm plorem? quos luctus prius, quas lachrymas fundam? Iam præsens pæna me laniat, sed futura magis conturbat. Iam in pænā tormenta tolero, sed ex culpa ge- Thren.

hennam formido. Iam deploro præsentia, sed de futuris amplius ingemisco. Metuo diem Iudicij diem tenebrarum, diem amarum, diem durum. *Heu me quia curro post vulnera dedignans incolumis præcavere iacula, neglexi prospicere tela, modo verò sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi, & quæ Divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis quæ super inducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit, quia iterata iniquitas, concessam misericordiam exinanivit,* propter quod si DEUS pro iustitiæ suæ rigore mecum agere, & pro peccatorum meorum merito, me punire vellet, non possem non meritò æternæ adiudicari damnationi.

s. August. Medit. 8. Cap.

O quoties me, mi DEUS in inferni abyssum iustissime præcipitare potuisses, attamen pepercisti mihi. O quoties erroneo mihi, sola inductus misericordia & longanimitate

indul;

indulsisti! quoties surdum me ad resipiscentiam provocasti! quoties cõtumacem me & refractarium ad Te attrahere & convertere voluisti! O quoties ad pænitentiam beneficiis me pellexisti, cruce coegisti, ego verò terga verti Tibi. O cæcitatem o insaniam meam! qui nec *tempus visitationis Tuæ* agnovi, nec salutis animæ meæ rationem habui & huc vsq; Paternam vocationem & patientiam pro nihilo habui. Scio quod tum peccatum, tum peccatorem oderis, nec vllam iniquitatem impunitam sinas, nec permittas vt impurũ aliquod ad S. Tuum Ierosolyma ingrediatur, & ideo vehementer expavesco, sed consolor me o DEUS recordatione infinitæ Tuæ misericordiæ, *in qua mihi spem dedisti* ideoq; Psal. 118 confidentissime Te compello, *& clamo? Abba Pater miserere mei.* Recor- Rom. 8. dare creaturæ Tuæ quam plasmasti *& parce peccatis meis*, quem ex ni- Iob. 14. mia charitate *pretioso Sanguine redemisti.* Hymn SS. *Pænitet* enim *me peccasse* & Aug. & Ambr. vtinam magis pæniteret. *Cupio e-*

mendare quod feci, ad quod (o vita vitæ meæ, sine quo morior, & ad quem suspiro) adiuva me, quia *nihil possum sine Te*. Da misericordissime DEUS mihi misero peccatori veniam petenti, qui tamdiu pepercisti delinquenti. Jlla, quæ Te movit vt me redimeres, pietas, Te moveat, etiam vt me audias; necessitas enim magna *quam patior, cogit me* vociferari ad Te. O Domine audi clamores meos, vide lachrymas meas, intellige mea suspiria, & succurre.

s. August. soliloq. Cap. 2.

Succurre mihi antequam tartara me rapiant, antequam flāma comburat, priusquam me involvant tenebræ. subveni priusquam gehennæ ignibus circumder. Angor timore Iudicij, terreor pavore peccati, exhorresco ad immanitatem sceleris mei. Væ mihi quia vas peccati factus sum, & tabernaculum spiritus impuri. væ diei illi quando peccavi; væ diei illi in qua natus sum! vtinam non illuxisset dies illa. O dies detestanda! o dies infelicissima, quæ ortus mei ostia aperuit. Dies illa ver-

tatur

tatur in tenebras, æterna illam cæcitas obruat, densa caligo confundat. O quàm melius mecum esset *si natus non fuissem*! Lugete me omnes creaturæ, plorate elementa, ingemiscite super me Cœlum & terra, & quo potestis vitæ sensu super me lamentum fundite. Peccavi enim enormiter, corrui miserabiliter. Nullum invenitur peccatum cuius sordibus non sim coinquinatus, nulla vitiorum sentina, à qua sordidum non contraxerim contagium. vt bene viverem ah quoties statui, quod autem statui nunquam servavi, *Quoties vt canis redij ad vomitum, & quasi sus repetij volutabrum. Fateor quia mihi recordari est impossibile, quod mortalium ignorantes, peccare docui, volentes delinquere persuasi, resistentes coegi, volentibus consensi: quod sanè gradientibus, laqueum induxi, viam quærentibus, foveam retexi, vt patrare non horrerem oblivisci non metui.* Plurimos meis pravis moribus scandalizavi, scelere meo multæ animæ perierunt, exemplis vitæ meæ quot & quanti suo-

Marc. 14

S. Aug. cit

subversi sunt; idcirco *venit super me*
Genes 24. *tribulatio &, afflictio magna nimis.*

O anima mea quis miserebitur Tui? aut quis consolabitur te? quis
Thren. 2. dabit lamentum pro te? *magna est velut mare contritio tua*, afflictio tua sicut pelagus, dolor tuus quasi flu-
Ps. 12. vius tumens. vbi es o *Custos hominum! Cur avertis faciem Tuam a me* Consolator animæ meæ? Quare in perpetuum oblivisceris mei, in medio ma-
Ps 73. lorum meorum? Revertere iam & *ne obliviscaris in finem*, quoniam Tu Salvator meus es. Quot scelerati, Tuâ clementiâ ad indulgentiam pervenerunt! ostende & mihi misericordiã Tuam, non deneges vni quod plurimis contulisti. *Placare obsecro & miserere mei, nec avertas faciem*
S. August. Medit. Cap. 39. *Tuam á me, qui pro me redimendo non avertisti faciem Tuam ab increpantibus & conspuentibus in Te. Fateor quia peccavi & conscientia mea meretur damnationem, & penitentia non sufficit ad satisfactionem, sed certum est quod misericordia tua superat omnem offensionem. Noli quæso piissime Domine scribere adver-*

adversum me amaritudines meas, ut intres in Iudicium cum servo Tuo, sed secundum multitudinem miserationũ Tuarum dele iniquitatem meam. Displicet mihi quod adeo petulanter, quod tam impie Te contempserim, Maiestatemq́; Tuam toties honore debito, & convenienti gloriâ defraudaverim: errorem confiteor, culpam agnosco, vocem confessionis aperio, & iniustitias contra me pronuntio. Suscipe quæso vocem confitentis, *intende voci deprecationis meæ*, parce malis meis, indulge sceleribus meis. Ps. 85.
Si enim *iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Ad examinis Tui rigorem, ne iustitia quidem Iusti secura est; *non* enim *est homo justus super terrã qui faciat bonum & non peccet.* Quis ergo præsumat coram Te aliquid de Iustitia, qui etiam *in Angelis reperis pravitatem? Stellæ* Cæli *non sunt mundæ in conspectu* Tuo, quanto magis ego abominabilis *putredo & stercus terræ*, qui velut gurges hausi iniquitatem. Ps. 126. Eccli. 7. Iob. 4. Iob. 25.

Memento Domine *quæ sit mea substan*

substantiâ quia *cinis & pulvis* sum. Succurre fragili conditioni, consule
Iob. 14: infirmæ materiæ, *operi manuum Tuarum porrige dexteram. Pateant aures misericordiæ Tuæ supplicanti.* sana vulnera mea, solve vincula (priusquam moriar) peccatorũ meorum. Concede quæso vt hoc tempore gratiæ
Ioan. 3. cum Nicodemo ad Te convertar, cum
Luc. 15. filio perdito admissa peccata confitear, cum Magdalena deplorem, cum
Luc. 7. Luc. 18. Publicano cor contritum & humiliatum Tibi offeram, & ita ex potestate & carcere infernali liberatus, & à morte peccatorum excitatus Tibi DEO meo per vitam meam sincere serviam, & gratias agam.
S. August. Medit. Cap. 5. *Sic Te Omnipotens Pater per Omnipotentis Filij charitatem postulo, educ de carcere ad confitendum Nomini Tuo animam meam, libera me à vinculis peccatorum per æternum flagito vnicum Tibi natum, meq; cui propria merita, lethalem minantur sententiam, pretiosissima ad dexteram Tuam consedentis Prolis interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigam*

Inter-

Intercessorem Tibi, nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram Tuam interpellans pro nobis. Ecce Advocatus meus apud Te DEUM Patrem. Ecce Pontifex Summus qui non alieno eget expiari Sanguine, qui proprio refulget perfusus cruore. Ecce Hostia sancta beneplacens & perfecta in odorem suavitatis oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit peccata nostra pertulit, & languores nostros suo livore sanavit.

PRAXIS VIII.

AMORIS incendium Vehiculum ad Cælum

IGnem veni mittere in terram & quid volo nisi ut accendatur? Luc. 12.

Præparatio solita ex Cap. 8. §. 1. & in Praxi *de Fine Ult.* cum pausa in lineolis servabitur.

Prælud. 1. Cogita te nullum in mundo habere amicum, imo totum universum ex quo peccasti semel, adversum tibi puta, solum DEUM te amare, & animam suam pro te protegendo paratum ponere, crede,

Prælud. II. Roga, DEO affectionari cor tuum
Brev. Rõ. ita *ut nullum præter eum amatorem admittas*; nec
21. Ianuar. *amas sub sole* quidpiam ames supra illum.

CONSIDERA I. Amorem esse Magnetem quendam mutui amoris cum nil provocet magis amatum ad redamandum quam amantis amor. Ipse nosti quisquis amicum habes qui te intensissimè amat, nonne ei retaliare niteris gratâ mente, reciproco affectu ? — nonne *cogitas*
Ier. 29. *cogitationes pacis* ad firmandam cum illo cordis vnitatem ? — nonne buccinas bonitatem eius esse sine felle? — dotes — virtutes — talenta &c. sine comparatione ? — quibus velut ligulis amicitiæ te fortius agglutinas eidem ? — Et DEO qui te eviscerato amat amore, vsq; ad exinanitionem sui ipsius, quid tale præstas ? — quomodo respondes ei qui
Ier. 31 *charitate perpetua dilexit te* — *& ideo attraxit te miserans?* — quomodo amas obiectum amoris tui, qui velut gelu frigidissimus es — supra petram durissimus &c.

Magnam quidem injuriam DEO face-

faceres si non magis eum quam terrenum aliquem amicum amares — at vtinam saltem ita ac creaturas amasses — qui nunquam *toto mentis ac cordis affectu* ei adhæsisti — nunquam satis *vocis ministerio* laudes eius *personasti* qui amat te plus quam se — Ipsa natura, ipsa humani cordis structura admonitum te habere vult, vt super omnia feraris amore in DEUM — *vnus spiritus* efficiaris cum eo — quod cum sit pyramidalis figuræ, puncto terram tangit, tota latitudine halat in Cælum — at tu inverso rerum ordine basim eius firmasti in terra — vix aliquãdo pũcto Cælum attigisti — O despecte mundi vermicule! *omnibus momentis vitæ tuæ* testari deberes gratas vices *Creatori tuo*, ex eo solo quia perpetuum eius es mancipiũ — nunquam satis dignum vt te benigno dignetur aspectu, naturâ vilissimum — moribus sordidissimum — corde ingratissimum — qui non solum *misericordes oculos* deflectit ad te — sed etiam cor suum quasi in quodam scrinio repo- Ben. Cor. S. Ant. Pad

nit in

nit in te — in te solo deliciari amat
Skarbnica — tecum conversari desiderat — tuus esse — vt mirari satis nequeat mortificatissimus Iob, quin exclamet
Job. 7. *Domine quid est homo quia magnificas eum — aut quid apponis erga eum cor tuum* — Et vt tuum pectus amore impleret, totum sui amore à se pro-
Psal. 90. cul expectoravit — dum *in omnibus viis tuis quibuscunq; ambulasti* maioré tui curam quam sui respectum habuit semper — Tu vero naturam amo-
Coloss. 1. ris invertisti dum non ea *quæ sursum sunt* amasti — sed *quæ super terram* — cor tuum creaturis obligasti — Creatorem tuum *qui fecit te ad se*, facturâ suâ privasti &c.

Sed *nauseat* iam *anima mea super* disordine eiusmodi — delirium meum est si eo tendam, illud amem; quod tu *Sapientia Patris* abhorruisti — Fastidio omnia — aversor vniversa vtpote indigna eo corde, quod
Eccli. 24 non satiatur nisi DEO — *In omnibus* quippe *requiem quæsivi* & extra Te *non inveni* DEUS meus amor meus —
Eccl. 26 in omnibus nihil, nisi *laborem & dolorem*

lorem, *vanitatem & afflictionem spiritus* deprehendi — recordatus sum Tui & ecce pax & consolatio *quam mundus* & creatura *nulla dare potest* — *Quidni ergo diligam Te Domine fortitudo mea & refugium meum?* — quid *me à charitate* Tua *seperabit?* quid à Tuis amplexibus impediet? — *O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris!* *accende me totum igne amoris tui* — *& flamma æterna charitatis* — *vulnera animam meam peccatricem igneo & potentissimo telo Tuæ nimiæ charitatis* — *confige cor meum iaculo Tui amoris* — *percute durissimã mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis Tuæ* — *vt dicat Tibi anima mea: charitate Tua vulnerata sum* — O mi JESU cur intermisi vllo tempore versare Te in corde meo? — Te tota mente amplecti — & delectari in dulcedine Tua — Ad te nunc o Amor superne suspiro — clamo — anhelo — Te stringo intimis cordis mei affectibus — O si semper Te solum cogitassem? — ô si Te amore perpetuo dilexissem! — o si omnia cordis Tui desideria

Psal. 17.

S. August. soliloq.

ada-

adamussim explevissem, — confidentius nunc irem in Tuos amplexus sanctissime Amor! Nunc autem conscius pudor infamem animam confundit, reijcitq; ad oscula pedũ Tuorum nitentem — Nihilominus Te solum mi JESU ex hoc momento quærere — Te solum ex toto corde diligere statuo — imo iam *tota dilectione* in Te ferri incipio — Tu vero

S. Bonav. jn præp. ad Miss. *dulcissime Domine IESV transfige medullas & viscera animæ meæ, suavissimo ac saluberrimo amoris Tui vulnere — & altius ad intima penetra vt langueat — & liquefiat solo semper amore & desiderio Tui — Te concupiscat & deficiat in atria Tua* — Transforma illam in Te Amor Divinissime, vt non amet nisi Te — non quærat nisi Te — nihil ambiat nisi Te _ *Ad Te ten-*

Idem. ibid *dat — ad Te perveniat Te meditetur — Te loquatur — & omnia operetur in laudem & gloriam Tuam. &c.*

O fortissime & potentissime DEus, vince me charitate Tua, & reforma voluntatem istam vagantem per creaturas — vt feratur pondere dile-

ctionis

ctionis ad redamandum inexplicabilem in me Bonitatem Tuam — Fac me funditus mori huic mundo, & fluxarum rerum oblivisci præ magnitudine timoris & amoris Tui — vt nihil temporale diligam vel metuam — vilescat mihi Domine omnis creatura vt nihil mihi placeat nisi Tu — Penetret amor Tuus viscera mea & omnem alienum amorem expellat — & amoveat omnia ad Te amandum impedimenta — ita vt *neq; mors — neq; tribulatio — nec angustia — nec fames — nec nuditas — nec persecutio — nec gladius — neq; creatura alia separet* me *à charitate* Tua *quæ est in Christo IESV Domino nostro* — Rom 8. Succende me, ignita vi amoris Tui vt sim Tecum consummatus in vnum — omnino abstractus à me ipso & ab omni creatura — Pereat in me amor proprius & omnium rerum qui non est propter Te — vt Te solum & semper tota mente recogitẽ — Te toto corde diligam — Te in memoria continuo teneam — Tibi

totâ animâ adhæream ~ *quia Tu es DEUS fortitudo mea* — præsidium meum — vita mea — *tota fiducia mea* — *divitiæ meæ* — *delectatio mea* — *iucunditas mea* — *gaudium meum* — *quies & tranquilitas mea* — *refugium meum* — *auxilium meum* — *portio mea* — *possessio mea* — & quidquid potest esse obiectum amoris mei omne bonum meum &c.

Bonav. citat.

O chára vita mea DEUS meus, quando moriar rebus omnibus terrenis! — quando vniar Tibi perfectè — quando perempta in me omni proprietate totus Tuus ero? — O si possem Te amare amore infinito & infinitos honores Tibi deferre! o si Te omniũ Prædestinatorum affectu honorare possem! ô si Seraphinorum flammâ amoris ardere! — o si omnium Electorum cultu venerari! — *dignus* enim *es accipere gloriam* — *& honorem* — *& benedictionem* &c. — Respice ô Amor suavissime votum meum, sicut *respexisti munera pueri Tui iusti Abel* — & mitte ignem de Cælo in viscera mea quæ fiant

Apoc. 4

Can. Miss.

cut

cut lampades ignis atq; flammarum — Cant. 8.
ità vt *aquæ multæ non possint extinguere charitatem nec flumina obruant illam*
— Tibi ô clarissime Cæli splendor viscera mea sacrifico, vt ea potentissimo charitatis Tuæ incendio comburas — Illabere in penetralia cordis mei & imprime mihi servo Tuo dulcissimam & admirabilem speciem Tuam, vt quiescat in suavitate præsentiæ Tuæ — O Tu *qui facis* Hæbr. 1.
Ministros Tuos ignem urentem fac vt semper ardeat ignis amoris Tui in altari cordis mei — in tantumq; crescat incendium, vt non tantum sacrificium sed & altare succendat & consumat &c.

O floride sponse animæ meæ quando me in suavissimos amplexus amoris Tui quibus constrictus Spiritus meus totus ardeat & comburatur, recipies? — O charitas æterna DEUS meus quando me totum ardentissimâ amoris Tui flammâ concremabis? — O amantiũ deliciæ quando me Tibi charitatis vinculo vnies?
— O DEUS meus omne bonum me-

um quando replebis me gratia vt cognoscā quod Tu sis mihi omnia, quodq; verè extra Te nihil sint omnia? — O quando Te super omnia amabo? — quando Tibi in omnibus perfecte placebo? — *Da Domine* S. Augusti. Meditat. Cap. 1. *cordi meo Te desiderare — desiderando quærere — quærendo invenire — inveniendo amare* — Cognoscam Te Domine virtus mea — inveniam Te desiderium cordis mei — diligam Te vita animæ meæ — Hæc sit pars Psal. 118. mea & *portio mea Domine* vt reformatus ad exemplar amoris Tui totus inflammer æterno ac dulcissimo incendio Tuo — Iunge Te mihi inseparabili dilectionis vinculo quia Tu solus amanti sufficis — En ex nunc proijcio me in ardentissimam fornacem amoris Tui succende me totum — inflamma cor meū — viscera comCant. 5. bure *vt liquefiat anima mea* solo semper amore Tui — *& in Meditatione* Ps. 38. *mea exardescat ignis* — ita vt iugiter Tibi ardeam — Tibi vivam — in Te moriar &c.

CONSIDERA II. Ut pluribus titulis

titulis tuum in se affectum colligeret Deus, innumeris numerat te donis, vt si forte non accenderis illius amore, convincaris beneficiis ad redamandum eum — Habeas licet nescio quàm amantem Patrem — vel amicum — vel benefactorem — nullus tamen conferet tibi totum quod potest — multo minus totum dabit pro te quod est, sicut *dator omnium DEVS* — Qui quantùm ad Bona Fortunæ non honores tantùm — non possessiones tantùm — non plausum populi &c. sed *quod mundus dare non potest sanitatem corporis* — *integritatem mentis* — *tutelam salutis &c.* — Pro nutrimento *primitias frugum terræ &c.* — Pro oblectamento *flores rosarum & lilia convallium &c.* Pro ornamento *byssus & purpura indumentum eius* &c. — Verbo: quæcunq; sub visum — gustum — odoratum &c. cadunt, omnia munera tua comperies, quibus Deus te pascit cum esuris — potat cum sitis — operit cum nudus es — fovet cum friges — reficit cum deficis — sanat cum ægrotas —

Orat. Eccl

Exod. 23

Cant. 2.

Prov. 31.

Et quidquid, terra mariq́; vtile vel delectabile reperiri potest, totum hoc cum toto famulitio, Elementorum — cum omnibus influentijs astrorum — & toto Cœlorum apparatu in emolumentum corporis tui contulit — admirante Psalmista: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves & boves vniversas insuper & pecora campi* — eo præcisè fine vt tuum amorem in se devinceret — *vniversa* equidem *propter semetipsum operatus est Dominus* hæc nihilominus vniversa, nonne magis tibi famulantur quam qui fecit ea? — vt vel sic eorum allectus famulitio tuū tuo Benefactori promptius & quidem adulitalitium testeris affectum — Attende quæ tua est obligatio! — vide *quantùm debeas Domino tuo* quem fraudas expectatione sua, dum amorem dividis in creata — *Redde quod debes* DEO &c. Per creaturas DEVS tuum ô viator venatur amorem — cui capiendo toto orbe ponit earundem laqueos & hamos — At tu ah quam misere caperis ab eis, qui per easdem potuisti

Psal. 8.

Prov. 16.

Matth. 6.

sti capere DEVM? — vtinā tandem sis amoris Divini præda ne fias alterius amoris prædo! — Et *si creaturæ sunt fontes Divini Amoris*, ecquid de illis gratitudinem non sugis? — Cur *quemadmodum cervus ad fontes aquarum* non *desideras* per creaturas ad centrum amoris DEVM? — nec *qui aquam hauris in benedictionibus dulcedinis puteum coronas? &c.* S. Th. opusc. 61. Psal. 41.

Vide iam superbe pauper qui iactas in sapientia & gloria — qui exorbitas *in superbia & in abusione* — *quid habes quod non accepisti?* — *si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis* — Cuius est *consilium & æquitas?* — cuius *prudentia & fortitudo?* — nonne per hunc *Principes imperant & Potentes decernunt iustitiam* qui *talem potestatem dedit hominibus sicut scriptū est: Dispersit dedit pauperibus &c.* Si ergo corpus quod *pulvis & umbra* est, quod vix oritur, moritur, *DEVS sic vestit* — tantopere curat — tam sollicite providet — *Nonne anima plus est quam esca vermium?* — quæ quanto nobilior est tanto donis naturæ Ps. 30. 1. Cor. 4. Prov. 8. Matth. 9. Ps. 111. Matth. 6.

&

— & Gratiæ honoratior & præstantior esse debet? — Quis attentet numerare dotes animæ si tot & tanta bona in gratiam corporis humani effudit DEVS? — Ipsum esse
Psal. 8. Animæ *quam admirabile est in vniversa terra*, cum sit *totum in toto, & totum in singulis eius partibus?* — totum *spiritus & vita est* — & totum sine partibus adeoq; indivisibile — Nunquam nascitur — moritur nunquam, sed ad interminabilem vnquam finem, & nunquam appretiabilem facis, immortalitatis creatur — verbo: Natura eius vix comprehendi potest ob incomprehensibilitatem mysterij SS. Trinitatis quod tanquam *in imagine & similitudine* sua repræsentat &c.

Et *Gratiæ* dona quis audeat recensere — quis dinumerare adæquatè queat illustrationes Intellectûs
Eccli. 12 sive *mirabilia opera Altissimi* cognoscentis — sive bona facienda voluntati proponentis — sive arcana æternæ sapientiæ speculantis? — Quis affectiones pias voluntatis dignè eloquatur

quatur sive ad virtutem allicientes? — sive à vitiis retrahentes? — Quis memoriam refertam bonis exemplis — Divinis monitis — spiritualibus collocutionibus — sanctis conversationibus salubribus consiliis — eruditionibus sacris, idq; *redarguentibus in malo* — vel adhortantibus ad bonum — Imo ipsas etiam vltiones peccatorum — pœnas — tribulationes — miserias — morbos & cætera impedimenta malorum — inter præcipua Divinæ providentiæ computa beneficia iuxta illud: *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium* — *Etenim* vt docet alia scriptura *quia non profertur cito contra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala* — Qui inquam hæc & id genus Gratiæ dona adamussim recensere vellet, deberet inprimis numerare omnia momenta æternitatis *à parte ante*, quibus nobis voluit bene *antè mundi constitutionem* — & similiter omnia instantia æternitatis *à parte post*, quibus nobis

2. Mach. 6

Eccl. 8

Ephes. 1

bis

bis decrevit omnia in perpetuũ, quæ disposuerat ab æterno. Imo non æternitatis instantia sed vitæ tuæ momenta *numera si potes* quæ cum sint infinita & quidem divisibilia in alia infinita iuxta Philosophum de continuo successivo, quale est minima temporis quo tu vivis particula: *Duc in altum* legitimam consequentiam, quot erunt beneficiorum infinita, respectu Corporis & animæ – & non solum positiva (quibus te per infinita infinitorum instantia vitæ tuæ muneravit – vel munerari nisi ipsũ impedivisses decrevit – docente Paulo: *Potens est autem Dominus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum*) sed etiam negativa, quia nimirũ positivis si tibi data fuissent abusurus eras ad animæ tuæ irreparabile præjudicium – Hinc mensura beneficiorum DEI in te, sola æternitas erit – cum etiam per infinita numerans nunquam ad iustum eorundem computum pervenies – dato namq; quod

Arist.

2.Cor.4.

possis

possis invenire principium quando tibi Deus cæpit benefacere, sed nunquam invenies quo voluit benefacere — quia *Misericordia Domini ab æterno usq; in æternum &c.* Ps. 102.

Et quorsum tendit tantus beneficiorum DEI exercitus, nisi vt expugnet duritiam cordis tui — & subjuget Divino imperio de redamando DEO? — Quo fine ardet æternus amor, nisi vt tu ad ignem sui amoris incalescas & reciproco dilectionis affectu respondeas ei? — Si parva sunt hæc ad emolliendum cor tuum? ecce *fidelis in promissis Deus* majora repromittit *diligentibus se* — *quæ nec dari possunt ab hominibus nec auferri* — tantummodo vt venari possit volubile cor tuum — & mercari vel vnum animi affectulum? — Ergone denegabis ei quod tam *carò emitur* ab eo? — Numquid rationabiliter familiaritatem cum DEO contemnes, quam tibi ex corde gratulari deberes? — Numquid amicitiam ejus perpetuam repudiabis, vt tibi *facias amicos de mammona iniquitatis?* — Luc. 16.

quos

quos vel tu ipse, vel ipsi te in momento conversationis fastidiant? —
Thren. 1. vt hactenus observasti *in omnibus charis* tuis? — rectenè facies attende si quo maius Cœlum non habet pretium despicias; — Si abbreviata manus hominis pro quantaquanta recula, imo plerumq; sola spes vana promissi potest expugnare cor tuum — vt pro dato minimo [quod certe minimum dici meretur per respectum ad Dantem & datum Divinum] exponeres totum quod es — & quare DEO *pro omnibus quæ retribuit tibi* — imo pro toto se — non tribuis partem tui? — qui te ad id amore allicit — beneficijs devincit — repromissionibus Cœlestibus attrahit — mandatis vti absolutus Dominus adstringit — minis ni amaveris terret — insuper rogat — instat — obsecrat —
Ps. 115. (marginal note beside "re DEO")
Prov. 23. — *Fili præbe mihi cor tuum.* &c.

O misclle homuncio & quæ maior ingratitudo potest esse, tuâ, quam negare DEO quod ei omnibus titulis debes? — quæ duritia, corde tuo maior, si amore non langueat tantis molli-

mollitum artificiis? — Metalla igni liquescunt, eodem ferrum fit tracta-bile, adamantis resistentia hircino sanguine frangitur — tu durior ferro & ipsâ adamantinâ petrâ, cum nec ignis infernalis tuam duritiam frangat — nec pietas amantissimi Patris te emolliat — nec *sanguis immaculati Agni* te facere queat tractabilem — Et quid amabis qui tantũ Benefactorem non amas? — ob quod beneficium gratus, eris qui te tot & tantis beneficiis exhibes ingratum? — quomodo poteris non honorare illum, qui te tantopere adamavit? — qui tanta cum solicitudine quæsivit — qui tanto *labore & dolore* redemit? — Quis insensatus eiusmodi *vinculis amoris* non libenter trahi se sinet? — quis non his catenis vinciri se permittet? — quis non ligari desiderabit & à tantis beneficiis superari? &c. 1. Petr. 1.

Sed quid sunt hæc omnia & alia innumera respectivè ad *Increatã Gratiam* — ad excessum charitatis Paternæ — ad illud donum quando Deus Matth. 26. Marc. 14.

Fili-

Luc. 24. Filium suum vnigenitum *tradidit in manus peccatorum* — Ioanne teste: *Sic*
Ioan. 3. *DEVS dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* — *Non enim misit DEVS Filium suum in mundum vt iudicet mundum sed vt salvetur mundus per ipsum* — O verè grandem Divinitatis excessum! ô prodigalitatem inauditam donare vnigenitum — & tradere pec-
Rom. 5. catoribus — *Commendat autem Charitatem suam DEVS in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est* — *O quanta cha-*
Th. Kemp. Conc. seu Medit. 22. de Christi Passion. *ritas summi Patris! quanta dilectio vnigeniti Filij DEI* — *quanta benignitas Spiritûs S, superabundavit in omne genus humanum! Quid dicis ad hæc anima mea? Numquid ingrata eris, aut immemor esse poteris tantæ charitatis?* — *Quomodo poteris negligere eum, à quo tam diligenter quæsita es?* — *Quomodo non amare qui te tam ardenter amavit?* — *Nonne fortis est vt mors dilectio talis?* — quis vnquam hominum mortuus est pro iusto vel amico, ne dicam pro

pro inimico pro peccatore? — Amicus amicum amare potest — velle illi bene, potest — sed mori nescit — & tamen ab invicem redamari meretur — DEUS & amat omnes *dilexit omnia quæ fecit* — & indiscriminatim benefacit omnibus *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, & cum *inimici essemus reconciliati sumus* DEO *per mortem Filij eius* — & tamen mirum est tanta dignatio non accendit peccatorem ad Crucifixi amorem! — ô stupor! ô indignitas! Magnitudinem amoris Divini in hominem nulla lingua explicare sufficit, & tamen hunc minimè rutilans ignis accendit! O anima mea *ama amantem & tam valide te amantẽ vt potius eligeret mortem subire quam te perire* — Ah mea est ingratitudo ista! mea durities? — Ego stolidus rerum æstimator vanitatibus deserviens gratam mentem obligavi sine beneficio — cor meum vendidi mundi fallacijs sine pretio — summo & vero Bono postposito! — Heu insensatum me deceptus vixi! — Ah quoties creaturis velut quibus-dam

Matth. 5

Th. Kemp citat.

Ben. Cer.

Philipp. 3. dam diis quales sunt *venter Deus* — Ephes. 5. *Pecunia idolum* — non bovem, non hircum, sed meipsum immolavi turpi sacrilegio — DEO O. M. qui cum sit ditissimus exinanivit semetipsum vt me veris locupletaret divitiis, ne quidem vno calenti cordis suspirio reservato! Hæccine meruit qui se totum in meum commodum effudit? qui tantam de me in omnibus solicitudinem adhibuit? &c.

Cum nihil eram *manus eius fecerunt me & plasmaverunt me* — *in pec-* Job. 10. *catis venundatus eram*, ipse venit de Cælo & redemit me — *perieram ipse quæsivit* & reduxit me — quando steti tenuit me — quando ivi deduxit me — quando ignoravi docuit me — quando erravi revocavit me — quando repugnabam blandius invitavit me — quando torpebam excitavit me — quando periclitabar admonuit me & *sub vmbra alarum suarum protexit me* — O infinitam Bonitatẽ Dei! — & tamen nec ista ex silice cordis mei scintillam Divini excitavit amoris! — Insuper *nudus egressus sum de*

de vtero Matris meæ, ipse *purpurâ & bysso* investivit me — pusillus & orphanus eram ipse adoptavit me — & *hæredem regni* sui constituit me — mortuus eram, ipse *inspiravit in faciem meam spiraculum vitæ* quando in Cruce *voce magna clamans expiravit* pro me — & hac dilectione nulla maior, vt cum Ioanne quisq; fatebitur: *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis* — quid pro inimi.. s & quidẽ tam atrociter exponere vitam? vt ille fecit — O saxeum pectus si non diligas diligentem, cum ipse diligat etiam offendentẽ! — Heu infelicem me qui tam perfide toties, immensum in me amorem rependi — O Charitas! ô Bonitas infinita DEVS meus! — quam molestum & amarum mihi est quod vnquam in Te sic vel sic peccaverim? — cur ô Cælestе delicium vel vnico momento recessi à Te! — cur inebriavi Te absynthio qui mille *benedictionibus dulcedinis prævenisti me*? — O anima mea dic mihi *quid mali* illa Bo- Joan. 15.

 nitas

nitas, illa misericordia *fecit* Tibi ? — aut *in quo* vnquam *contristavit Te? re-spon de mihi* — Eia dirumpere imani dolore vel nunc, super ingratitudine tua — & facere ingenue, te infinitos infernos ad numerũ infinitorum beneficiorum quibus abusa es, promeruisse — nec non serio insta apud DEUM vt complere & coronare dignetur in te, sua beneficia Divini amoris augmento — quatenus tu satiari non possis in redamando illo, qui exsatiari non potest in benefaciendo tibi? &c.

CONSIDERA III. Tantam duritiem esse humani cordis vt nullis medijs flecti possit ad redamandum DEUM, ideoq; *opus habet* conformi apud omnes Evangelistas *primo & maximo* Mandato ipsiusmet DEI:

Matt. 22. Marc. 12. Luc. 10. Io. per totũ *Diliges D. DEVM tuum ex toto corde tuo — & in tota anima tua — & tota mente tua* — O perdite homo non te pudet egere præcepto de diligendo DEO, cuius amore ad redamandum mutuo provocaris — & quem libere ex merito tot beneficio-

rum

rum amare debes? — Quis vnquam & quidem sine lege non amavit amantem? — aut quod ipsi videbatur bonum, fastidivit? — vide quod totum cor tuum debeas DEO, qui creavit totum — totam mentem ei conservare debes, qui inter primas mundi delicias habet amare te — & animam suam ponere pro anima tua — quam idcirco indivisibilem creavit vt totam pro toto se dares — tu nihilominus indivisibile hoc, quodamodo excarnificasti — & potiorem eius (si non totum) partem in hecatombe Mundo — carni — dæmoni (*quod est idolorum servitus*) litando dicasti — Ah miselle disce vel à brutis animantibus *gratiam pro gratia* reddere — & observa qualiter canis pro misero bolo abblanditur lingua, applaudit cauda: catus pro exiguo frusto murmurat gratitudinem, & quâ potest arte benefactorem suum recreare conatur — quid non dicerent etiam de furiosis feris (si hic esset locus texendi historias) quæ non solum acvitalitium fidele obsequium, Ephes. 5. Ioan. 1.

ſed vitam ipſam Dominis ſuis obligānt pro aliquo beneficio, & quidē ſine nova extra naturalem lege – & tu vltra naturalem inſtinctum Divinā lege ad redamandum ſummum Bonū ſtringi pateris ? – & pro mille momenta beneficiis, vnum tuo Creatori & Datori omnium, denegas affectulum ? – O te cunctis beſtiis ſtupidiorem ! &c.

Quis vnquam opus habuit lege vt amet pulchrum ? – vel amplectatur bonum ? cum ad hoc ipſa natura impellat – ad illud vix non cæci rapiantur ? – prout recte innuit Philoſophus, inutili reſpondens quæſtioni: *Cur amamus pulchrum ? Cæci inquit iſta quæſtio eſt* – Nonne tu præ cæteris cæcus es, qui ſummam pulchritudinem faſtidis? – & inani fuco illaqueraris ? – Nonne tu brutis animantibus ſtolidior es, qui contra naturæ ductum – contra ſupernum inſtinctum: *Quærite bonum & non malum, odite malum & diligite bonum*, invertens naturam rerū *mundi peripſema vſq; adhuc* cligis, & bonica-

Ariſt. Amos 5. 1. Cor. 4.

nitatem infinitam spernis ? — Dic mihi cur amas hæc terrena ? nisi quia pulchra sunt — vel quia bona sunt — possuntne pulchra esse magis vel tam bona, atq; ipse, à quo facta sunt ? — reclamant scripturæ: *Nemo bonus nisi solus DEUS* — Nemo pulcher nisi *Speciosus forma præ filijs hominum* — *vt quid ergo diligis vanitatem* & amas infinitè distantia à bono ? — vt quid fastidis veram pulchritudinem, & afficeris deceptorio fuco ? — Ah insensate ne quidem similitudine boni, vel pulchri caperis, & ipsi substantiæ non affectionaris — corticem amas, nucleum & medullam abominaris — deciperis imaginato bono & veram bonitatem non amplecteris — Adhucne superni Regis mandato vrgeri vis, qui tot *vinculis charitatis* quot beneficiis in eius amorem traheris ? — O ferreum cor si nec amore DEI ad redamandum eundem emolliris — nec beneficiis nisi lege ligatus expugnaris — quidsi nec sic expugneris ? quantum nefas, ne dicam flagitium erit ? &c.

Luc. 18.

Psal. 45.

Psal. 4.

Ose 11.

Maximum sacrilegium est dicebat S. Teressia) *Deum non amare* — & quale non erit postposito DEO, totum cor dispensare in creaturas? — qui licet infinita habeas, ea non satis essent *in holocausti hostiam immensæ Maiestati?* — Imo Paulus anathema di-
1. Cor. 16. cit ei *si quis non diligit D. JESUM CHRISTUM anathema sit*, & quale anathema non erit eis; qui hunc Dominum non tantum non amant sed etiã multimodis offendere præ-
Ep. B. Iud. Apost. sumunt — *carnem* suam impudicitiis &c. *maculant* — *dominationem spernunt* — *Maiestatem autem blasphemant* — qui indies vix non tot peccata committunt quot beneficia recipiunt — ut
Iob. 14. mirum sit quomodo DEUS *dignum ducat super huiuscemodi* peccatoribus *aperire oculos* suos — quos tot lenocinijs & beneficijs, tot adinventionibus & artibus, nec ad amoré suum valet allicere — nec à malis retrahere — O DEUS bone si vere amamus aliquã creaturã, cum quanta circũspectione curamus, non dare illi aliquã vel mini-

minimam displicentiam — & Domi-num vniversorum — summam amabilitatem — pro tantis beneficiis, tot disgustibus inhonorabimus? — Ah reflectere quisquis talis es, & time aliquando iustitiam, qui dum peccas non amas bonitatem — *Quid vltra debuit facere & non fecit tibi?* — Isai. 5. *an quod expectavit vt faceres uvas* reclamationis Divinæ, *fecisti labruscas* dishonoris & contemptus? — *Haccine reddis* plus quam Benefactori tuo, quia plus quam Patri tuo? — Non-ne *cum illo donavit* tibi *omnia, per quem* Rom. 8. *fecit omnia?* — Ergone pro his magis ac magis eum disgustabis? — Quid pro te ipso? quid pro toto Cœli & terræ thesauro retribues ei, qui *bonorum* tuorum *non eget?* — Dabis teipsum nihil iustius? quia *te fecit ad se?* — sed quid es, si peccator es? — reddes vitam vix titulum conservationis compensabis? — & pro titulo Redemptionis quid dabis ei, Ps. 15. *cujus sunt omnia?* — *Quid ergo retribuam Domino* exclamat Bernardus Lib. de dilig. Deo *pro omnibus quæ retribuit mihi?* — *In pri-*

primo opere me mihi dedit — *in 2do se* — *& vbi se dedit, me mihi reddidit* — *Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo* — *Quid DEO tribuam pro se?* — Quid tu qui multo minùs præ Bernardo habes? — Offeres vitas Angelorum & hominum? quid sunt hæ in comparatione vnius stillæ sanguinis JESU CHRISTI? — Adhucne ei tot titulis obligatum dilectionis affectum subtrahes? — adhucne amaritudine replebis? — ingrati-
Eccli. 20. tudine laniabis? — Ah *miserere animæ tuæ placens DEO* per amorem — Ama & amaberis, amor enim maximè Divinus reciprocus est — dummo-
1. Io. 3. do *diligas non verbo* tantum, *neq; lingua* tantum — sed corde — *sed opere & veritate* — prout requirit Cælestis
Io. 14. Amor dum ait: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me* — Et vt amantis legem perfectius exolvas, permissa desuper pro DEI amore pati, non detrecta — *In hoc*
Th. Kemp. Conc. 22. de Pass. Christi. *enim cognoscuntur veri amatores videlicet in voluntaria perpessione cujuslibet gravitatis* — cum insigne amoris documen-

cumentum sit *agere & pati* pro eo quem quis amat — Nec minus *probatio dilectionis est exhibitio operis* ac Passio — præsertim si sit cum gaudio aut cum antecedenti desiderio — è contra *Nimis languide amat qui pro amato pati nescit* — Hinc si DEUM te amare credis, sed *agere & pati* fugis *natura contraria*, tibi mentiris &c.

S. Greg. hom. 30. in Evang.

S. Anselm. Cantuar. Arch. Ep.

Th. Kemp. lib 3. cap. 49. de imit. Chr.

Ac eheu me! Quis amor infinitæ charitati à me reddi potest qui frigus & gelu potius, non amor dici mereor? — Quomodo possum dici amare DEUM, qui pro eius amore non feci quidpiam boni — nec sum passus aliquid mali? — Quomodo possum Divini amoris ardere flammâ, à malignitate mea ardori æterno in pabulum destinatus! — *Quomodo possum scire aut æstimare quod diligam Te, nisi ex sufferentia tribulationum pro Nomine Tuo* — O DEUS! ô Bonitas! ô dignitas amoris! — quid sum ego apud Te ut imperes mihi ut amem Te — *Quid est homo & quæ gratia illius*, ut in eius Tibi complaceas

Eccli. 18.

ceas affectu ? – Indignus sum ego Domine qui amem Te – sed quia Tu dignus es vt ameris à me, *iube quod vis & fac quod iubes* – *Paratum cor meum DEVS paratum cor meum*, quamdiu vixero amare Te – & quidem sine lege – sine modo – sine mensura vt Te decet & docet Bernardus: *Modus diligendi DEVM est diligere sine modo* – Dato namq; quod sim reprobus, dato quod Te non sim amaturus in æternum, hoc ipso per totam vitam meam amabo Te & ex amore Tui serviam Tibi – Si homines mundani eo etiam titulo inbiant & adhærent viscose rebus temporalibus, quia illis non sunt fruituri post mortem – quanto æquius ego fruar Te in vita, si Te non sum fruiturus post mortem – ne sim ante tempus infelix – Caream Cœlo & dato quod carebo Te in Cælo, hoc ipso nolo Te carere in terra ne sim bis miser & hic & ibi – Nunc igitur ex totis visceribus meis amo Te o bonitas summa DEUS meus & si vides me in hoc deficere sal-

S. August in Ps. 101 & Ps. 107.

Lib. de dilig. Deo. Dont. 1.

tem

tem desidero super omnia amare Te — & si satis id non opto, saltem desidero id multũ desiderare — Parce mei amoris audaciæ DEVS meus, qui posuisti *lævam sub capite meo & dextera tua amplexaris me*, intra Tua brachia cogis me — In illa reverentissime coniectus & vivere volo & mori cupio — Tu stringe me nec permittas me separari a Te &c. Cant. 2.

Ecquid non amem Te Pulchritudo Cœli immensa, cum amare Te non est *manere in morte?* — docente Paulo: *Qui enim adhæret Deo* [*qui charitas est*) *unus spiritus est cum eo* — *& qui manet in charitate in DEO manet & DEVS in eo* — Sed væ mihi quia solicitor valde mundanis amoribus qui dilacerant animam meam! — *omnia desiderabilia Filiorum Adæ Patris mei* militant contra me — & paulominus furantur improvidum cor meum — Si expellam amorem vnum propter Te Domine, nesciens per quam portam introierit, invenio intra me, amorem alium fortiorem illo — & multiplicatur pugna & solicitudo 1. Io. 3. 1. Cor. 6. 1. Io. 4.

citudo mea ficut guttæ pluviæ cadentis in terram — Hæc est fervitus mea nimis dura, qua crucior vsq; in finem — neq; suppetit remedium nisi in Te solo DEVS cordis mei, qui potes convertere ad solum decorem Tuum lacerata viscera mea suspirantia Tibi — Imaginabar mihi quoddam bonum *sub sole* cum sint
Eccl. 1. *universa vanitas* — capiebar phantastica rerum pulchritudine quasi nescius quod sit *fallax gratia & vana*
Prov. 31. *pulchritudo* super terram — & his *abstractus & illectus* alligavi cor meum
Iac. 1: — non attendens Rationalis scientiæ talentum & principium: *Propter quod aliquid est tale & ipsum magis* — & ideo Divinam Bonitatem quæ sola amabilis est posthabui — ideo summam pulchritudinẽ despexi! — *Quis mihi det* vt ab hinc saltẽ nihil velim nisi Te, salus & libertas mea — vt disrumpantur vincula colli portantia multa iuga non hominum sed iumentorum — Si digneris Domine respicere hanc creaturam Tuam positam in tormentis, & trahere me post Te

ego

ego sacrificabo Tibi viscera mea — & surgent quasi virgula fumi ignita suspiria ex altari cordis mei — *O charitatis victima Tu* vitiosos affectus *concrema — vt cor caduca deserens*

Cæli voluptas impleat &c.

Finita Meditatione conformiter ad dicta Cap. 8. §. 3 impedimenta Divini amoris examinabis, & si quæ in te deprehenderis amputare decernes addita hac Resolutione simul & Rosceto, pro sensus diversitate quam continet illud Canticum Davidicum: *Diligam Te Domine fortitudo mea* &c. v. g. *Mane & vespere & meridie.* Serviet etiam pro Roseto, illud ad Divinum Spiritum. *Veni Creator Spiritus, Accende lumen sensibus, infunde amorē cordibus.* vel illud ad Beatām Ps. 17. Psal. 54.

Fac vt ardeat cor meum
In amando CHRISTVM DEVM,
Vt sibi complaceam. &c.

Fructus *Amoris Divini* est servire DEO prout etiā ad FINEM VLTIMUM tendentia idcirco pro supplemento immediatæ Praxis, videri poteris R. D. *Blasium Palma* Cler: Reg. si te forte magis accendet suis internis actibus virtutum in Libello intit. THESAURUS INDEFICIENS ad Amorem Divinum. Pro supplemento vero Praxis de FINE ULTIMO valebit ex Th. Kempen. Lib. 3. de Imit. Christ. Cap. 10.

ME-

MEDITATIO
De Servitute quam Deo debemus

Ps. 30. *O Quam magna multitudo dulcedinis Tuæ Domine quam abscondisti timentibus Te!* — Quid amantibus Te? — quid toto corde Tibi servientibus? — In hoc maxime ostendisti mihi dulcedinem charitatis Tuæ quia cum errarem longe á Te, reduxisti me vt servirem Tibi — Quomodo ergo potero Tui oblivisci qui mei dignatus es recordari etiam postquam contabui & perij? Fecisti vltra omnem spem misericordiam cum Servo Tuo — & vltra omne meritum gratiam & amicitiam exhibuisti — *Quid retribuam tibi pro gratia ista si etiam debitum servitutis* subtrahere præsumam? — Numquid magnum est vt Tibi serviam, cui omnis creatura servire tenetur? Non magnum mihi videri debet servire Tibi, sed hoc potius magnum mihi & mirandum apparet, quod tam pauperem & indignum digneris in servum recipere & dilectis servis Tuis adunare.

In hunc modum considerari debebût allegata Nostri Magistri Kempensis sequentia.

Ecce

Ecce omnia Tua sunt quæ habeo, & vnde Tibi servio. Verum tamen Tu magis mihi servis quám ego Tibi. Ecce Cœlum & terra quæ in ministerium creasti hominis, præstò sunt, & faciunt quotidie quæcunq; mandasti. Et hoc parum est quia etiam Angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem hæc omnia quod tu ipse homini servire dignatus es, & teipsum daturum ei promisisti. 1.Cor. 4. Psal. 90. Hebr. 1.

Quid dabo Tibi pro omnibus istis millibus bonis? vtinam possem Tibi servire cunctis diebus vitæ meæ! vtinam vel vno die dignum servitium exhibere sufficerem! vere Tu es, dignus omni servitio, omni honore & laude æterna. Vere Dominus meus es, & ego pauper servus Tuus, qui totis viribus teneor Tibi servire, nec vnquam in laudibus Tuis debeo fastidire. Sic volo sic desidero, & quidquid mihi deest Tu digneris supplere. Magnus honor magna gloria Tibi servire, & omnia propter Te contemnere; habebunt enim Matth. 19.

grati-

gratiam magnam qui sponte se subiecerint Tuæ SS. servituti. Invenient svavissimam Spiritus S. consolationem. qui pro amore Tuo omnem carnalem abiecerint. Consequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro Nomine Tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglixerint curam.

Matth. 7.

O grata & iucunda DEI servitus quâ homo veraciter efficitur liber & Sanctus, & sacer status Religiosi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, DEO placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

Matth. 11
S. Io. 3.

PRAXIS IX.

Passio CHRISTI Medicina peccatorum.

Isai. 53.

Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum & livore eius sanati sumus.

Præparatio præmittatur vt in Praxi *de Fine Vlt.* & Cap. 8. §. 1. & vbi sunt lineolæ intra meditandum pausa servetur.

Prælud. I. Finge te adesse Ierosolymis & per illam *Vrbem electam* tumultuari Iudæos ob- 4. Reg. 36
serva; & ab eis omni pressurarum genere affici Salvatorem.

Prælud. II. Compassionis affectum postulabis, & gratiam *ad figendas Crucifixi plagas corde* Hymn de
tuo valide, & sanctas eius *mortificationes in cor-* Beata.
pore tuo effigiandas.

CONSIDERA I. Te dolorum Oceanum scrutari velle, dum mentis indagine expendere meditaris *Passionem CHRISTI Tui*; tota enim vita eius *Crux & Martyrium* fuit — Prima tamen cruentæ passionis semina iecit in horto Getsemani, *decurrentis sanguinis in terram* effusione — vbi Marc. 14.
primum *pavere cepit & tædere* & mæstus esse — vt vel inde conijcias quanta eum extra horti delicias maneat lanienа — Marcebat suavissimus ille flos, eximia illa pulchritudo — languebat inenarrabilis hominũ Angelorumq́; imo & ipsius DEI voluptas — obscurabatur atra nube tristitiæ, serenissimus *sol iustitiæ* — deficiebat ille Sanctorum amor; illud

Z Cœli

Cœli tetræq; delicium — tantaq; vis doloris in loco voluptatis tenebat Salvatoré, vt nisi Divina virtus mortem avertisset, vitam amisisset — Ah tangat te o anima mea! tam acerba Domini tristitia! assume tam acris & validi mæroris partem — indue luctum — aterq; cor tuum velet dolor, vt quoquo modo sponsi tui cruciatus leves &c.

Vix ab oratione se levat mæstissimus Dominus, qui peccatorum nostrorum pondere oppressus iacuerat, & ecce plagiarius ille Iudas, canis putidus, facto cum ingrata gente contractu: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam*, & accepto 30 *argenteorum* pretio, aggreditur blandâ quidem sed fraudulentâ salutatione: *Ave Rabbi*. Redemptoré — O prodigam avaritiam quæ tam vili æstimat *Thesaurum infinitum*! — O pseudo-Politicam execrabilem, quæ specie amicitiæ struit insidias! — O crudelem amicitiam quæ testâ fraude amoroso basio, quod pestilentissimo hiatu in perfidiam vene-

Matth. 26

natur

natur, DEUM prodit parricidis — O Iuda quid agis? *oſculo tradis filium hominis!* — amoris ſigno vulnus infligis — charitatis officio ſanguinem fundis? — inſtrumento pacis mortem irrogas? — Ah ſiſte gradum perfide — ſta latro — quo ruis furioſe? — Decetne Apoſtolum cohortes armare in Caput hominis? — nedum Regis? — nedum DEI? — Tenè decet necem moliri Redemptori tuo? — Magiſtro tuo? — Iudici tuo? qui te momento præcipitare poteſt cum corpore & anima in perditionem? — Emolliat duritiem tuam *clementia D. Salvatoris* qui *nec indignatione cōmotus — nec ſcelere offenſus — nec iniuriâ violatus* te benigniſſime alloquitur: *Amice ad quid veniſti?* — O miram iniuriati DEI patientiam! *vt læſus parceret — appetitus ignoſceret, venditus non referret iniuriam!* — Huncne ſceleſte oſculo tradere non metuis, cuius ne quidem ad pedum veſtigia admitti debueras? — velnè ſanctior es Io: Baptiſtâ qui nec *corrigiam calceamentorum eius ſolvere dignum*

Luc. 22

S. Ambr. Lib. 4. in Luc. 4. circ. fin.

S. Ambr. Cap. 1. de S Ioſeph.

Luc 3.

se reputabat — vel charior Evangeli-
Ioan.21. stâ *qui supra pectus Domini hâc ipsâ
nocte in cœna recubuit*, vultum ta-
men Domini *ipsis etiam Angelicis po-
testatibus tremendum* attingere non
est ausus? — O quæ tua insania! —
ô quot & quanta in vno crimine de-
licta! — ô inaudita ingratitudo! —
Quantum effecit nefarius nummi a-
mor? quærulatur ipse: *Si inimicus*
Psal. 54. *meus fecisset, illa sustinuissem vtiq; — &
si is qui oderat me super me magna lo-
cutus fuisset, abscondissem me forsitan ab
eo* — sed DEUM æquiparari iumen-
to vendibili & quidem a discipulo —
à dilecto plus æstimari miserum in-
teresse præ Benefactore — *à noto &
vnanimi* pluris appretiari quemvis re-
spectum humanū, Creatore — O quan-
tum scelus! quantum nefas! quæ in-
dignitas! — Et vbi est gratitudo in
Magistrum? — pietas in Patrem?
honor in DEUM? — an ignoras quid
præscribat illa naturalis Maxima:
*Dijs Parentibus & Præceptoribus nun-
quam satis?* — Reflecte ad te ô infe-
lix Iudæ condiscipule — tu, fecisti hi-
maior

maiora ‒ qui Iuda traditore perfidior pro vna nuga ne quidem constante teruntio ‒ non argenteo, millies DEUM vendidisti ‒ O infelicissime Mercator ‒ quid pro toto Cæli terræq; pretio lucratus es? ‒ pro nihilo *perdidisti omnia*, quia DEUM amisisti &c.

Heu me' ego sum talis qui *ad hominem argumentor!* ‒ ego non præmissorum tantum causa, sed quæ per totam vitam passus est *Dominus meus, & DEUS meus, omnium factus sum reus* ‒ ego peccatis meis purpureum & copiosum sudorem è corpore D. JESU elicui ‒ sub isto culparum mearum onere bonus Dominus ingemiscit ‒ mæret ‒ plorat ‒ fariscit ‒ sudat ‒ hoc prælum fuit, hoc torcular quo fuit expressus tantus dolor! ‒ O vtinam lachrymis contriti cordis, totius Divini corporis sanguineas guttas abstergam! ‒ vtinam amorosis Magdalenæ osculis proditorium Iudæ osculum recompensem! ‒ O felicem terram quæ Domini tui amorem combibisti, nunquam-

Ioan. 10.
Iac. 7.

tam pretioso rore irrigata! — Hæc
Genes. 3. est optatissima illa pluvia qua *male-dicta terra in opere suo*, quæ *spinas & tribulos* hactenus *germinavit*, posthac ad fæcunditatem liberaliter irroraretur — O si etiam hanc animatam terram eiusmodi ros benedictus ad maturandos salutares fructus invigoraret! — O si secundum multitudinē nonaginta scilicet millium guttarum & vltra in horto, toties de die in
Ier. 33 anima mea *germen iustitiæ* multiplicaret! — Anima te spiraculo bonæ
Hæbr. 9. spei ô arida — *Si sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis CHRISTI emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* — Et si alij *similes hominibus laverunt stollas suas & dealba-*
Apoc. 7 *verunt eas in sanguine Agni?* non du-
1. Ioan. 1. bium quominus *Sanguis JESU Christi Filij DEI emundet nos ab omni peccato* pro quibus fusus est &c.

Ex sacrilego contractu nacta occasionem ad captivandam *Lucem pe-*

testas

testas tenebrarum effunditur in illam Martis arenam, vbi cum mortis simulacro, timore, consummato conflictu, *nova bella elegit Dominus, adversus Principes & Potestates, adversus Rectores tenebrarum harum* signo pacis provocatus, osculo — O quantus furor! quam feroces animi! quam proterva corda cucurrerunt adversus mansuetissimum Agnum DEI, qui venerat in *Civitatem Sacerdotalem* vt immolaretur pro nobis — Ruunt in *Sanctum Domini*, Nefarii, ferino plane impetu & collo sacrosancto catenam iniiciunt — medium fune vehementer obstringunt — brachia restibus strictissime deligant — palmas denique tot prodigiorum patratrices retro retortas, dirum in modum devinciunt — vultum Divinissimum pugnis ferratis crudeliter feriunt, sacri Capitis cæsariem barbamque; fœde lacerant — barbara prorsus immanitate omni contumeliarum genere in Dominũ vniversi grassãtur — Spectat hæc DEVS Pater, sed quasi res aliena agatur, dissimulat — spectãt è Cœlo Angeli Ephes. 6.

geli nec est qui ferat suppetias — ve-tatur dehiscere tellus quæ hauriat impios — fines proprios exire prohibentur vltrices flammæ — IESUM defendere hodie non licet — capere — vincire — rapere licet — Quid est per DEVM? quid agitur — *succurrite succurrite* Cœlestes *Cives*, vis Cælorum Regi affertur! qui subveniat in terra nemo est — Nusquam auxilium reperit oppressus DEUS! — Oppugnatur Civitas? quotquot Cives sunt, in muros ascendunt, nemo est qui non
Isai. 26. pugnet pro Patria. En *vrbs fortitudinis nostræ, vrbs refugij* JESUS Christus proditur impiis, & caret defensore? — capitur, nec est qui *liberet eum de manibus* eorum? — Ah non hic capiendus est non hic, parricidæ? — erratis tortores — me me rapite — me vincite — me mactate — ego peccavi — *ego inique egi* — ego vincula merui — me iudicari oportet non meum Dominũ — Non illum respon-
Ioan. 18. det JESUS non illum — *sinite hunc abire* — me prendite — me securi ligate — *hæc est hora vestra*, agite, quod in-

iubet, quæ cum poteſtate tenebrarũ decreviſtis, perficite &c.

Accepta deſuper licentia inſolens turba rapit JESUM in Prætorium, ibiq; quanti» eum oppreſſerit contumeliis nemo ſcit — vix tantum religiolarum mentium contẽplationi per Evangeliſtas relictum: *Alia multa blaſphemantes dicebant in eum* quidquid furens libido ſuadebat — quidquid tartarea rabies imperabat — quidquid obſcæna dicacitate diabolus dictisq; feſcennoinis in os ingerebat — Cum autem ſubductus eſſet ab oculis Curialium ad Carcerum vmbras, iam (vt pia ſuggerit Meditatio) graviores expediuntur pœnæ — cumulantur ludibria — duo ſydera Divini vultus, oculi, velantur — & facies illa qvæ ſerenat *Seraphinos*, repetitis verberibus impetitur — ſicq; *tota nox in crudeliſſima Innocentiæ ſupplicia expenditur* — Obaudires tunc validiſſimos ictus Captivo Salvatori in dorſo, pectore, & Capite incuſſos — cerneres ad vivum in Diviniſſimo vultu *ſtylo ferreo, deſcriptas* facrilegas manus

Luc. 22.

Brev. Reg. Pol 12. 9bris

Joh. 19.

nus

nūs — videres illud Angelorum decus, illud Cæli ornamentum, pedibus impiorum, fœdum in modū conculcari — adverteres & alia horrenda dictu *adversus Dominum & adversus Christum eius* facticari — quæ per summam impietatem revelare non audet Ecclesia, constanti silentio obsignata tenens ad diem Iudicii — verbo: Quidquid molestiarum corpori — quidquid iniuriarum honori, excogitare poterant tenebriones illi, id totum Domino Maiestatis illatum crede. — Heu noctem illam infelicissimam! noctem vniversæ posteritati deflendam! — Noctem æternum detestandam? qua sol æternus offusus tenebris peccatorum, ante tempus passionis misere delituit — Quid dicam de *tribulatione malorum & dolore* super acerbitate superventuri ad mortem vsq; supplicii? si vel momento vacabat corporis martyrio, animi successit — recruduit tædium — rediit tristitia — revixit Getsemani pavor — tantoq; crudelius torquebat Salvatorem quanto ma-

Ps. 2. (margin, beside "da dictu adversus Dominum")

Psal. 106 (margin, beside "Quid dicam de tribulatione")

magis affligebat quæ anteibat dolorosa tragædia! &c.

Vix aliquot fessis corporibus lictores dederunt respirium, & ecce *mane diluculo* ad novas torturas evocant Redemptorem! — Ah quantum hic confundunt *Filios lucis filij tenebrarum* qui minus vigilant vt JESUM servent quàm illi vt perdant! — Rapitur per catenas lu titia condemnanda — & nunc vni nunc alteri sistitur summa Innocentia iudicio — crebro anhelitu — Capite discooperto — facie livida — manibus vinctis — pedibus offendiculo cruentatis — *Tradidit autem iudicanti se iniuste*, Iustus pro iniustis — innocens pro peccatoribus — Dominus pro servis — DEUS pro hominibus — O mirabilis mysterii Divini dispositio! — Stat rea sine Advocato Innocentia — veritas sine testimonio — sanctitas sine Patrono — VERBUM sine voce — solo se tuetur silentio, qui nihil habet quod defendat — Sed o miseram Innocentiam cui solum silentium patrocinatur! — furore præsertim instigans

Isai 18.

1. Thess. 5.

1. Petr. 2.

gante — testificante mendacio! — condemnante iniustitia! — O delicatissime JESU quis dicet causam pro Te, ne iniuste iudiceris? — *Quod scelus Tuum?* — *quæ noxa tua?* — quid vnquam confusione tanta ne dicam morte dignum commisisti? — Haeccine est mundana iustitia? — Scelestus ne quidem ad ius citatur, Sanctus iudicatur — *peccat iniquus & punitur iustus* — *delinquit reus & vapulat innocens* — *offendit impius & damnatur pius* — *quod perpetrat servus exolvit Dominus* — *quod committit homo sustinet Dominus &c.*

S. August. Meditat. Cap. 7.

A Præside Iustitiæ pronunciatur innocens: *Nullam causam mortis inveni in eo.* O magnū evictionis causæ argumentū! — ab insana plebe acclamatur plenū contumacis malitiæ: *Tolle Tolle Crucifige* — *O genimina viperarū quid mali fecit homo iste?* — *vobis non licet interficere quenquā, & quomodo hunc sine causa damnatis* ad Crucis patibulum? — vnde vobis implacabile odium quod velut alter *Iason omnibus sit odiosum?* — *Nulla ætas defuit* — *nullus*

Luc. 23.

Luc. 3.

Ioan. 18.

2. Mach. 5.

lum sexus conticuit — *nullus status prætermissus est, omnes pravicordes, Iudæi & Gentiles concordant & consentiunt, ut JESUM morti cito tradant* — *& innocentem animam in Cruce suspendant* — O despectissime JESU hoccine respectu amor persolvitur ut recipias *maledictionem pro benedictione* — *mala pro bonis* — *odium pro dilectione* Tua? — Ad favorem latronis passim inclamatur: *Dimitte nobis Barabbam* — innocentissimo Filio DEI nullus cōpatitur — omnes (dicit ipse) *odio habuerunt me gratis* — insons agnoscitur DEUS & latroni comparatur — *quid mali fecerit* non constat & sicario posthabetur — absolvitur homicidii reus, vitæ Author DEUS ab omnibus condemnatur! — Sed quid mirum si omnium odia in se avertit pro omnibus passus? — & si *iniquitates omnium nostrum ipse portavit* — forte non ab omnibus *reus mortis* cōdemnabitur? — Iam & Pilatus sanctior testis quam iustus Iudex, nactus causam sceleratæ sententiæ, inconditum populi tumultum, *adiudicavit fieri*

Th. Kemp. Meditat. de Christi Passion.

Ps. 108.

Luc. 23.

Io. 15.

Matth. 27.

Isai. 53.

Luc. 23. *fieri petitionem illorum* : CRVCIFIGATVR — O Iudex ipse scelerate! o infame decretum quod insontem afficit, latronem absolvit! — ô *summum Ius summa iniuria* vbi clementiæ locus quæritur, crudelitatis invenitur! &c

Ex nunc vilissimi & barbari satellites velut crudeles lupi in innocentissimũ agnum cum ingenti clamore insiliunt — trudunt — verberãt — prosternunt — raptant — conculcant — alii barbam vellicant — alii Caput benedictum pugnis percutiunt — alii fustibus cedunt brachia — cæteri manus, collum, pectus, funibus & catenis tam arcte stringunt, vt è venis Sanguinem prosilire compulerint — tu ô peccator adiuvisti omnes in omnibus, dum funes texvisti — dum catenas fabricasti peccatis tuis — prout ipse queritur de te : Psal. 118. *funes peccatorum circumplexi sunt me* — Peccata tua necis illius causa fuerunt — hæc illum comprehenderũt — hæc ligarunt — hæc flagellarunt — & tandem in Crucem egerunt —

Quan-

Quantum tibi voluptatis, tantū DEO dedisti tormenti — quanto incorrigibilior eras, tanto plus ex ipso sanguinis sine fructu expressisti! &c.

Vide iam ô insensata sub specie humana bellua, qualiter Authorem tuum *Speciosum forma præ filijs hominum* contusionibus & livoribus deformaveris, vt *non sit ei species neque decor!* — Aspice *gloria & honore coronatum* nunc *hærentem inter vepres* — vt pro te in *holocaustum in Crucis* horrendissimæ immoletur *stipite* vide *tunicam* qua induisti flagris concisum — ferro cruentatum, vt *inconsutili* exueres — denudasti qui vestit vniversa vt flagellis præparares — Inspice qua ferocitate *Firmamentum vniversi* alligatur columnæ — aliis manus vincientibus — aliis brachia contorquentibus — & ita Dominum stringunt vt cutem dilaniari — carnes disrumpi necesse sit — Admirare sanguinem defluentem in terram instar rivulorum — quasi non satis esset peccata hominum lachrymis deflere sed ad eluenda, sanguine opus foret

Ps. 44.

Isai. 53.

Gen. 22.

foret — & expende quam liberalis in te est DEUS, quam tu parcus in illum vt pro tanto sangvine nec lachrymulam stilles! — Respice humeros — brachia — pectus — & totum corpus tui Salvatoris in frustra discerptum — Caput spinis laceratū — dorsum flagris oneratum — oculos lachrymis manantes — totum illusionibus — probris — conviciis — maledictis — blasphemiis & quidem supra ferale decretum exsaturatum — vt quidam lictorum diritate supplicii in flagellatione permotus exclamasse fertur: *Numquid interficietis eum non iudicatum?* — & vincula, quibus ad columnam stringebatur præsecuisse, Dominum verò adeo enervatum viribus exiisse, vt prolapsus proprio volutaretur in sanguine! — Deplora hos amantissimi Patris cruciatus, & si sanguinem non potes funde lachrymas — & si has non potes? ad minus gemitum forma — *O quam dura verbera in flagellatione sustinuit — quam multa millia vulnera illi inflicta fuerunt — quam sæpe in*

S. August. serm. de pass. Dni.

Th. Kemp. Medit. de Pass. Chri. 27. § 14.

pe in eodem puncto repercussus est — quam pœnaliter ista sensit & tacuit — Non manum opposuit — vel pedem vel aliud membrum ab ictibus retraxit — sed sponte ac libere totum corpus suum percutientibus tradidit, vt pro peccatis omnium hominum plene satisfaceret — Non comminabatur torquentibus se duriter — non irascebatur conspuentibus se turpiter — non maledicebat accusantibus se fallaciter — sed cum tanta animositate pertulit omnia, vt etiam Gentiles in admirationem rapuerit — quorum quidã flagellationi assistens in hanc vocem prorumpit : *O virum animo infractum qui nec precem, nec lachrymam, sudit!* — quid dixisset si omnia quæ passus est pro ingratis observasset? — *O mira DEI clementia!* Idem ibid *O inæstimabilis Christi patientia! quæ tantis injurijs commoveri non potuit — nec pœnis superari!* — O scelesti! ô tyranni! ô perfidi Iudæi!! — Si *Regem vestrum Crucifigi* postulatis & *adjudicatam petitionem vestram* habetis, vt Jer. 8. quid *dolorem super dolorem additis?* — *per, quam* iuris *regulam* flagellis onc-

ratis? — quâ ratione enormiter In-honorare audetis? — cur eum tanta ignominia & contumelia opprimitis? &c.

Mal. 53. O vere *virum dolorum*! — o altitudinem charitatis! — o profunditatem immensæ humilitatis! o abyssum incomprehensibilis bonitatis! —

3.Reg.19. Quid nunc faceret Elias si DEUM videret adeo exinanitum, qui *operuit vultum suum pallio*, ne videret transeuntem non in figura suæ Maiestatis?

Th.Kemp. cit sup. § 4. — *Ecce altissimus super omnes, infra omnes deprimitur — nobilissimus dehonestatur — speciosissimus sputis inquinatur — sapientissimus deridetur — potentissimus ligatur — innocentissimus flagellatur — sanctissimus spinis coronatur — mitissimus colaphisatur — ditissimus depauperatur — largissimus spoliatur — castissimus denudatur — dignissimus blasphematur — optimus vituperatur — doctissimus stultus reputatur — amantissimus oditur — veracissimus abnegatur — dulcissimus felle potatur — benedictus maledicitur — pacificus molestatur — iustus accusatur* — & vt absolvamur nocentes

centes, *qui peccatum non fecit* condemnatur — Heu quam præpoſterus eſt Iudiciarius ordo qué cæca paſſio confundit — *O facinus inauditum!* — *o horrendum & execrabile maleficium Iudæorum!* — *O Pater piiſsime quid eſt homo* quod ſic eum diligas? — adeo conſtanter & teneré ames? — tam amanter ei addictus ſis, vt pro eo dilectum Filium Tuum *traderes in manus peccatorum?* — Ergone plus illo me amas? — vt ego viverem ipſum mori oportuit? — quia ego *exultavi in rebus peſſimis*, ipſum triſtari neceſſe erat? — vt ego ſanarer ipſe vulneratus eſt — vt ego mundarer ipſe fudit ſuum ſanguiné — O doloroſiſſime JESU *quo Tua deſcendit humilitas?* *quo proceſsit pietas?* — *quántum Tua flagravit charitas?* — *Ego crimen edidi Tu torturæ ſubijceris* — *ego fruor delicijs Tu ad columnam in ſanguine natas!* — O Salvator clementiſſime ſi omnia mea Tibi debeo pro titulo redemptionis, quid non debeam pro modo redemptionis? — qui per Tua opprobria me honoraſti — per Tuas accu-

Matth. 26.

Prov. 2.

S. Auguſt. Meditat. Cap. 7.

sationes me defendisti — Tuo me sanguine lavasti — per Tuam mortem me resuscitasti — per Tuas lachrymas
Matth. 8. me ab æterno *fletu & stridore dentium* præservasti — O *bone Pastor qui pro*
Joan. 11. *ovibus* Tuis *animam* Tuam *posuisti* quibus ego muneribus, quâ retributione, quo obsequio, tantum Tuum beneficium compensabo? — quibus lachrymis planctum Tuum remunerabor — quâ vitâ vitam Tuam regratificabor? — O Mæstissima Virgo, quos fontes lachrymarum erupisse, dicam de purissimis oculis Tuis, cum cerneres Filium Tuum coram Te ligari — flagellari — & carnem de carne Tua crudeliter & immaniter flagris — virgis — nervis — ossibus — & ferreis uncis dissecari — Et cur adeo ferreum est cor meum quod compassione ac dolore non scinditur — cur præ amaritudine non tabescit anima mea? siquidem tam immanium tormentorum causa est pessima vita mea? — Mirabile videtur quomodo ad recordationem ejusmodi luctuosæ tragædiæ non resolvitur

glaci-

glacies cordis mei? - nec fluunt copiosæ aquæ sensu immensæ contritionis elicitæ? - Ah *infelix ego homo* qui non pondero quam *copioso munere ipsa redemptio agitur. vt homo DEVM valere videatur.* &c: Rom. 7. Eus. Gall. homil. 6. in Pasch.

CONSIDERA II. Prætacta omnia & id genus cætera [quæ plenis voluminibus explicari vix possūt) immanissime torquebant Redemptorem, prout cuiq; constare potest ex delicati corporis complexione - ex instrumentorum pondere & aculeis - ex tortorum immanitate - ex plagarum numero - sed nihil atrocius ac nuditas - Abripitur ad supplicia toties absolutus, & denudatur verecundissimus pudor - & videri cæteroquin impatiens, prima gravissimaq; à spectantium oculis vulnera experitur - Nec mirum quia nulla pœna castis nisi nuditas, sicut totus ornatus pudicorum, vnum est tegumentum - O tenebræ cur non caditis! - ô sol cur non obscuraris? - vt quid expectatis occasum Salvatoris, quem nunc rubore suffundi per-

 mit-

mitteris ? — Si Sac: CORPUS JESU *Templum Domini est*, vbi nebula? — Si *Sanctum Sanctorum* est, vbi velum? — Si Tuus est Filius, Virgo Mater, Matth. 17. vbi *tunica inconsutilis*? — Si *hic Filius Tuus dilectus*, Pater æterne, vbi *nubes lucida*? — O delicatissime amor, *quid retribuam* pro tanta contumelia & illusionibus? — quid pro maledictis & convitijs? — Fundam lachrymas? peccatrices sunt & immundæ — fundam sanguinem? nocentissimus est &c. — Auxit dolorem & quidem tanto magis quanto contumeliosius apud Hæbreos erat, in faciem conspui — alapis percuti — probris appeti — calumniis aggravari — Si *nullum vulnus maius est* (dixit quidam) *quam quod infligitur à calumnijs* Auanc. — & quæ calumnia consequenter quale vulnus parificabitur irrogatæ Filii DEI blasphemiæ v. g. dum alii Ioan. 18. *malefactorem* — alii *seductorem* — alii Matth. 27 *latronē* qui nil præter animas prædari nesciuit — alii aliis iniuriosissimis Matth. 26 epithetis eum compellassent — Sensibiliorem fuisse credo delicatæ Di-

vinæ

vnæ Personæ vel levissimum mentis tactum quam crudele totius sac. CORPORIS vulnus &c.

Nonne grandis fuit animæ Christi plaga, à Senioribus Iudæorũ pro Rege acceptari, à maximo ad minimum è populo pro tali adorari, solenni ritu in Metropolim Iudææ Ierusalem, introduci, à grandioribus per viam vestimenta sterni, à *pueris Osanna* cantari, flores ante pedes eius seminari, & quidquid desiderari poterat ad Regii cultus pompam & solennitatem actus, id totum exhiberi? & immediatè post, ligatum funibus — oneratum catenis — *saturatum opprobrijs* — repletum ludibriis per civitatem duci, solenni ignominia? — Pro salutatione Civili: *Ave Rex Iudæorum*, inconditis clamoribus: *Non habemus Regem*, vociterari — pro vestibus stratis, *inconsutili* spoliari — pro *ramusculis olivarum*, virgis flagellari — pro Regio paludamento sanguine purpurari — pro diademate, spinis coronari — pro sceptro canna percutiente dehonestari Thren. 3 Io. 19.

— pro famulitio, sceleratâ turbâ comitari — pro sinceritatis & pacis osculo, *colaphis & alapis cædi* — pro
Marc. 14.
debita adoratione, irrisoria geniculatione deludi — insuper ab insana plebe ad tyrannicam mortem postulari — ab iniquis, infami suspendio adiudicari — tumultuantim vrbe exturbari — loco Throni in Crucis patibulo exaltari — O ingentem ruinam præcipitari ex alto! — ô summam ignominiam, ex summo infimum — ex adorato despectissimum haberi! — O quam dissimile nunc ingredientis Ierosolymam, spectaculum, quàm nuper fuit! — quam variabilis est hominum sensus, à lætitia ad furorem — à præconiis ad contumelias — ab obsequiis ad opprobria Dominum Maiestatis deiicere. — Compatere — te causam agnosce — dole — & dum ad omnia silentem IESUM contemplaris disce sancto silentio longe minores tibi illatas, aut forte tantum apprehensas iniurias decoquere. &c.

Crescebat despectus Divinæ Personæ

non ex eo tantum quod D. Th: grauitatem offensæ mensuret maioritate offensi, & vilitate offendentis — sed insuper ex eo quia male sanum vulgus exquisitis contumeliis satagebat vindicare, quasi indebite tributum illi honorem — Maiores plebis, maiorem in eum congesserunt contumeliæ tantitatem, ex quo eum quasi examinata causa, *reum mortis* diffamarunt — ita vt qui antea terra mariq; à populari turba adorabatur pro Rege, propter beneficia, in templis & synagogis pro Sancto, propter miracula, in viis, triviis, compitis, ac locis desertis, audiebatur vt Magister propter doctrinam, vbiq; honorabatur quasi Propheta magnus propter Divinitatis abyssum; expost *Positus in ruinam, & in signum cui contradicatur à Principibus populi sui*, quē instigabant vt occlamet: *Crucifige* — vel vt fingat calumnias — vel supprimat miracula — vel dissimulet beneficia; — à literatis & Sacerdotibus qui eum condemnarunt ad mortem — à Nobilibus Romanis qui eam

Matth. 26

Luc. 2

intulerunt – & insuper ab electis dilectisq; discipulis, quorum unus tradidit illum – alter negavit – reliqui *omnes relicto eo fugerunt* – In-
Matth. 62.
super *omnes amici eius spreverunt eum, & facti sunt ei inimici* – verbo: *Qui simul contristaretur & non fuit* – *&*
Psal. 68.
qui consolaretur & non invenit – Sola Mater dolorosa quanquam tormentis præsens adfuerit, iuvare illum (nisi lachrymis) non potuit – Solus Pater potuit sed non voluit, *vt consummaretur prævaricatio* – *& finem acciperet peccatum* – *& deleretur iniquitas terræ* – *& adduceretur iustitia sempiterna* – Sed heu quantum de novo tormentum addidit ei, in cassum susceptus labor! videns plerosq; peccatorum, non percepturos fructū de tot salutis mediis, quæ per tam dura parabat certamina! Ah non amplius queratur de nobis: *Quæ vtilitas in sanguine meo!* &c.
Dan. 9.
Psal. 29.

Heu *quanta malignatus est, inimicus in Sancto!* – *Aperuerunt* dicit ipse *super me os suum sicut leo rapiens & rugiens, & factus sum sicut homo non audiens*
Psal. 73.
Psal. 21.

audiens, & non habens in ore suo redargutiones — Quantis impetitus est blasphemiis & ille *sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* — *& cum malediceretur non maledicebat* — *cum pateretur non comminabatur* — tenuitq; animum imperturbata quies tametsi fulmina excire potuisset! O nimium amorem istum, cui explendo mors vna satis non fuit! — sed ante mortem, vitam hanc nostram mori coegit — ita vt nostri amantissimus Dominus membratim interire — guttatim contabescere — *productiori pœna* mulctari — diuturniori Martyrio conlumi — & insuper per sanguinis lenta stillicidia diversis viis animam abire voluerit — O Redemptor amantissime tantine momenti est nostra salus, vt eam pluris Te ipso æstimares? — Tam pretiosæ in oculis Tuis erant nostræ animæ vt eis redimendis tam copiosum destinares pretium? — Adeone *diligens me tradidisti temetipsum pro me*, ne perennibus traderer flammis? — Ergo non diligam Te? — sed tradam me conque

Ps. 37.
Actor. 8.
1. Petr. 2.
S. Leo serm. de S. Laur.
Ephes. 5.

concupiſcentiis meis? — tradam me hoſtibus Tuis, — Ah quæ bonitas! quæ dignatio DEI eſt iſta! offenſus gratiám offert — læſus amicitiam quærit! — *Miſericordias Domini* in æternum cantabo *qui talem* exuberantiam charitatis *dedit hominibus*

Pſ. 88.

Ben. Cer. — *qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit* — *& veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit* — O niſi ille fuiſſet miſertus noſtri nullatenus *mortalis infirmitas* potuit ſe eximere de mortis æternæ ditione — Tanta quippe naturæ lapſæ imbecillitas ex peccato nata eſt; verius: Tanta eſt gravitas, debitum, & demeritum vnius culpæ mortalis, vt pro ea nulla pura creatura quantumcunq; infinite ſancta, & per quoscunq; actus ſupernaturales heroicos quomodocunq; intenſos & dignificatos, ſatisfacere potuerit. — Vt bene percipias quod aſſeuerem: Congere Abrahamos, Iſaacos, Iacobos, Davides, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Virgines, Sancta ſacraq; omnia in vnam lancem, in alteram vnum peccatum

ſp-

appende, prævalet hoc omnibus omnium bonis & descendit — ita vt nec omnium Confessorum pœnitentiæ — nec omnium Martyrum tormenta — nec omnium Sanctorum justitiæ — nec ipsius Divinissimæ Matris infinitus planè meritorū cumulus satis esset ad resarciendā personalem injuriam pro vna Divina offensa — Plus dico: Nec infinitæ tales victimæ, prout Mater DEI satis litarent quantumvis æternum voverent — Adhuc dico plus: Nec infiniti Mundi, cum perfectioribus sanctitate, meritis. gratiâ, creaturis, ipsâ Matre DEI — O pondus immensum! ô te Atlante fortiorem labem! — qui non Cælum sed infernū, imo omnibus inferis graviorem molem sustineas — O superi quantum in nobis efficit vna brevis voluptas! — vna vel levis ad speciem culpa! — Et quid mirum si pro tot *nostris vel Parentum nostrorum* & totius Mundi *delictis* Divino *labore & dolore*, imo sanguine Divino opus sit — Hæc diligenti mentis trutinâ quisquis legis, recogita

gita — & dum expendis CRVCIFIXI angustias, considerationi tuæ illam Salvatoris sententiam adiunge: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete & super filios vestros &c.*
Luc. 23.

CONSIDERA III. Qualiter ferina rabies Iudæorum non contenta hactenus datâ Salvatori suo, laniena, absq; vlla prorsus commiseratione super dolorosissimo JESV toto dilaniato — toto confuso — immanissime cæso — crudelissime vulnerato vt totus vnum vulnus videretur — Insuper imponit ei super humeros trabale lignum Crucis — quod valido pondere adeo pressit invalidum Dominum vt artus dissolverit — ossa de suis axibus dimoverit vel fregerit — & horrendum magis primis, vulnus in humero adiecerit — O grādem crudelitatis excessū? — ô ferociam plus quam tyrannicam? — Quis vnquam audivit reum portasse suum patibulum, quod ferre cogitur innocentissimus JESVS? — Quis sceleratorum patitur pœnam supplicij ante locum suspendij; ad quod angaria-

tus

tur *Sanctus Sanctorum*? — Succumbebant gravi pondere preſſa delicata membra — exhauſtusq; tormentis cæſpitabat IESUS — impingebat — cadebat — & recrudeſcentibus plagis rigabat cruore vias, *baſulans ſibi Crucem ad locum Calvariæ* — O quoties ob nimiam laſſitudinem & carnificum furias ſub pondere Crucis Chriſtus corruit — vt vel inde gravitatẽ eius intelligas, quod DEUM non ſemel oppreſſerit — quoties faciens *aſpera in vias planas, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum*; ipſe offendit! — quoties nefarij ſatellites è veſtigio in eum inſiliunt — capillis trahunt — calcibus protrudunt — à tergo lapidibus impetunt? — Proh dolor! *cadit VERBVM* DEI *ſecus viam & conculcatur ab hominibus* — cadit per quem cuncti ſtant! — infirmatur per quem omnes roborantur! in terra DEVS iacet per quem omnes eriguntur in Cœlũ? — O Angeli cur non ſubvenitis? — ô mortales cur non compatimini? — an attonitos vos tenet facti inſolentia? — O poten-

Dan. 9. Io. 19. Ps. 90. Luc. 8.

tentia æterni Patri quam imbecillis facta es ? — O virtus mundi quam infirma effecta es ? — O sustentator universæ terræ quam infra omnia abiectus es — Tu æthera firmasti sursum & nemo Te confirmat — Tu appendisti fundamenta terræ & nemo Te sustentat — Tu *cum ceciderit* é nobis aliquis *supponis ma-*
Psal. 36. *num* Tuam, ipse *non habes sublevantem* tam dire collapsus imo collisus cum sis &c.

Jam hic totus difflue in lachrymas ô viator ! — magno dolori bini fontes oculorum non sufficient — Ah ah, ah, DEI Filius in extremis est ? — jam mundi salus extinguitur ? — jam Salvator noster ad nova tormenta — ad immanem vestium exspoliationem — vulnerum innovationem — ad fellis potum — ad acerbissimam fessis pedibus manibusq; torturam — ad infame suspendium — ad novos gemitus — ad clamorē validum & lachrymas — *ad mortem*
Philip. 2. *usq;* — *mortem autem Crucis* sistitur in monte Calvario — O Angeli ! ô bea-

tæ mentes quomodo manus à iusta vindicta continere potestis? — accurrite & in atrociori casu quam in horti agonia, quoquo modo potestis suc urrite Salvatori — *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem* — & insuper iteratæ petulantis multitudinis irrisioni *in scelerato campo* nudus exponitur — Nec hic est finis; verius *hæc omnia initia sunt dolorum!* — Sternitur namq; in Crucis catasta mitissimus Agnus. O quis pudor! — Expanduntur velut fides brachia. O qualis dolor! — Dilacerantur delicatissimi nervi. O quãta crudelitas! — Dilatantur repetitis *ictibus & tunsione plurima* ab acuto ferro in manibus & pedibus vulnera — sicq; totus lividus — totus cruentatus — medius inter latrones cum Cruce erectus — & *cum sceleratis reputatus est* — O subjectum dolorosum! — O spectaculum luctuosum! — *Obstupescite Cæli super hoc & portæ ejus desolamini vehementer!* — DEUS suspenditur! — DEUS occiditur! — Laxentur in gemitus

Hæbr. 12.
Matth. 24
Hymn de Dedic. Eccl.
Isai. 53.
Ier. 2.

mitus

mitus ora! — *scindantur corda* dolore in suspiria? — pelago lachrymarum mergantur oculi? — Ecquis temperare dolorem potest nisi gelatus in marmor animus, dum præstò habet sanguine perfusum DEUM; — si coram videt in Crucē agi Redemptorē! — sententia damnari Iudicem; — reprobari Iustitiam — *potari felle* dulcedinem — *opprobrijs exsaturari Cibum fortium* — morte extingui vitam? — Quid eliquari in lachrymas, nisi adamantinū cor, & ære fusum pectus non possit? dum *lætitia Angelorum* affligitur — tristatur *Beatorum gaudium* — solatium vniversi gemit — serenitas mundi obfuscatur — *Spiritus oris nostri*
Thren. 4. *vim patitur* — vita animæ nostræ exspirat — Maiestas illuditur! — opprimitur salus — Iustitia plectitur — DEUS moritur! — O amara DEI patientis memoria! — o infamis nostrorum criminum exorbitantia! —

O homo cuius causa DEUS hæc patitur, *inspice & fac secundum exemplar* Exod. 25
in corde tuo *quod tibi in monte* (Calvariæ) *monstratum est*, vt discas compungi

pungi & ad compassionem tantæ calamitatis commoveri — *vide in quem transfixerunt, & plange cum planctu quasi super unigenitum* — *& dole super eum vt doleri solet in morte primogeniti* — *Inspice vulnera pendentis* — *sanguinem morientis* — *pretium redimentis* & fructum *laboris & doloris* eius fraudare noli ne amplius queratur de te: [Numquid non satis pro te vulneratus sum? — numquid non pro iniquitate tua afflictus sum? — *cur addis afflictionem afflicto* — *magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei* — *Gravior apud me peccatorum Crux in qua invitus pendeo quam illa in quam tui misertus ascendi*] — alioqui *sanguinem* suum *de manu tua requiret* — *Inspice Caput inclinatum ad osculandum* — *cor apertū ad diligendum* — *brachia extensa ad amplectendum* — *totum corpus expositum ad redimendum* — *Hæc quanta sint cogitate, & in statera cordis vestri appendite* — *& totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit affixus in Cruce* — *Glorificate & portate DEVM in corpore vestro,*

Ioan. 19.
Zach. 12.
S. Bern.
S. August.
S. August. Lib de Vir
1. Cor. 6.

per continuum mortificationem, *em-*
pti enim estis pretio magno valde — sci-
2.Petr. 1. *entes quod non corruptibilibus auro vel ar-*
gento redempti estis, sed pretioso san-
guine quasi Agni immaculati, Christi,&
incontaminati — vt ita *redemptione in-*
ventâ absq; peccato ei convivere pos-
2. Cor. 5. sitis? — *Charitas enim Christi urget nos,*
vt qui vivunt iam sibi non vivant, sed
ei qui pro ipsis mortuus est — vt ha-
bet aliud Pauli dogma: *Qui Christi*
Gal 5. *sunt carnem suam crucifixerunt cum vi-*
tijs & concupiscentijs — *Christo igitur*
1. Petr. 4. *passo in carne & vos eadem cogitatione*
armamini: quia qui passus est in carne
desijt à peccatis, vt iam non desiderijs ho-
minum sed voluntati DEI quod reliquum
est in carne vivat temporis, — *a-*
spicientes in authorem fidei & consum-
Hebr. 12. *matorem JESVM qui proposito sibi gau-*
dio sustinuit Crucem: vt non fatigemi-
ni animis vestris deficientes — *nondum*
enim vsq; ad sanguinem restitistis adver-
sus peccatum repugnantes — Moveat
nos ad saniorem mentem ineffabile
Martyrium Salvatoris, ita vt *à planta*
Isai. 1. *pedis vsq; ad verticem Capitis non fue-*
rit

rit sanitas in eo — sed totus vnum, vulnus fuit — & quod maioris improbitatis est *vuln⁹ & livor & plaga tumens non est circũligata* cõdescensionis linteamine — *neq; fota oleo* commiserationis — O stolidæ mentes hominum! O saxis duriores mortales! — ad præmissa rumpuntur petræ — *Sol & luna mirantur* — Cœli obnubilantur — stellæ obscurantur — expallescit dies — pullatur aer — elementa confunduntur — *terra tremit* — exsurgunt Manes — mortui viventibus cõmiscentur — natura omnis cõmovetur — ipsi etiam *Angeli amare flebant* — vos non concutimini corde vt saltem peccare desinatis! — O portentum! Abundamus medicinali succo & *vulnera nostra non obducunt cicatricem* — Natamus in balneo sanguinis & obstinatam peccatorum lepram non deponimus! — Effundunt sese tot prope rivis, quot poris ex amoris officina vivacissima charitatis incendia, & pectorum nostrorum glacies nondum eliquatur — En iam

Isai 1.

Isai 33.

Jer. 30.

Jer. 12. *moritur justus & nemo est qui recogitet corde* — J. N. R. I. *factus est male-*
Gal. 3. *dictum vt nos à maledicto liberaret*, & nemo digne compatitur! O durum peccatoris ingenium, qui non movetur! — o silex! qui non frangitur? — ô marmor! qui non rumpitur? — ô rupes! qui non dissilit — O tygris! qui non compatitur — ô monstrum! qui nullam emollitur in humanitatem? — Ah vrgeāt nos ad compassionē vel ipsius patientis DEI
Thren. 1. lamenta: *O vos omnes qui transitis per viā attendite & videte si est dolor sicut*
Ps. 21. *dolor meus?* — *quoniam circumdederunt me canes multi* — *Concilium malignan-*
Psal. 34. *tium obsedit me* — *Supra dorsum meam fabricaverunt peccatores* — *prolon-*
Ps. 128. *gaverunt iniquitatem suam* — vlcera quod *Omnes videntes me deriserunt*
Psal. 21. *me* — *locuti sunt labiis & moverunt Caput* — *Subsannaverunt me subsannatione ita vt factus sim in derisum omni*
Thren. 3 *populo meo, & canticum eorum tota die* — O duram nimis patientis JESU toleranciam? — O acerbam morien-
Ephes. 5. tis patientiam? — *Vere dilexit nos & tradi-*

tradidit semetipsum pro nobis! — O quantum potuit humana malitia, quæ lætitiam afflixit — gaudium cõtristavit — constantiam terruit — fortitudinem concussit — potentiam enervavit — Maiestatem exinanivit — firmamentum prostravit — libertatem strinxit — iustitiam oppressit innocentiam condemnavit — salutem occidit — animam exanimavit — spiritum extinxit — vitam funeravit? — O nimium crudelis dolor? O manus in quibus *abscondita est fortitudo DEI* quã imbecilles estis? — O pedes aggravati sac: pondere, quam dolorosi estis? — O JESU vita animæ meæ: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum Tuarum?* — *& dicit: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me* — O amor crudelis? ô scelestissime amor? siccine dilecto tuo spicula non oscula figis — taline tyrannide immensum affectũ reponis? — Heu quam horrende patitur *qui ascendit super Cherubim & volat super pennas ventorum* nunc vni stipiti crudelissimo ferro aptatur? — *Posuit DEUS in eo ini-* Zach. 13 Ps. 17.

quitatem omnium nostrum, idcirco *pla-*
Isai. 53. *gâ inimici percussit eum, castigatione*
Isai 30. *crudeli* — sicq; *delevit quod adversus*
nos erat chirographum decreti — *&*
Coloss. 2. *ipsum tulit de medio affigens Cruci?* —
Ben. Cer. *O mira circa nos* Paternæ *pietatis di-*
gnatio? ô inæstimabilis dilectio charita-
tis? — *qui propter nimiam charitatem*
Rom. 8. *qua dilexit nos, Filio suo non pepercit*
sed pro nobis omnibus tradidit illum? —
Ah quid pro tanto dono miser, pec-
cator Patri æterno retribuam? — quid
Filio DEI pro exantlatis tot labori-
bus & perpessis pro me cruciatibus?
— Adhucne eum peccatis *crucifigā?* —
Hæbr. 6. *rursumne ostentui habebo?* — reddam-
ne *mala pro bonis?* — *& odium pro di-*
Ps. 118. *lectione mea?* — Ah non, non — sed
immensam Bonitatem redamabo —
injuriatam Maiestatem deprecabor —
commissa mala deplorabo — afflicto
compatiar — & deinceps affligere
nolo &c.

Nec satis videtur datum peccato
quod Author vitæ Cruci affigatur,
etiam ne interiori palato suum desit
tormentum dulcedo cordium ciba-
tur

tur *felle* — *potatur aceto* — fed nolu-
it bibere ne amaricarentur vifcera
quæ funt mifericordiæ — Ah non
vinum in quo eft luxuria, non aliud re- Ephes. 5.
ftaurativum miftum peccati felle fa-
piat tibi, fed poculum lachrymarum?
℣ quibus abluas vulnera *vulnera Chri-
fti tui* — & in fanguine fuo emun-
des animam tuam à fordibus pecca-
torum — Saltem fua morte Iudæo-
rum odium, rebar reftinctum fuiffe,
at illi dira cufpide *latus eius aperiunt* Joan. 19.
vt id in mortuum exerceant cui vi-
vus non poterat fuffeciffe? — O in-
faturata crudelitatis rabies quousq;
infanies? ℣ Satia te immanis fangui-
fuga cruento fpectaculo quod admi-
rationi totius vniverfi inauditâ fe-
ritate præparafti, & ad fingula præ-
miffòrum, *irremediabilibus lachrymis* Tob. 10.
plora, quorum caufa excitifti — vlti-
mo DEUM occidifti? — *lumen ocu-
lorum* tuorum extinxifti — vitam vni-
verfo ademifti? — Eheu *cecidit ceci-
dit corona Capitis noftri?* — *verfus eft
in luctum chorus* nofter — *defecit gau
dium cordis noftri* — concidit *folatium* Orat. Ier.

vitæ

vita nostra — Heu heu *quò abijt Spiritus oris nostri?* — *quò dilectus noster declinavit?* — Ah *recessit Pastor bonus* quid facient *cum grege suo lupi rapaces?* — *Plorans igitur plorabo die ac no-*
Th.Kemp. *cte & lachryma mea in maxillis meis super*
Conc. 22. *per contritione & amara Domini mei*
de Pass. Christi. *Passione* — Ah vtinam in me excitare possem tantū planctū super morte acerbissima innocentissimi JESU, ac David super interitu Filij sui se
2.Reg. 18 persequentis: *Quis mihi det vt ego moriar pro te fili mi Absalon, Absalon*
2. Reg. 1. *fili mi?* — *Planxit idem David planctu magno super Saul & Ionatham filium ejus, & ego non plangam mortem Dñi*
Genes. 37 *mei, Regis mei?* — *videns Iacob vestimenta Ioseph filij sui, scidit vestimenta sua*
Gen. 45. *cum fletu, & ego cessare potero a fletu considerata Dni mei morte dolorosa?* — *videns etiam Ioseph Beniamin fratrem suum coram se stantē, commota sunt viscera sua, nec se poterat à lachrymis continere ego & audiens Dñum meū atrociter*
Act. 8. *occisū sine lachrymis ero?* — Cum B. *Stephanus lapidaretur a Iudaeis viri timorati fecerunt planctum magnum super eum, & ego non fundam modicum plan-*

ctum pro eo qui pro me fudit pretiosum Sanguinem suum! — *Deficiant præ dolore lachrymæ in Capite meo, nec sit qui me consoletur quia Dominus meus morte crudelissima sublatus est* — Iuvate me in fletu *sol & luna & omnes creaturæ induant tristitiam, vbi Dei Filius tantam sustinet miseriam* — Ecce cuius *Cælum sedes est, terra autem scabellum* Isai. 66. *Pedum suus* nunc totus in vna furca dolore incurvatus abbreviatur! — O factum crudele! ô per fidem naturalem incredibile proscenium! — *Candet nudum pectus* — *rubet cruentū* S. August. Meditat. Cap. 6. *latus* — *tensa arent viscera* — *decora languent lumina* — *Regia pallent ora* — *procera rigent brachia* — *crura pendent marmorea* — *rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda* — *Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salamonem in* Cant. 3. *diademate* (spinoso) *quo coronavit illum Mater sua* (synagoga) *in die desponsationis illius* cum anima dolente — En Princeps Pacis sed bello fractus — *Sol justitiæ* sed obscuratus — *Lux mundi* sed extincta — *via* sed male calcata — *veritas* sed mēdaciis obruta

ta — *vita* sed mortua — *vitis* sed vindemiata — *Lilium* sed *inter spinas* — *Speculum* sed contractum — rerum Idea sed confusa — O ruinam irreparabilem! O *plagam cordis insanabilem*!
Isai. 40. — *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, ecce pro peccatis nostris tribus clavis in ara Crucis affixus est — vel
1. Petr. 2 vt ibi ageret *Episcopum animarum* nostrarum, Patrem *postulans pro nobis*
Rom. 8. *gemitibus inenarrabilibus* — vel vt
1 Mach. 16 *Princeps Sacerdotum* solenne sacrificium *pro nostra omniumq; salute* celebra-
Hæbr. 7. ret — vel vt *Sacerdos DEI summi* non
Hæbr. 9. iam *hircorum* vel *vitulorum* sed *proprium sanguinem* in victimam pro nostra ingratitudine immolaret — vel
1. Petr. 5. vt *Princeps Pastorum*, *ovem perditã* re-
Apoc. 1 cuperaret — vel vt *Princeps Regũ terræ*
S. Aug. Tr. ad maioré confusionem *ligno non fer-*
in Ps. 54. *ro Orbem domaret* — & capitales suos æq; ac nostros hostes debellaret &c.

Nunc primum D. JESUS manifestavit apertius in throno Crucis Divina attributa, nisi enim DEUS esset, nunquam talia perpessus fuisset pro & ab ingrata plebe — ô si à ple-

be tantum, non à dicaris DEO *Principibus Sacerdotum* — Etiam perversa mea, opera bone JESU *foderunt manus* Psal. 21
Tuas — & inordinati affectus mei Tuos *pedes perforarunt* — innumera scelera mea *dinumeraverunt omnia ossa* Tua — Eheu quam *grandia mala mea*! quanta vulnera & infirmitas mea pro quibus sanandis Dominus meus crucifixus & occisus est? —
Ego horrendas plagas promerui ille *scapulis suis obumbravit* mihi — con- Ps. 90.
lauciandus eram telo vindictæ Divinæ, ille obiecit se & vulnus accepit pro me — absorbebar peccatorum barathro, ille difficillimo per rubrum amarissimæ Passionis mare, natatu, me morti eripuit &c.

Quis iam vnquam bone JESU de Tua misericordia diffidat, qui cum Tui inimici essemus *redemisti nos in* Rom: 5.
Sãguine Tuo — & *reconciliasti nos* DEO — Jdcirco cum magna veniæ fiducia ad pedem Crucis Tuæ supplex debitor *obaratus* 10. *millium talentorum* Matth. 18
procumbo implorans misericordiam & gratiam — quod enim tam enor-

me scelus esse possit quod fervens pretiosusq; Sanguis Tuus non diluat? — aut qui peccatorum cumulus imaginari potest, cui amarissima mors Tua non præponderet? — Tua ergo CHRISTE Redemptor mors & Pas-
Matth. 18 sio sit mea satisfactio — *pretium* Tui *Sanguinis sit* iustificatio mea — alioqui non sum soluendo mea debita Tibi,
Psal. 85. *quoniam pauper & inops sum ego* — Riga me lachrymis quas fudisti pro me — unge me myrrha doloris Tui — vulneribus sana — adstringe vinculis — ablue sanguine — Cruce erige — sanctifica passione — morte vivifica — Tu enim Domine *quærens me* fuisti *lassus, redemisti Crucem passus — tantus* ergo *labor & dolor non sit cassus*
S. August. Meditat. Cap. 6. — *Te* quoq; *gloriose Genitor* humiliter *Oro patere per Filium Tuum exorari* — *Specta gratissimæ Prolis lacera membra & memorare benignus quæ in ea est substantia* — *Cerne manus innoxias pio manentes cruore, & remitte placatus scelera quæ patrarunt manus meæ* — *Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte*

quem

quem inde credo fluxiſſe — vide immaculata veſtigia quæ non ſteterunt in via Peccatorum ſed ſemper ambulaverunt in lege Tua diris infixa clavis; & perfice greſſus meos in ſemitis Tuis — & fac me odio habere omnes vias iniquitatis — Aſpice mitiſsime Conditor dilectæ Sobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatẽ — Conſpicare DEI hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam — vide Redemptoris ſupplicium & redempti dimitte delictum, &c.

Finita hora claudes Meditationem iuxta dd: Cap. 8. §. 3. addita hac v. g. Reſolutione.

Gratiam Fidejuſſoris non oblivíſcar aliqua rememoratione de die, præſertim Paſſionis eius; *poſuit enim animam ſuam pro me.* expoſt lumina Motiva & affectus notabis, ſi quos adverteris ad Compaſſionem accendentes ſpecialiter. Roſetum in hac Materia vſurpabis ad CHRISTUM D.

Qui paſſus es pro nobis JESU Chriſte miſerere nobis. vel illud ad Beatam.

Sancta MATER iſtud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè. vel
Fac me vere Tecum flere;
Crucifixo condolere
Donec ego vixero.

Pro ſupplemento Meditationis.

JNCENTIVA,

Ad ſæpius recolendam Paſſionem Domini noſtri JESU Chriſti.

INprimis ipſe Chriſtus D. Noſtram Canoniſſam S. Gertrudem docuit, nihil eſſe magis meritorium (Confeſſione excepta & ſac: Communione) quam Paſſionis memoriam.

Serm. 23. de Ieiun. Deinde Divus Noſtri Reſtaurator Ordinis Auguſtinus. hæc habet: *Nihil tam ſalutiferum nobis eſt quam quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit DEVS & Homo*

Apud Diſcip. ſerm. 1. Paraſc. Conſonat Ratisbonen: Epiſc: B. Albertus M. dicens *Simplex recordatio Paſsionis Chriſti multo plus valet quam ſi quis integrum annum in pane & aqua ieiunaret, vel ſi quotidie virgis & flagellis cæderetur vſque ad effuſionem Sanguinis vel ſi quotidie legeret integrum Pſalterium.*

Conc. ſeu Medit. 25 de Paſſion. Chriſti Et Noſter venerab. Magiſter Kempenſis, Thomas, præclare docet: Multa bona confert homini Paſſio Chriſti ad memoriam „reducta, & quanto ſæpius & intenſius de eo cogitatur tantô dulcius „ſapit, & vehementius compungit. „Eſt enim incentivum Divini amoris, eſt doctrina patientiæ, eſt ſolatium in tribulatione. Eſt fuga diſſolutio-

lutionis, est materia sac: compunctionis, est exercitiũ internæ devotionis, est exclusio desperationis, est certa spes remissionis peccatorũ, est utilis recuperatio temporũ maiorũ præteritorum. Est optima fiducia in mortis articulo ne homo desperet de semetipso, est reconciliatio Divinæ districtionis in iudicio futuro. Est mitigatio anxiæ turbationis, est sustentatio duræ increpationis. Est expulsio perversæ cogitationis, est repressio carnalis tentationis. Est informatio humilis subiectionis, est consolatio corporalis ægritudinis. Est refutatio sæcularis honoris, est vituperatio abundantiæ temporalis Est consolatio voluntaria paupertatis, est abdicatio propriæ voluntatis, est refrænatio superfluæ necessitatis. Est excitatio tepidæ conversationis, est inflammatio fervidæ emendationis. Est impetratio gratiæ amplioris, & inductio Cœlestis consolationis, est comprobatio fraternæ compassionis. Est præparatio, Divinæ con-

' templationis, est augmentatio fu-
' turæ beatitudinis. Est alleviatio
' pœnæ præsentis, est purgatio ignis
' sequentis, est magna satisfactio pro
' peccatis quotidianis. His & aliis
' quam plurimis bonis redundat &
' floret Passio Christi devote pènsa-
' ta, frequenter lecta, intime masti-
' cata. Hoc melius novit & sapit
' anima DEO dedita, mundo aliena
' solitudinis amica, oris sui custos
' corde, humilis & quieta á curis.
' Ista Sancta recordatio summe DEO
' placet, Angelos lætificat, homi-
' nes ædificat, conscientiam purifi-
' cat, tædium repellit dolores lenit,
' amaritudines dulcorat, iram repri-
' mit, concupiscentiam frænat. Re-
' vera Passio CHRISTI est thesaurus
' DEI absconditus, plenitudo omnis
' virtutis, perfectio religiositatis, sū-
' ma totius sanctitatis.

*Plura ex eodem Divino Asceta qui volet, co-
piosissimam Meditandi Materiam in Concione 26.
& 27. inveniet, præcipue autem ex Concione 21.
pro Dominica Passionis concepta, multo supernæ sa-
tisfactionis sensu jucundabitur.*

PRA-

PRAXIS X.

Panis Angelorum factus,

CIBUS VIATORUM.

PRobet autem ſeipſum homo & ſic de Pane illo edat. &c. 1. Cor. 11.

Præparatio ſolita *ex Cap.* 8. §. 1. & in Praxi *de Fine Ult.* cum pauſa in lineolis ſervabitur.

Prælud. I. Imaginare quam ſolennem potes SS. Sacramenti Expoſitionem. cum multo apparatu & *decore domus DEI* in Throno ſublimi conſpicuam, vbi cernuus populus genu, fronte, corde, profundiſſimas fundit adorationes.

Prælud. II. Petes lumen vt pro tua capacitate, quam adoras, agnoſcas Maieſtatem, & agnitam vt reverearis condignius, ſeriam in eiusmodi myſteria devotionem implorabis.

CONSIDERA I. Sanctiſſ: Euchariſtiæ Sacramentum eſſe MEMORIALE MIRABILIUM DEI; quidquid enim ad extra de facto produxit, vel de potentia extraordinaria creare poteſt, totum id, in hoc SS. Myſterio reinclusit, & veluti compendiavit, vt merito D. Th: *Miraculorum ab ipſo factorum maximum*, pronuntiaverit; Serm. de Ss. Corpore Christi quod ipſum Divinus Pſalmiſta multo ante, in hæc verba prænuntiavit: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum mi-* Pſ. 110.

 ſeri-

sericors & miserator Dominus ESCAM *dedit timentibus se* — Observa primum & maximum Mirabile vtpote originem cæterorum: Quoties de die infinita Divina Maiestas *obediente*
Iosue 10. *Domino voci hominis* cum tota Cœlesti Curia in gratiam hominum de Cœlo ad terram instantanee descendat — & se ad humiles panis & vini species demittat? — & quidem cum Divinitate tota in Triade Personarum — & cum humanitate tota videlicet Anima Christi & Corpore — quod est specialissima purissimi sanguinis & cordis Mariani particula — O miracula in vno miraculo! Nonne magnum miraculum est obedire DEUM *voci hominis*, qui voci Divinæ cum omnibus titulis debeat obsecundare renuit? — Nonne mirabile est supremam DEI Maiestatem demitti ad homines, qui omnes, ne quidem Sanctissimi, ne quidem Eminentissimi *scabellum pedum eius* (ni dignificarentur ex alto) attingere
Ps. 89. *mererentur*? — Nonne mirabile est immediate ad Consecrationis verba sub-

stanti-

stantiam convestitam Panis & vini accidentibus annihilari — seu transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Christi? — Accidentia vero conservari independenter à subiecto? — — habere esse & existere sine subiecto — eisq; tamdiu ligari incorruptibilem DEUM, donec ipsa corruptione naturali dissolvantur — & quod mirabilius mirabilibus est, DEUM toties quoties consecrantur substantiæ illæ, reproduci — & Creatorem à creaturis quodammodo creari — Nonne mirabile est eundem Christum, qui est in Cælo circumscriptive, hoc est cum omnibus humanis membris & pártibus Corporis gloriosi, extra partes esse in terra difinitive, pariter cum omnibus membris, sub quavis vel minima alterutrius speciei particula — & quidem in infinitis locis replicatum? — ita vt vbiq; multipliciter sic vnus, & vniter hoc est salvâ vnitate multiplex — Sub hoc Mysterio latitant *oculi Domini super iustos — & aures eius in preces eorum* Psal. 33.
 vultus

vultus autem Domini super facientes mala vt perdat de terra memoriam eorum — ibi sunt manus Divinæ, miraculorum super peccatores patrativæ —
Act. 10. ibi expediti pedes ad *transeundum benefaciendo* — ibidem viscera plena misericordiæ inesse crede — ibi pectus amantissimum vt admittat ad amplexum peccatores — ibi suavissimá labia quæ *multifariam multisq; modis* devotos affantur cultores — &
Hebr. 1. in domum cordis sui benevolos receptores vt *quotquot receperint eum, det eis potestatem Filios DEI fieri* —
Ioan. 1. O portenta charitatis Divinæ humano sensu nunquam perceptibilia! — O inæstimabilis dignatio bonitatis eius, quæ se tantum cõmunicat humanæ vilitati, vt non solùm manere cum illa — sed in illa & cum illa *desiderio desiderat* identificari! — Deitatẽ inhumanari — humanitatẽ Deificari — Et quæ *est Natio tam grandis quæ habeat DEOS appropinquantes sibi, sicut DEVS noster adest nobis?* &c.
Luc. 22.
Deut. 4.

Sed quid sunt hæc, ad, quæ sequuntur? *Stupor & mirabilia facta*

sunt in terra dum *DEI Filius de sinu* Ier. 5.
Patris descendens ad virginalis clau-
stri vterum declinavit ibiq; amo-
ris glutino humanitati assumptæ vni-
tus, in vnum idemq; suppositum,
quodammodo concrevit, vt conver-
tibiliter DEUS HOMO, HOMO
DEUS, dici & esse posset. Ec-
quid non mirabile dices dum idem
Inhumanatus DEI Filius, non iam
in castum *Virginis vterum* sed in fæ-
dum humani cordis hospitium, in Eu-
charistico mysterio descendit? Cre-
desne ordinarium beneficium, quia
sub quotidiana panis & vini specie
ad te descendit? Putabis forte quo-
tidianum quia quo tempore vis, te
visitari cum omni gratiarum pleni-
tudine paratus est. O *animalis homo* 1. Cor. 2.
qui *non percipis ea quæ sunt spiritus*
DEI, expende diligenter verba, *signa*
mysteria: *Rex æternæ gloriæ se dat tu-*
is manibus vt quasi stipulata manu
fœdus perpetuum tecum stabiliret.
Se dat tuis visceribus vt se tibi inti-
mius intrinsecaret. voluit sub spe-
cie cibi & potus tibi commisceri, vt
se

se tibi commodius inviscerare— voluit, inviscera vt se tibi quasi connaturalius incorporaret — vult etiam quotidie incorporari, vt Incarnationis memoriam, patentius in te renovaret — & sic continuo in te (tu in illo) permaneret — O portenta! o plus quam miraculorum miracula! — *Cæli aperiuntur* — *Ange-*
S. Greg. 4 dialog: Cap. 56. *lorum Chori adsunt* — *summis ima* — *terrena Cælestibus* impractacato hactenus familiaritatis nexu *sociantur* — O quam beatus es si *manet in te* cum tanta dignatione vt desiderat, & *tu in illo* cum tanta dispositione vt debes — Etenim si sic *tu manes in illo*
1. Io. 3. quid sublimius? — si ille *manet in te* quid felicius? — Si ipse in te quid nobilius? — si tu in illo quid securius? — Si ipse in te quid suavius? — si tu in illo quid quietius & tranquillius? — O mysteria per nullas creatas vires investigabilia! etenim *in Cruce latebat sola Deitas, & hic latet simul & humanitas* — ô prodigia æternitate tota imperceptibilia; — Quis enim singula digne expendere? aut

aut quis *enarrare omnia mirabilia sua* in Eucharistica incarnatione contenta præsumit? vana est omnis subtilitas quæ illa recensere contendit, si *sapientissimus præ filijs hominum* longe minori abreptus miraculo, exclamasse cogitur: *Ergone credibile est ut habitet* DEUS *cum hominibus super terram?* quid non diceret modo, si contemplaretur DEUM non tantum *cum hominibus conversari super terram*, sed insuper *carne amictum prodire* ossibus circumseptum vivere nervis (ut vel invitus maneat cum hominibus) ligatum, perseverare & cum his omnib⁹ sub speciebus Panis & vini quodammodo incarceratum indignis plerumq; manibus tractari fœtido ore sumi in abominabilem non nisi us dispositione naturali ac sordibus peccatorum, alveum, traijci! Si mundi Sapiens capere non potuit, terminis vastissimi Ierosolymitani Templi capi DEUM potuisse, quomodo attonitâ mente in hæc verba prorumperet: *Si Cælum & Cælorum Cæli non*

Eccli. 24

Ant. Mo. lin. Instr. sacer. Cap. 10. § 2.

2. Paral. 6.

2.Paralip. 6. *Te capiunt, quanto magis Domus ista quam ædificavi!* ¬ quomodo non stuperet nunc, si consideraret incomprehensibilem DEUM in vno ad speciem panis bolo comprehendi? — imo in vno minimo fragmento — in vno planè indivisibili atomulo! — & hoc ipsum (o maius omnibus antedictis miraculum) tam præcellentissimum Mysterium ¬ hoc mirabilium DEI compendiũ — hoc Memoriale sui Divini amoris præcipuum — in quotidianã etiam offerri homũcioni miserrimo _ vni terræ vermiculo — suo Mystæ indignissimo ¬ suo convivæ ingratissimo! ¬ O quanta te deprimẽdi materia, si bene expẽdas quis tu quis ille? — *O res mirabilis manducat* S.Th.Aqu. in Hymn de Corp. Christi. *Dñum pauper* — *servus* — *& humilis*, non virtutis merito, sed conditionis vilitate! *O magnum pietatis Sacramentum!* 1.Tim.3. ô salutis momentum! *simul in vnum* Psal. 48. *dives & pauper!* — DEUS & Homo! ¬ Quis vnquam tantam dignationẽ vni profugo super terram promeruit? — aut quis DEVM ad tam altæ charitatis exhibitionem coegit? — quis miserabilem peccatorem ad tam

eximiæ eminentiæ gradũ (si non sola miseratio Divina) sublimavit? &c.

O *Anima mea agnosce dignitatem tuam* — & quæ ieiuna reflexione tanta mysteria perpendis diligenter adverte te esse velut *Templum DEI* in quo supremus rerum Monarcha, ecu in *aliquo sole posuit tabernaculum suũ*, vt tu solẽ mentis nitore, *decorem Domus DEI* virtutũ ornatu imiteris — Imo ipsũ *Tabernaculũ* DEI facta es in quo SS. CORPUS Christi reponitur — *Thronus* DEI *es in quo Rex Regũ stellato sedet solio* — Sacrarium Templi es in quo pretiosissima Christi Reliquia asservatur — Numquid non totus redolebis Sanctitatem qui totus DEO pro scabello es? — Colligis in domum cordis tui Christum? ergo te Christi hospitam crede, & Mariæ sororisq; eius Marthæ, hospitalitatem æmulare — quarum vna calenti amore — altera fervent obsequio illum excreabant — Si *Panem vitæ* manducas? attende *ne iudicium manduces & bibas* ad mortem. *non dijudicans Corpus Domini* — Si *Angelorum cibum* iuvis? Angelicam puritatem imitare

s. Leo

Psal. 18.

1. Cor. 11.

— Si pretiosissimū Cæli clenodium in te depositum tenes? in quo divitiæ gloriæ, *thesauri sapientiæ & scientiæ* creduntur reconditi? à prædonibus inferni deprædari time — Si *Cæleste Manna* recipis? *Arcam DEI* te puta, & ne audeas *nauseare super isto cibo* quasi *levissimo*, duas inibi virgas associatas suspice &c.

Num. 21

O quam munda debent esse manus illæ? — *quam purum os* — *quam sacrum Corpus, quam immaculatum cor Sacerdotis* & vniuscuivsq, — *ad quem toties ingreditur Author puritatis?* — *Ex ore Sacerdotis nihil nisi Sanctum* — *nihil nisi honestum & utile procedere debet Verbum, qui tam sæpe Christi accipit Sacramentum!* — *Oculi eius simplices & pudici, qui Christi Corpus solent intueri* — *Manus puræ & in Cælum elevatæ, quæ Creatorem Cæli & terræ solent contrectare* — *O Sacerdotes si in anima cuiuslibet Iusti sedes DEI est, multo magis sedes & templum DEI vos esse debetis mundum & immaculatum* — *si sepulchrum eius gloriosum est in quo Corpus eius iacuit exanime, multo gloriosiora &*

Th. Kemp. Lib. 4. Cap. 11. de Imit. Christi.

S. August. serm. 37.

ra & digniora debent esse corpora vestra, quæ à mortuis suscitatus quotidie inhabitare dignatur ‒ Si beatus est venter qui novem mensibus Christum portavit, quàm beata debent esse corda vestra in quibus hospitium habet quotidie Filius DEI*? ‒ Si beata sunt vbera quæ parvulus suxit, beatum debet esse os quod carnem ejus sumit, &, sanguinem sugit ‒ Carnes ergo vestras cum timore eius configite, & vobis diligenter providete, ne lingua quæ vocat de Cælo Filium* DEI *contra ipsum Dominum loquatur ‒ & ne manus quæ intinguntur sanguine Christi polluantur sanguine peccatorum &c.*

CONSIDERA II. Sacramentum hoc, esse Memoriale Mysteriorum. Nullibi namq; DEUS maiora & plura recondidit arcana, ac in hoc salutifero remedio. Quis ambigat? si bene observet, quæ dicit fidelissimus arcanorum DEI Secretarius AUGUSTINUS: *Cum sit sapientissimus plus dare nescivit ‒ cum sit ditissimus plus dare non habuit ‒ cum sit potentissimus plus dare non potuit ‒* quasi dicat in alijs operibus Divinis *quæ posuit pro-* Tr. 84. in Ioan.

digia

Psal. 45. *digia super terram* solam sufficiebat
[ad esse illorum) manifestare volun-
Ps. 32. tatem DIXIT & FACTA SUNT; hoc vt
fieret totam Divinitatis virtutem cum
omnibus attributis concurrere opus
erat — & quidé ita vt [infinita cum
sint) Metam: NON PLUS ULTRA, at-
tingere & aliquomodo exhauriri vi-
derentur — Hic *Aseitas* Divina quo-
dammodo exinanitur, dum, á Mini-
stris DEI sub speciebus Panis & vini
DEUS creatur — hic *Immensitas* fini-
tis accidentibus limitatur — hic *Im-*
Ps. 115 *mortalitas* incruento modo *in hostiam*
laudis mactatur — hic *Misericordia* in
salutem peccatoris effunditur — hic
Æternitas DEI breuissima duratione
accidentium mensuratur — hic *Spi-*
ritualitas corpore vestitur — & san-
guine *Pulchritudo* DEI decoloratur —
hic *Simplicitas* DEI in partem con-
stitutivam Christi, hominem admit-
tit — hic infinita *Bonitas*, totum quod
potest in tuum commodum, conver-
tit — & stupenda *Liberalitas* munus
Divinum cum hoc & in hoc SS. My-
sterio nobis derelinquit — En quo-
modo

modo subtilissimus DEVS, vt Divinitatis *absconditus thesaurus* tutius *con-* Matth. 13
servetur, Cœleste Margaritum, involutum panis sine pane accidentibus, *in vase fictili* mirabili adinventione deponit — Conceptus hic solius Divini ingenii est, à nullo creato & creabili intellectu perscrutabilis — ab omni creatura possibili ineffabilis — nullo loco extra accidentia panis & vini comprehensibilis — nulli subiecto præterquam viatori homini communicabilis — En tot mysteria in hôc Divinissimo Sacramento suspice, quot attributa operativa Mirabiliũ Dei ibidem meditaris &c. — Quid de *Mysterio Passionis* quod incruento modo repræsentat, vt cruenti sacrificii perennis extaret memoria? — Semel pro nobis im̃olatus invenit modum quo sæpius im̃olaretur, vt scias Christũ toties pro te mori, quoties pro te non dedignatur sacrificari — Ergo tu pariter (docente Gregorio M. *Necesse est vt dum* Lib. 4. Dial. Cap. 58
hæc agimus nosmetipsos DEO in cordis contri-

contritione mactemus) expedi arma — & te hostiam ei exhibe, qui se dedit hostiam pro te — cæteraq; arcana Redemptionis nimirum — Sanctificationis — & Glorificationis inibi contenta expende — quorum effectus
Ant. Eccl. significat & causat hoc *Sacrum Convivium* — *in quo Christus sumitur* — *recolitur memoria Passionis eius* — *mens impletur gratia* — & *futuræ gloriæ nobis pignus datur* — O vere *Novi Testamenti Sacramentum*? hoc est mysteriosum — in quo testatam nobis reliquit suam vltimam voluntatem de remissione peccatorum — de adoptione in filios per gratiam & hæreditate æterna nobis tribuenda — hoc namq; Divinissimum Mysterium nos meritis locupletat — gratiâ decorat — gloria coronat — Divinoq; conspectui acceptiores & sanctos repræsentat — quæ omnia & alia complura cum hoc salutis pignore nobis legavit — & veluti testamento, signato, proprio sanguine confirmavit — O Sac: Communio quâ se nobis communicat in commune pabulum

Chri-

Christus cum omnibus virtutibus — satisfactionibus & meritis — nec non cum omni plenitudine gratiarum inseparabilium ab ipso — An ergo videns eum in figura parvula & despicabili panis non te deijcies? — an obedientiam eius quâ promptissime ad vocem Sacerdotis *descendit de Cælis* non imitaberis? — an ad af- Sym. Apost. fectum tantæ charitatis qui propter te venit vt tuæ indigentiæ subveniret non ardebis? — an ad perseverantiam eius quâ se nobis obligavit à principio Legis gratiæ: *Ego vobiscum sum vsq; ad consumationem sæculi*, Matth. 28 sancto fervore persistendi in bono, non aspirabis? — an Mansuetudinis exemplum datum tibi per tolerantiam tot sacrilegiorum — irreverentiarum — & id genus delictorum quæ prævidit committenda in tanta mysteria, tam ab impijs Christianis quam perfidis Gentilibus & paganis strenuè arripere contemnes? — Num *divitias gloriæ Sacramenti huius* quas Coloss. 1. *notas fecit DEVS in Gentibus* cum tot benevolentiæ suæ in te argumentis

fastidies? — *Pensate Fratres charissimi* clamat Gregorius M. *quanta sit ista* dignitas *habere in cordis hospitio adventum DEI!* — Si benignus Dominus hoc beneficium præstitisset innocentibus *scelerisq; puris* adhuc esset inæstimabile, nunc autem quis enarrare poterit *magnitudinem consilij Divini super salutem generis humani*, dum per manus malorum, Ministrorum non dedignatur indigne tractari — dum peccatorum ore sacrilego (quorum animæ sunt domicilia Sathanæ & corpora vasa corruptionis) sumi — & in fæculentis eorum visceribus non detrectat sepeliri — Semel tantum Dominus in ara Crucis à perfida Synagoga affixus est, hoc in Sacramento ab quoties à populo fideli Cruci appenditur! — Semel quondam venditus, despectus, cæsus creditur, nunc heu quoties convitijs & probris Gentilium afficitur — quoties iniuriosissimis sacrilegiis indigne suscipientium defædatur — quoties execranda temeritate Ministrorum jumento vendibili minus æstimatur

Homil. 30 in Evan.

Ant. Eccl.

dum

dum ab eis ex mundano respectu perfunctorie tractatur &c.

Nec ministeria quæ nobis præstat virtute huius Divinissimi Sacramenti vacant suis mysterijs. Quid non mysteriosum est quod Cæli & terræ Monarcha, tantam tui curam susceperit vt non dedignaretur subire munus Medici *qui sanat omnes infirmitates tuas* — non solum veniales noxas, sed quandoq; virus mortale & quidem (quod peius est) occultum à te depellendo — tribulationes leniendo — meritas peccatis pœnas alleviando — concupiscentiam carnalem supprimendo — & fugando dæmonia — Nec ábhorruit pro te officium Magistri qui *verba vitæ æternæ habet* — *& viam* ad Patriam *in veritate docet* — Experire ferventi ante vel post sac: sumptionem soliloquio, & videbis quod *verba quæ loquitur Spiritus & vita sint* — gusta *& hauries salutem à Domino* — Jmo optimæ Matris morem secutus quæ suos filios non dat alteri nutriendos, vel in hoc ter optimæ Matris amo- Ioan. 6. Prov. 8.

rem excedit quod nos velut Pelicanus proprio pascat Corpore, — & vt vitâ eius vivamus ceu Phænix vnica

Philip. 2. *seipsum exinaniat formam servi accipiens* — & in morem Elisæi commembrat se nobis? ut per peccata mortuos, ad vitã animaret — & suo cõtactu sanctificaret ad gloriã — Sed quid dico commembrat se nobis? Nonne verius tanto consanguinitatis nexu identificat se Nobis vt *Caro & sanguis noster* dici mereatur —,

Genes 2. vt *Caro de carne, os de ossibus nostris numeretur* — O homuncule vt quid titillaris vento vanitatum Communione cum sis alter DEUS! — Si admiraris eminentiã Divæ Matris quod *habitaculum DEI effici mereretur?* cogita te idem esse — & insuper Fratrem Christi — & *Filium Ancillæ suæ*

Luc. 1. — quoties namq; communicas gignis in te Christum — & ipse gigneris à Christo — qui idcirco dat se tibi in cibum & potum vt quàm arctissime illi coniungaris & sicut cibus in substantiam aliti, sic ille in te, tu in illum corpore & anima trans

transformeris — O quando veniet illud tempus, quo cum veritate dicere possis: *Vivo ego iam non ego vivit vero in me CHRISTVS!* — O quantum debemus ei qui tot modis & mediis saluti nostræ prospexit! — vt vitam viveremus Divinam, Divinum exhibuit alimentum — & ita *Divinæ Naturæ consortes* efficeremur *& Filij DEI nominemur & simus* — Noluit in Sacramento hoc creatas permanere substantias vt ipse propriâ suâ substantia nos satiaret. Gal. 2. 2. Petr. 1

Quibus sub bina specie
Carnem dedit & Sanguinem,
Vt duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem —

Nonne hic cibus deberet omnem appetitum extinguere? — Nonne sufficiens est omne desiderium satiare? — & tamen proh dolor! quoties cõtempto verè pane cælesti, cum porcis furfura comedi — & terreni saporis *momentaneum delectat*, supernæ suavitati anteposui! — Et quod magis detegit stupiditatem meam vsq; modo pascor alimento Divino quo sa-

turari possunt infiniti mundi — potor præclarissimo vino quo ardentissima Angelorum sitis extinguitur — nihilominus etiam nunc ad cepas Ægypti — ad ferculum Babylonis me converto — omne Cæli gaudiũ intus feto, & terræ illecebris irretiri non desino — vanaq; solatia à creaturis emendico — *Panem Filiorum* manduco, adhuc tamen ad delectamenta sensuum suspiro — siliquas porcorum impudentissime appeto — & ideo *fame* & siti *in terra aliena pereo* — Quotidie ad DEUM excelsum torrentem svavitatis supernæ accedo, & non solum sursum non rapior, sed terræ totus adhæreo, omnisq; mea solicitudo sensui famulatur & corpori, nullá Cælo — Hæ sunt angustiæ quæ me vndiq; premunt, hæc consternatio mea magna nimis — Ah *non mittendus canibus* panis iste, qui ipsis etiam *præbet delicias Regibus?* — *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio?* — *quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem?* — *os, quod igne spirituali reple-*

Luc. 15.

S. Ioan. Chrif. homil. 60. ad popul. Antioch.

repletur — linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit — Cogita quali sis insignitus honore? — quali mensa fruaris? — Quod Angeli videntes horrescunt, nec libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur — huic nos vnimur — & facti sumus vnum Christi Corpus & vna caro — Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus! — Quis Pastor oves proprio pascit cruore? — & quid dico Pastor? Matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus, hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio Sanguine pascit — & per omnia nos sibi coaugmentat. O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in vtero Virginis Filius DEI incarnatur! — O Sac: & Cæleste mysterium quod per vos Pater & Filius & Spiritus S. operatur — vno eodemque momento idem DEVS qui præsidet in Cælis, in manibus vestris est in Sacramento altaris — O venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! ô vere mundi gaudium! Christus tractat Christum — id est Sacerdos, DEI

S. Augus. sup. Ps.

DEI Filium cujus sunt deliciæ esse cum filiis hominum — & quod datum non est Angelis concessum est homini — Sacerdos enim hoc ineffabile conficit Mysterium! & Angeli conficienti sibi quasi famuli assistunt — Super hoc tam insigni privilegio stupet Cælum — miratur terra — veretur homo — horret infernus — contremiscit diabolus — & veneratur quam plurimum Angelica Celsitudo — O
Rom: 11. *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus? & investigabiles viæ ejus!* — quod dignioribus & sanctioribus creaturis non est concessum, hoc sceleratis peccatoribus ad quotidianum usum oblatum est! —
Psal. 8. Domine *quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* — Te laudant *Angeli sine intermissione* — *Throni* assistunt Tuo solio — *adorant Dominationes* — *tremunt Potestates* — *ipsi*
Iac. 2: etiam *dæmones credunt & contremiscunt* nec tamen his profuit ad coronam, nec illis ad gloriã, hæc quæ homini miserabili, præstitisti; — excedit id universæ creaturæ admirationem! &c.

Plura

Plura evolvere Divini huius Myſterij ænigmata nec audeo nec valeo. *Etenim Sacramentum Regis* (Cœleſtis) *abſcondere bonum eſt*, præſertim cum innumeris Novi & veteris Teſtamenti Figuris ſit adumbratum — Panis & vini accidentibus conveſtitum — tot oblationibus hoſtiarum obnubilatum — non tot quin pluribus arcanorum labyrinthis vtpote *Manna abſconditum* involutum — velut *Farina Eliſæi* miraculis quam plurimis innodatum — velut *Arca Fœderis* mercibus cæleſtibus referta, obſeratum — velut *Panis ſubcinericius Eliæ* ad reficiendos jeiunos collatum — velut *Agnus Paſchalis* cum tot ceremonijs veſci ſolitum — velut *Panis Propoſitionis* mundis corde & corpore conceſſũ — velut *Panis & vinum Melchiſedech* ad exhilarandos in morte melancholicos dari permiſſũ: *Date ſiceram mœrentibus, & vinũ qui amaro ſunt animo, bibãt & obliviſcantur egeſtatis ſuæ & doloris ſui non recordentur amplius* — O *dulce & amicabile Verbum in aure Peccatoris!* cui cœleſtis alimonia cum tanta

Tob. 12

Prov. 31.

O Th. Kemp. Lib. 4. Cap 1. de imit. Christi.

tanta differentia ferculorum æq́; ac dilectis quondam amicis DEi confertur! — *Quid sibi vult ista pijssima dignatio? & tam amicabilis* circa ingratissimas creaturas dispositio? — *O*
Ant. Eccl *quam bonus & suavis est Dominus, qui vt dulcedinem suam in filios demonstraret, pane suavissimo de Cælo præstito es surientes replet bonis* — *quibus etiã seipsum præbuit post passionẽ vivum* vt sub hoc velamine peregrinationis nostræ sit viaticũ, expectationis solatiũ — pretium nostræ redemptionis — pignus
Ps. 65. nostræ salvationis — O vos *omnes qui timetis DEVM venite, audite, & narrabo quanta fecit anima mea!* — Nam cum essem abiectus in domo mea, de pulvere erexit me, & constituit
Psal. 112 me *cum Principibus populi sui*, vt comederem panem & biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitæ meæ — Et vt illam terribilem aboleret sententiam: *In sudore vultus tui*
Gen. 3. *visceris pane tuo*, pro quotidiano cibo *panem de Cælo præstitit mihi* — vt ita in omni necessitate certissimum subsidium — in omni tribulatione tutissimum

ſimum perfugium — in omni rerum eventu præſentiſſimum conſilium in opportunitatibus efficax auxiliũ in promptu haberé — eiusq́; præſentia quantum viatori licet, perſerverer, vt autẽ ſe omnibus per omnia conformaret, ſi quis eſurit? velut Panis Gedeonis, *Cibus fortium* eſt — ſi quis ſitit? *Potus animarum* eſt — ſi deteſcere cupit? *theſaurus gratiarum* eſt — ſi infirmus? *Pharmacum immortalitatis* eſt — ſi mortuus? *Panis vivus, vita vivificans* eſt — O admirabile Myſterium! mendicus & pauper ſpiritua. li omnium rerum ditatur affluentia, vagus & inquietus placida refocillatur quiete — morbidus æterna reficitur ſanitate — peccatis fœdatus pretioſiſſimis purgatur abſterſionibus — mortuus vitâ viuificatur æterna &c.

O D. DEUS quanta eſt Tua dilectio! quã inenarrabilis Tua miſericordia! & imperſcrutabilis Tuá gratia! ſiquidem neminem ab hoc Sacramento excludis? dummodo ſeipſum non ſeiungat, nec indignum reddat! — O *cœna magna*, quæ omni- Luc. 14
bus

bus egentibus sufficis, quæ totá militantem reficis Ecclesiam! — *O salutaris hostia quibus Te laudibus efferam nescio* — quibus præconiis digne celebrem prorsus ignoro — Deficit anima mea cum de Te cogito — lingua fatiscit nec *Mirabilia testimonia Tua* secundum meritum valet nunciare — Tu es vita animarum nostrarum, & vulnerum nostrorum Mediciná — Tu solatium miserorum — Tu JESU Christi commemoratio — Tu charitatis eius pretiosum Legatum — Tu peregrinationis nostræ viaticum miseriarum nostrarum gaudium — Divini amoris fomentum — & supernaturalis gratiæ canalis — Tu deniq; pignus salutis æternæ — & thesaurus vitæ Christianæ — Hoc cibo anima nostra suo Sponso, arctissimo nexu iungitur — gustus interior recreatur — devotio augetur — interiora omnia liquescunt — Hâc escâ spirituali fontes lachrymarum aperiuntur — pravæ inclinationes reprimuntur — pia desideria excitantur — infirmitas nostra roboratur — spiritûsq; fortitudo datur

Offic. B. Virg.

Ps. 118.

tur vt indefessi *vsq; ad montem DEI*
ambulemus — Quæ lingua, quæ facul- Ant. Eccl.
tas magnitudinem huius SS. Sacra-
menti poterit effari? — Quis pares
huic tanto beneficio [quod Angeli,
quod Beati, quodammodo invident
— quod Ecclesia Triumphans Mili-
tanti gralulatur — quo Militans tri-
umphanti comparatur) gratiarum
actiones valebit referre? — Ne di-
eam quis audebit fastidire *Panem* 1. Cor. 10
hunc qui sustentat viatores — elevat
lapsos — corroborat debiles — armat
fortes — consolatur afflictos — illu-
minat ignorantes — inflammat tepi-
dos — excitat ignavos — sanat infir-
mos — & communis est omnibus
in necessitate constitutis — Insuper
Sacramentum hoc dimittit peccata
præterita — præservat à futuris —
passiones refrenat — tentationes mi-
nuit — devotionem excitat — fidem
illuminat — charitatem accendit —
confirmat spem corroborat huma-
nam debilitatem — restaurat vires —
exhilarat conscientiam — facit ho-
minem participem omnium merito-
rum

rum Christi — & vitæ æternæ dat arrham &c. — *O invisibilis Conditor mundi DEVS quàm mirabiliter agis nobiscum! quàm suaviter & gratiose cum electis Tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis!* —

Th. à Kem. citat.

O quam salutare & utile consilium Tuum cum istud instituisti! — *quàm suave & iucundum Convivium cum Te ipsum in cibum donasti!* — *O quam admirabilis operatio Tua Dñe, quam potens virtus Tua!* —

Idem ibid Cap. 2.

O mira circa nos Tuæ pietatis dignatio quod Tu D. DEVS Creator & vivificator omnium spirituum ad pauperculam dignaris venire animam — & cum tota Divinitate Tua ac humanitate, eius impinguare esuriem! — *O felix mens & beata anima, quæ Te D. DEVM suum meretur devote suscipere — & in Tui susceptione spirituali gaudio repleri!* — *O quam magnum suscipit Dominum!* — *quam dilectum inducit hospitem!* — *quam iucundum recipit socium?* — *quàm fidelem acceptat amicũ?* — *quam speciosum & nobilem amplectitur sponsum?* — *præ omnibus dilectis & super omnia desiderabilia amandum?* —

Idem ibid Cap. 3.

Late-

Lætare anima mea & gratias age DEO *pro tam nobili munere, & solatio singulari in hac lachrymarum valle tibi relicto* — si enim teneris ad gratias ei pro nutrimento temporali, ipso facto te instruente Christo, qui pro paucis panibus hordeaceis gratias egit DEO Patri, quid non debebis ei pro selecto *Frumento electorum?* — & si in Lege veteri *Manna* imo quodcunq; aliud beneficium, peculiarem pro DEO exigebat gratitudinem, quid non exiget à te DEUS qui non Mánna de Cœlo, non aquam de petra, sed *Panem vivum omne delectamentum in se habentem* hoc est semetipsum dedit tibi — Reverere eiusmodi beneficia — & vt maiori cultu suscipere possis hæc mysteria, diligenter expende & vide, ne optimam occasionem plurima & magna impetrandi negligas, dum totum in vtilitates tuas effusum consideras &c.

Idem ibid Cap. 8.

Joan. 6.

Aut. Eccl.

CONSIDERA III. Hoc Sacramentum esse memoriale Divini Amoris; dum enim Iudas molitur proditionem Christi, dum *Principes Sacerdo:*

cerdotum odia ministrant, dum populus, Crucem & mortem parat, — anticipans hæc omnia Christus *pridie*
Can. Miss. *quam pateretur Novi & æterni Testamenti* institutione, legavit nobis hæreditatem nobilissimam, æq; ac pretiosissimam in hoc & cum hoc Sacramento nempe SE — idq; non vt Regem tantum vel Dominum — non vt Patrem tantum vel Fratrem — non vt sponsum tantum vel advocatum aut sodalem &c. sed in cibū
Luc. 22. & potum *vt edamus & bibamus super mensam* suam *in regno suo* — Admirare dignitatem tuam ô homo! — venerare dignationem DEI ô vermis, qui *de stercore erectus* vsq; *ad sydera*
Ps. 112. *Cæli* sublimaris? — *vt cum Principibus populi sui* (Apostolis) *ad Cœnam Nuptiarum Agni* vocatus collocceris — & sic quodammodo [*pulvis & cinis* cum sis) Deificeris! — O charitas inaudita per sæcula! ô benignitas imperceptibilis! — *Quæ est enim alia*
Th. Kemp. Lib. 4. de Imit. Christi. Cap. 13. *gens tam inclyta sicut plebs Christiana? — aut quæ creatura sub Cælo tam dilecta vt anima devota ad quam ingreditur*

tur DEUS vt pascat eam carne sua gloriosa? — Revera non fecit taliter omni Nationi, imo nulli, ac populo electo — ad favorem cuius totus à Nativitate vsq; modo effusus est.| —

Se nascens dedit socium —
Convescens in edulium —
Se moriens in pretium —
Se regnans dat in præmium —

O ineffabilis gratia! ô admirabilis dignatio! ô amor immensus homini singulariter impensus! — Quid retribuam Domino pro gratia ista? — pro charitate tam eximia? — Non est aliud quod gratius donare queam, quam vt cor meum DEO meo totaliter tribuam & intime conjungam — Hoc oro, hoc desidero vt tibi totus vniar — & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham — magisq; per sac: Communionem, & frequentem celebrationem Cælestia & æterna sapere discam — Ah Domine Deus quando ero tecum totus vnitus & absorptus — meiq; totaliter oblitus &c. Th. Kemp. citat.

Sat multum expressit in te affectûs DEUS, quod *vsq; ad consummationem sæculi* in Ecclesiis Sacramenta-

liter asservari voluerit, vt mediante hoc mysterio visitet te sæpius sua præsentia — vngat te suâ gratiâ — sanet te sua misericordiâ — lavet te suo sanguine — resuscitet te sua morte — illuminet te sua luce — inflammet te suo amore — oblectet te infinita sua suavitate — animam suam sibi despódeat — faciatq; te participem sui spiritus & omnium eorum, quæ, per illam carnem, quam tibi dat, in Cruce promeritus est — at insuper dare se in nutrimentum animæ tuæ? — tibiq; tanta familiaritate commisceri? — nec dedignari manere in te vt tu maneres in illo? — quis hoc digne poterit expendere? — quis favoré eiusmodi mente complecti? — Non est hoc amoris verè Divini argumétum? — nonne hoc est proprie Sacramentum vnionis, mysterium charitatis, arcanum dilectionis, quo Christus incomparabiliter magis quam aliis donis tibi *adhæret*, vt *vnus* men-
1. Cor. 6. te & *spiritu* efficiaris cum eo? — & si-
1. Cor. 10. cut *vnus panis, vnũ Corpus multi sumus, omnes qui de vno pane] participamus*
Ian

Tanta ergo charitas non te accendet ad reciprocandum Divinum amorem? — tantus amor non resolvet glaciem cordis tui? — *Numquid potest homo abscondere in sinu suo ignem ut vestimenta illius non ardeant*, tu intra te accensum non senties? — *aut ambulare super prunas vt non comburantur plantæ eius*, tu ab immenso ardore circumfusus non inflammabe- Prov. 6.
tis? — Si descendente Dño de Cœlis Exod. 19.
vt conderet legem, Mons Sinai ferre DEI præsentiam nequivit, quin vivas flammas conciperet & arderet, tu intra viscera tua DEUM continens, qui *ignis consumens est*, montibus insensibilior eris? — *Tangit Propheta montes & fumigant*, tu occupatus to- Ps. 103.
tus *Divini amoris ab igne*; ne quidem fumum boni odoris dabis, vt ei pro tam immenso beneficio, micam saltem obligati præstes affectus? — Hæc est ingrati animi turpissima nota, nec Eucharistico miraculo (quo Cælum ipsum maius non habet) ad reponendas gratas vices velle moveri — nec Mysterio (quod Cæli arcanis al-

tius est) ad seriam considerationem tanti beneficij accendi — nec ad amorem amore (qui nonnisi amore rependi potest) pati inflammari. — O magnam nimis mentis tuæ duritiem! quam nec ignis Divinus in tuis visceribus clausus frangere — nec flamma Cælestis incendii emollire valet! &c.

Adhuc ista tolerabiliora forent si positiva ingratitudo non aggravaret scelus, sed denegare Deo quod ipsi debitũ est, & irrogare ei quod iniuria aperte constat; barbarã prorſ⁹ notat indolem! & mentis servilis infame
Ose 8. attributum! — Eheu *multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum — facta*
Malach. 1 *sunt ei aræ in delictum! dicit Dominus Exercituum ad vos ô Sacerdotes qui despicitis Nomen meum — offertis super altare meum panem pollutum — & dicitis in quo polluimus Te?* — nec attendi-
Levit. 19 tis quod *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ peribit.* — O quam ab omni te creata avulsum esse debet cor vestrum & soli DEo inhærens! — At infelices nos qui debueramus esse

vica:

Vicarij Apoſtolorum, facti ſumus ſo- cii Judæ & præambuli AntiChri- ſti damnabili temeritate — ideoq́; Calix Domini vertitur nobis in fel draconum — & panis Angelorum — in æternæ damnationis viaticũ! — Uah vah! *Pignus futuræ gloriæ* porrigitur ſed accipitur ad interitũ — *Agnus epulandus* apponitur, ſed à lu- po devoratur ſpectante Paſtore — Te- ſtamentum conditur à Parente, ſed deſignatũs hæres abſtrahitur à cru- delitate, & iniurius in Patrem mere- tur exhæreditari — Accumbit vnà Mors & vita, vno paſcuntur epulo vno potu inebriantur diſcordes con- vivæ — Petr. Bleſ. Epiſt. 124.

Mors eſt malis vita bonis —
Vide paris ſumptionis
Quàm ſit diſpar exitus! —

O quàm perditus eſt ille Myſta, qui redemptionem in perditionem, — qui ſacrificium in ſacrilegium — qui myſterium in parricidium — vi- tam convertit in mortem *judicium ſibi manducans & bibens* pro ſalute? — 1. Cor. 11

O quam inſulſus eſt commenſalis il-

2. Reg. 1. ille, cujus spiritus est velut *montes Gelboe*, super quem *nec ros nec pluvias cadit*, dum accedit ad mensam Domini! — *Sancti estote (clamat ille) quoniam ego sanctus sum D. DEUS vester*

Levit. 26. — *& ponam tabernaculum meum in medio vestri & ambulabo inter vos* — at nos heu quam male morigerati, & enormiter peccatorum lue defædati ad Thronū *immensæ Maiestatis* accedere nec erubescim⁹, nec timemus — Divina Mysteria sacrilegâ temeritate acsi DEUS sub Sacramento præsens non esset perfunctorie tractamus — Abundamus liquore omni balsamo suaviore, nec tamen fragrantiam ejus sentimus — Mel in ore, iubilum in corde portamus, iucunditatem illius minime percipimus — in abundantia maxima spiritualium divitiarum narcamus, nihilominus in tanta copia deliciarum Cœlestium, pauperrimi — in affluentia supernarum gratiarum aridi, existimus! — Oporteto rem simillimam! o prodigium omni admiratione maius! — *Certè si domum nostrā quisquam dives aut præpotens*

S. Greg. M. homil. 30. in Evang.

potens amicus intraret, omni festinantia tota domus mundaretur, ne quid fortasse esset quod oculos amici intrantis offenderet, dum DEUS *oriens ex alto visitat* cordis humani hospitium à plerisq; nil horũ præmittitur!— hinc ego in talibus *modicam fidem* & nullum salutis zelum colligo &c.

Ah reflectere quisquis talis es & vide *quantam tibi hoc Sacramentum debeat inferre reverentiam — afferre devotionem — conferre fiduciam — reverentiam pro præsentia — devotionem pro benevolentia* — fiduciam pro tam insigni *Agni immaculati & incontaminati* mansuetudine — Attende quantum te disponere debeas ad tantum ministerium Mysterii Divini, dum Regius Propheta David, ædificaturus Templum Domino in hanc quasi meditabundus, vndenam inciperet prorupit vocem: *Opus grande est neq; enim homini præparatur habitatio sed DEO* — quam dispositioné non requireret ad fructuose præparandum *Templum non manufactum vivis de lapidibus*? — ipsa naturâ adhortante quæ multo nobi;

S. Bern.

nobilius opus producit, quo magis dispositam invenit materiam! — Accede igitur posthac cautius & *terge* S.Greg.cit *sordes pravi operis qui DEO praparas domum mentis* — ne toties iniuriatus reprobet vt quondam Vdonis *oblationes tuas in tempore malo* — *Gusta* diligentius *quam suavis sit Dominus!* —
Isai 55. *& delectabitur in crassitudine anima*
Psal. 36. *tua* — *dabitq; tibi petitiones cordis tui* vt mirifice sentias gratiam per communionem in anima augeri — intellectum illustrari — voluntatem accendi — cor confortari — conscientiam exhilarari — amorem mundi in DEI amorem converti — devotionē excitari — familiaritatem cum DEO iniri — pignus Divinæ gloriæ accipi — omnes virtutes capere incrementum — insuper remissionem peccatorum obtineri — & robur contra tentationes reprimendas acquiri — Nec mirum granum enim electum est, Matth. 13 quod dum *in terram bonam cadit fructum affert trigesimum* cum incipis — *sexagesimum* cum proficis — *centesimum* cum ad perfectionem pervenis

In-

Ingredere itaq; *in locum tabernaculi admirabilis* & præsentiam Christi vivâ fide apprehende. Idem est in Eucharistia Corpus quod in Incarnatione assumptum fuit, idem sanguis qui in Cruce effusus, docente Paulo: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* idcirco quanti amoris opus est Incarnatio & Mors Christi, tanti est sui ipsius exhibitio in Eucharistia. Tantū ergo debes Christo per hanc ad te venienti, quantum totus mundus Incarnato & mortuo; quem proinde *in spiritu humilitatis & in animo contrito* adora & ad ardens desiderium fervventius ei serviendi te fortiter excita; etenim fons iste Sacramentalium gratiarum non patet nisi sitienti. *Omnes igitur sitientes venite, & qui non habetis argentum emite & comedite; venite emite absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum* æternæ consolationis *& lac* misericordiæ. Hic vnusquisq; *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*, quia *si in peccatis erit*

Pf. 61.
1. Cor. 10.
Isai. 55.
Genes. 49.
Iacob. 5.

erit remittentur ei — O *Sacramentum pietatis*? — O *signum vnitatis*? ô *vinculum charitatis*? — accedam ad Te sancto timore pavidus — reverentia præditus — charitate fervidus — fame & desiderio Tui incitatus — O Zelotypè animarum nostrarum ardentissime Christe JESU, accende cor meum amore & desiderio tui, vt dum *famelicus accedo ne recedam impastus* — O pie Pelicane qui pullos Tuos proprio cordis Tui nutris sanguine, animam meam fame ac siti spirituali laborantem refice — vt illi nihil aliud sapiat quàm Tuam carnem edere, & sanguinem Tuum bibere — *Fac vt cum frequentatione* Tui *Mysterij crescat* in me *devotionis affectus* — vt quando & quoties Tuæ Maiestati placuerit, maximè in vltimo vitæ meæ termino, ea puritate & intentione quâ Tu illud instituisti & sumi voluisti, merear ipsius sumptione contra hostiū insidias præmuniri — contra omnes adversitates confortari — in gratia Tua confirmari — & amore Tibi inseperabili vniri in æternum — *Jubest enim*

S. August. Tr. 26. in Ioan. post med.

S. August. Medit. Cap. 37.

Sap. 8.

enim Tibi cum volueris posse — Tu vero Divinissima Mater MARIA dignas DEO pro nobis refer gratiás qui in SS. Tui vteri Sacrario, Filio suo inscripsit hospitium — quo mediante à *morte secunda* massam perditam liberaret — & pane vivo pastam in Tuis visceribus igne charitatis docoćto, ad vitam reficeret, animaret, &c. Apoc. 2.

Claudes Meditationis horam iuxta dicta Cap. 8 § 3. addita hac Resolutione v. 8. *Vespere & Mane & meridie introibo in domum Tuam & adorabo ad Templum S. Tuum in timore Tuo.* Rosetum. Psal. 54. Psal. 5.

Bone Pastor Panis vere
JESV Nostri miserere
Tu nos pasce nos tuere
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Pro adminiculo Meditationis.

Motiva ad digne celebrandum & communicandum.

CONCIL. TRID. Quanta cura adhibenda sit vt sacro-sanctum Missæ sacrificium, omni religione, cultu, ac veneratione celebretur quivis facile existimare poterit qui cogitaverit *maledictum* eum in sacris literis vocari *qui facit opus* Sess. 22. in decr. de sacrif. Miss. Jer. 48.

DEI negligenter: Quodsi necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac Divinum à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illâ hostia quâ DEO Patri reconciliati sumus, in altari quotidie per Sacerdotes immolatur, satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, vt quantâ maxima fieri potest, interiori cordis munditiâ & puritate, atq; exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Sess. 13. Cap. 7. de Euch. IDEM TRID. Non absq; magna sanctitate & reverentia Cæleste hoc Sacramentum percipiendum est, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans Corpus Domini.* (1.Cor. 11.) Quâre communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptum: *Probet seipsum homo* Ecclesiastica autem consvetudo declarat, eam probationem necessariam esse vt nullus conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali Confessione ad Sac: Euchariſtiam accedere debeat.

Quem non movent præcepta Concilij ad condignius tractandum tantum Mysterium, moveant exempla, quorum vnum terribile illud Colloquium CHRISTI cum B. Brigitta in præsenti sufficiet.

Revel. Lib. 9. Cap. 47. Lib. 4. Cap. 135. Lib. 6. Cap. 9. ILle Presbyter, pro quo tu oras, cùm accedit ad Altare, tunc averto faciem meam ab eo, & adstant ad latera eius dæmones, cuius, & animam inhabitant, quia ipsa est mortua ante me.

Cum imponit sibi Superhumerare, hoc

est, amictum, dæmones obumbrant animam eius, vt non cogitet, & non intelligat, quam terribile est accedere ad Altare meum, & quam mundus esse debet, qui mihi mundissimo adstare debet.

Cùm induit se Alba, duritia cordis, & indevotione induitur, quia cogitat peccatum suum non esse grave, supplicium æternum futurum non magnũ, & quale gaudium est æternũ, nunquam venit in mentem eius.

Cùm cingit se Cingulo, tunc ligatur voluntas eius cum diabolo, ita quod velit, & proponat morari in peccato, & tunc dissolvitur charitâs mea ab eo, quia voluntas, eius est ad omne id, quod diabolus ei inspirat in mentem.

Cùm imponit sibi Manipulum, omnia opera ad DEum sibi fiunt gravia, & onerosa, terrena autem levia.

Cum imponit sibi Stolam, diabolus grave iugum imponit collo eius, & sic onerat animam eius, quod non sinit eum ingemiscere, vel considerare peccare peccatum suum

Cùm induit se Casulam, tunc perfidiâ induit eum diabolus; quando autem legit confiteor, dæmones respondent mentitus es, nos sumus testes, quod Confessio eius est similis Iudæ, quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde;

Quan-

Quando verò consecrat Corpus meum, tunc fugiunt dæmones, ab eo, & corpus eius remanet quasi truncus, quia anima eius mortua est ante oculos meos.

Cûm autem Corpus meum applicat ad os suum, ex præsumptione illa, omnis turba dæmonum revertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet.

Ecce tales Sacerdotes, non sunt mei Sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim & me vendunt quasi Iudas, & produnt. Ego conspicio Paganos, & Iudæos, sed nullos video eis deteriores. Quia ipsi Sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.

Maledictus sit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, & pascit corpus in cibum vermium, & animam in Infernum

Maledictum sit ergo omne, quod de terra ad vtilitatem suam receperunt, quia non laudant DEVM; & Creatorem suum.

Maledicti sunt à Cœlo, & Terra, & ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsæ obediunt DEO, & laudant, & illi spernunt.

Maledicta sit hora, quæ incipit eis in Inferno, & nunquam finiet.

Maledicti sint anni eorum, quibus vixerint inutiliter.

Maledictus sit visus eorum, quia non

videbunt visionem DEI in me, sed tenebras & pænas Inferni.

Maledictus sit Gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis æternis gaudium, sed amaritudinem æternam.

Maledictus sit Tactus eorum, quia non contrectabunt me, sed ignem perpetuum.

Maledictus sit Odoratus eorum, quia non odorabunt Odorem illum suavissimum in Regno meo excedendem omnia aromata; sed fœtorem in Inferno habebunt, amariorem felle, & peiorem sulphure.

Maledictum sit Corpus eorum, quod resurget, in inferno sine fine arsurum.

Propterea juro in veritate mea, quia sum Veritâs, quod si sic moriuntur, sine fine damnabuntur. Væ talibus, quod vnquam nati fuerint: ipsi enim profundiùs cadunt in infernum, quàm aliquis alius.

HEu miser Sacerdos, qui mortuus in Cœlo, vivis in inferno, atque diabolum habes in corde tuo, & ad Sanctum accedis Altare, ad profanandum Sanctuarium DEI, & illudendum Nomen Sanctum suum; ore benedicis, & corde maledicis; in Faciem Benigni Salvatoris conspuis, dum verba Sacramenti immundo ore profers

&

& Maiéstatem illam, *in quam desiderant Angeli prospicere*, & omnis curiæ Cœlestis Exercitus *incessabili voce proclamat, Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Tu impie irrides, ac blasphemas quando corde siles, & ore velut canis latrans clamas: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea* & ponis illam Sanctissimam Carnem in os tuum immundum, ex Spiritu S. in vtero Virginis immaculato conceptã eam, quæ est mundi pretium, dentibus tuis venenatis mordes, devoras & proijcis in sterquilinium animæ tuæ, quasi *in lutum platearum*. Non minus est detestabile, in os pollutũ, quam in lutum sepelire DEI Filium, Patrem tuum, Creatorem, & Redemptorem, pretiũ redemptionis nostræ. O Iudæis peior, & Juda deterior! horret Infernus & contremiscunt diaboli, cum tù temerè præsumis Corpus, & Sanguinem Christi, indignè manducare & si non morieris post sacrilegam sumptionem vt Iuda viues pro maiori supplicio, & gravi-

1\. Petr. 1.

ori

viori pœnal; & si non converraris, *thesaurizas tibi iram, in die iræ & revelationis Iusti Iudicij DEI, qui reddet* Rom. 2.
vnicuiq; secundum opera eius, & tantò Matth. 16
districtior erit in iudicio, quantò tibi ante iudicium maiorem patientiam prorogavit.

Agnosce frater charissime Sacrosanctam Regalem dignitatem tuam, *quali honore sis insignitus*, quem Virgo & Mater genuit, tu verbis concipis; & quali mensa fruaris; carne, & Sanguine Domini nostri JESU Christi pastus es: ô felix exercitium, ô Sanctitudo mánuum, ô linguá benedicta, ô pectus sacratum, ô venter beate, si hoc Man eâ puritate, mentis & corporis, qua decet recipies Corpus Christi, eris altera Maria, cuius venter fuit Paradisus Filii DEI, & Sacrarium Spiritus Sancti.

MEDITATIVNCVLÆ QVOTIDIANÆ.

Ex P. Iacobo Alvarez de Paz: Soc: Iesu *de vita religiose instituenda lib. 1. Cap. 8.*

DIE SOLIS.

Quis venit? Christus Rex cui ac Io. 12.
clamatum est: : *Benedictus qui venit* 14.

in Nomine Domini Rex Israel: cui nihil est Regem esse hominum cum sit Rex vniversorum, Rex benignus & mansuetus qui venit ad regnandum, non vt subditos expilaret, sed iustitiam edoceret, & abundantissima redemptione salvaret. Vnde scriptum est in Zacharia: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Salvator*,
Zach. 9. 9.

Ad quem venit? Ad subditum suũ decẽ milliũ talentorũ debitorem, qui nec obolum habet, vnde incipiat debitum tam ingens exolvere.
Matth. 25. 28.

Ad quid venit? Non vt miserum servum vendat, & omnia eius accipiat, & filios suos servituti subiiciat, sed vt ei pretium in immensum maius debito, corporis & Sanguinis sui ad solvendum tribuat.

DIE LUNÆ.

Quis venit? Christus Dominus, qui de seipso dixit: *vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Dominus qui ministris suis *jugum suave & onus leve* suæ legis imposuit, & pro vnius momenti obsequiis *æternum gloriæ pondus* daturus est.
Ioan. 13. 13.

Ad quem venit? Ad mancipium suum, qui plus quam millies, legis sanctissimæ vincula fregit, iugum debitæ servitutis excussit, & adversario Domini sui, nimirum peccato se subiecit.

Ad quid venit? vt hoc mancipium suum *in funiculis Adam ad se trahat & in vinculis charitatis*, ipsumq; à iugo passionum inordinatarum ereptum, in suam servitutem, feliciorem, omni imperio reducat. Osе 11.

DIE MARTIS.

Quis venit? Christus Magister, qui & Apostolis suis effatus est *vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester.* Magister non sicut illi qui *alligant onera gravia & importabilia super humeros hominum digito autem suo nolunt ea movere*, sed qui prius fecit quæ docuit, & in doctrina perfectionis vniversos homines & Angelos erudivit. Matth. 23 8.

Ad quem venit? Ad rudem discipulum qui nunquam aut serò ad audiendam doctrinam virtutum venis, & cito per animi levitatem ab auditis discedit.

Ad quid venit? vt ego imitatio-
Cant. 8. ne sequar sponsam, quæ dicit: *Ap-
prehendam* cum fide *& ducā* spe *in
domū* mentis *meæ, ibi ipse me docebit* vi-
as suas, vias iustitiæ, & ego vicissim
illi *dabo poculum ex vino* amoris *con-
dito, & mustum* ex sanctis affectibus
expressum *malorum granatorū meorum*

DIE MERCURII.

Quis venit? Christus amicus, cu-
ius tantus fuit erga homines amor,
vt ex inimicis non tantum servos
faceret, quos *sanguinis pretio redemit*,
sed in dignitatem amicissimorum e-
Eccli 6. veheret. *Amicus fidelis cui nulla est
14. comparatio, & non est digna pondera-
tio auri, & argenti contra bonitatem fi-
dei illius*, qui à nobis desertus nun-
quam nos deserit, & irritatus iniqui-
tatibus nostris, nunquam nos con-
temptui habet.

Ad quem venit? Ad eum qui to-
ties eius amicitiā contempsit, eius gra-
tiæ peccatum prætulit, eius familia-
ritatem pro vanissimis colloquiis ho-
minum commutavit.

Ad quid venit? vt sit *amicus fi-
delis*

delis, protectio fortis, vt dum *invenio illum inveniam theſaurum*, vt ſuam in me amicitiam augeat, & intimius me ſibi per amorem vniat. Eccli. 6. 14.

DIE JOVIS.

Quis venit? Chriſtus Frater, qui cum ſit verus DEUS & Dominus hominum *non confunditur eos fratres vocare dicens: Narrabo Nomen tuum fratribus meis.* Frater primogenitus, cuius cum tota eſſet hæreditas, ad eius poſſeſſionem libentiſſime alios à Patre adoptatos, admittit. Hebr. 2. 11: Pſ. 21. 23.

Ad quem venit? Ad me Fratrem ipſius Fratricidam qui ceu alter Cain, Abel iuſtum in agro huius mundi peccatis occidi, & cum quaſi temulentum amore, & non vino, acerbiſſima nece mulctavi. Geneſ. 4. 8.

Ad quid venit? vt me Fratrem à quo occiſus eſt, in vita ſpirituali quã dederat antea, conſervet, & non profugum ac vagum ſuper terram eſſe dimittat.

DIE VENERIS.

Quis venit? Chriſtus Pater, qui dictus eſt *Pater futuri ſæculi & quaſi Pa*

ter habitantibus in Ierusalem & domui Iudæ quoniam omnes filios Ecclesiæ
a Ioan: 2 *verbo veritatis genuit* & esse Divinum suo simile per gratiam tribuit. Pater qui tenerrime nos amat, nosq; *filio-*
Gal 4. 19 *los* vocat, *quos iterum* atq; iterum *parturit, donec ipse formetur in nobis.*

Ad quem venit? Ad me *filium pro-*
Luc. 15. 22. *digum* qui dissipavi substantiam meam, & consumpsi ætatem meam, si non vivendo luxuriose, at vivendo inaniter & inutiliter.

Luc. 15. *Ad quid venit?* vt induat me *stolam primam* & amictu gratiæ circumdet; vt det *annulum* donorum Cælestium, signum dignitatis in manum meam; vt *calceis* auxiliorum suorum protegat pedes, id est affectus meos; vt satiet me *vitulo saginato* corpore & sanguine suo, *à fratre maiore* & a superbis defendat, semperq; in domo gloriæ suæ, hæreditatis æternæ possessorem efficiat.

SABBATHO.

Quis tandem venit? Christus sponsus qui ad animam sibi dilectam di-
Osee 2. 19. &c. cit illud Oseæ: *Sponsabo te mihi in sem-*

pitero

piternum & sponsabo te mihi in iustitia & judicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Sponsat ipse sibi animam *in sempiternum* quia nunquam vult ab eius connubio recedere; sponsat *in iustitia*, dum per gratiam iustificat, sponsat *in iudicio* dum ab adversariis liberat; *in misericordia & miserationibus* dum donis Cælestibus ditat, & *in fide* quia non per opera sua, sed per fidem in Christum, & per gratiam in tantam dignitatem admissa est.

Ad quem venit? Ad animam meam cui bene convenit, illa increpatio: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.* Collis sublimis, occasio superbiendi, lignum frondosum incitamentum rebus creatis adhærendi, in his semper cecidi, & me superbiæ & impuro amori prostravi. Ier. 2. 20.

Ad quid venit? vt ad eum compuncta anima revertatur, & iterum benignissime in lectum dulcissimæ familiaritatis admittatur, ait enim:

Ier. 3. 1. *Tu autem fornicata es, cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

REFLEXIO QVOTIDIANA

Ante sumptionem SS. Eucharistiæ.

MIrantur bone IESU creaturæ omnes Te in purissimum MARIÆ Matris Tuæ vterum descendisse, cum tamen illa integerrima & omni virtute & gratia refertissima fuerit: an non mirari magis debeam dum à me recipi, ad me ingredi, & in me manere non dedignaris, qui *vas sterquilinij, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, cæcus, pauper, nudus sum?* Quid Tibi Domine JESU vt venias ad me atq; sic Te mihi communices? Quis enim Tu? & quis sum ego? Tu es *magnus Dominus & laudabilis nimis*, Conditor Cœli & terræ, *Deus Deorum, Rex Regum*; ego autem sum *abyssus tenebrosa, terra misera & maledicta, filius iræ vas ignominiæ*, conceptus in iniquitate natus *in miseria, moriturus in angustia.* Tu es summa Bonitas, summa dulcedo, Pulchritudo summa

S. August. soliloq. Cap. 2.

Ps. 49.

Apoc. 19

S. August. cit.

Tu es gloria Sanctorum, Thesaurus gratiarum, Fons vitæ, lux mundi, ego sum puteus sordium, Fons peccatorum, pelagus vanarum cupiditatum, plenus malorum, bonorum vacuus, vnum nihil, & ratione peccati minus quam Nihil. Tune Domine in me manere & inter vasa Electorum Tuorum collocare me vis? qui vas fui hactenus immundum & sordidum?

Et quamvis singulari Tuâ gratiâ (quod immotâ fide credo, & firmâ spe teneo) ablutus fuerim? numquid tamen vas olim ad excipiendos vomitus destinatum, nullam, vel solâ recordatione nauseam movebit? Cur ergo ad me properas? cur mortem minaris nisi Te accepero? An nescis, quis, qualis, & quantus sim ego? vt desiderio manendi apud me tenearis? Num vilissimam originem meam ignoras? Non sum ex numero Cœlestium illarum Legionum, non sum Seraphim, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis Spiritibus; homo

mo sum qui ante nihil fui ex terræ limo ducens exordium. *Putredo Pater meus est, Mater mea & Soror meæ vermes.* Quid igitur reperis in me quod te tantopere delectet & sub tectum cordis mei invitet? vnde mihi tanta misericordia vt Tu Angelorum delicium ad me venire non dedigneris? O Pater, ô Pastor, ô Domine, ô DEUS meus, & omne Bonum meum, cui non satis fuit me ad Tuam similitudinem creasse, Tuoq; Sanguine redemisse me, sed voluisti insuper venire ad me, & in me quiescere, voluisti me in Te transformare, & facere me Tecum unum. Vnde hæc mihi Domine mi? an quia opera mea promeruerunt? an quia Tu bonorum meorum eges? Nequaquam Domine, sed sola Bonitas & clementia Tua Te movent, vt Tu delecteris magis habitare mecum, quam ego Tecum.

Iob. 17.

Fortasse ô speciosissime hominum *desiderio desideras hoc Pascha mãducare mecum*, quia *deliciæ Tibi sunt esse cum filijs hominum*? verum non sum

Luc. 22.

Prov. 8.

sum ego de numero Electorum Tuorum, non Moyses, non Abraham, non Jacob; longe absum à sanctitate Ioannis, à puritate Mariæ Virginis, a charitate Apostolorum, à Sanctorum Tuorum perfectione. *Peccator sum* Tua præsentia indignus qui Te pro fæda voluptate & temporali lucro, toties vendidi, nunc cum Juda Proditore deosculabor? Si S. Ioannes Baptista qui *inter natos mulierum nullus major*, non se putat dignum vt Te tangat, aut solvat corrigiam calceamenti Tui? Si S. Petrus *Princeps Apostolorum* venerabundus exclamat: *Exi à me Domine quia homo* peccator sum? Si Centurio ne eum visites favori renuntiat? *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum* &c. Si Propositionis panibus non licuit vesci nisi mundis & Sanctis? Quomodo ego ab omni sanctitate alienus & *inutilis servus*, cuius principium, peccatum, finis vero *peccati, stipendium mors*, audebo Te non dicam tangere, sed in me suscipere & mãducare. Matth. 11 Luc. 5 Matth. 8 Rom. 6.

O fios

Cant. 2. *O flos campi! ô lilium convallium! ô Panis Angelorum!* quomodo qui pasceris inter lilia, pascuæ locum apud me *inter spinas & tribules* invenies?

Si Oza Sacerdos tantum quod
2.Reg.6. Arcam Testamenti attigisset nōn eâ quâ debuit reverentiâ & puritate, repentina morte a Deo punitus est? Si Bethsamitarum 50, millia, occi-
1.Reg. 6. sa sunt quod curiose & irreverenter eandem Arcam aspexissent? ego non exhorrescam qui non Arcam, tango, non Manna in ea inclusum manduco; sed Angelorum Dominum imprudentissime tracto? Si me toto vitæ tempore ad semel Te digne suscipiendum Angelica præparatione disponerem, necdum tantis dignus essem mysteriis, nunc quomodo imparatus & tepidus accedā?
Th.Kemp. *Ecce Noe vir iustus in Arca fabricā*
Lib. 4. *100. annos laboravit vt cum paucis*
Cap. 1. *salvaretur, & ego quomodo me potero*
de imit. *vna hora præparare vt mundi fabricatorem*
Christi. *cum reverentia sumam? Moyses famulus Tuus magnus & specialis amicus Tuus, Arcam ex lignis imputribilibus*

bilibus fecit quam & mundissimo vestivit auro, vt tabulas legis in ea reponeret, & ego putrida creatura audebo Te Conditorem Legis ac vitæ datorem tam facile suscipere? Salomon sapientissimus Regum Israel, Templum magnificum 7ptem annis in laudem Nominis Tui ædificavit, & octo diebus Festum Dedicationis eius celebravit, mille bestias pacificas obtulit, & Arcam Fæderis in clangore buccinæ & iubilo in locum sibi præparatum solenniter collocavit, & ego infelix & pauperrimus hominum, quomodo Te in domum meam introducam, qui vix mediam expedire devote novi horam? & vtinam vel semel dignè ferè mediam! O DEUS meus dulcissime sponse animæ meæ itane perfunctorie ad Te accedam? egone *pollutus labijs* Te manducabo? *Quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* vbi est in me novum illud sepulchrum, quod Sacratissimum Corpus Tuum de Cruce depositum suscepit? vbi linteamina munda quibus involutus eras, si nulla mei pars sordi-

Exod. 35.
3. Reg. 6.
3. Reg. 8.
2. Cor. 6

Th. à Kẽp Lib. 4. Cap 4. de imit. Christi.

sordibus est vacua! Equidem *Domine cum Tuam dignitatem & meam vilitatem penso valde contremisco & in meipso confundor, si enim non accedo vitam fugio, & si indigne me gessero offensam incurro.* Vereor à Te elongari si dimitto, vereor iudicium assumere si accedo. Attrahor per gratiam retrahor per culpam. Video Domine meam iniquitatem & timeo: considero Tuam immensam pietatem & spero. Impedit me plus carnis meæ fragilitas, quam tanti Mysterij delectat charitas. Et quali fiducia ego miserrimus ad hoc accedere audeo, qui vitiis pollutus gravissime sordeo? Aut quomodo cum sim vermis & cinis, audebo participare de mysteriis tantæ dignitatis.

Nihilominus memor illius infinitæ Bonitatis & Misericordiæ quâ motus non despexisti latronem in Cruce confitentem, & indulgentiam petentem, quibus cumulasti eos qui Te aliquando in domũ suam receperunt: MARIAM Matrem Tuam

am vbi in vterum Te suum accepit omnibus donis & gratiis complevisti; Zachæũ illum Publicanorum Principem, quod te exceperit hospitio, Cælesti benedictione cumulasti; Simul atq; obitâ pro nobis morte ad infernum descendisti, illum in Paradisum quendam commutasti, Domum Obededom in qua Arca Testamenti huius SS. Sacramenti ymbra tantum, & figura reposita fuit, omni benedictione locupletasti; Da quoq; ad Tuum ingressum Domui meæ omnem benedictionem, eam quæso in Paradisum converte, eam donis Tuis & gratiis cumula. Licet enim o JESU suavissime me absterreat iustissimus timor quem mea scelera ingenerant, allicit tamen & invitat infinita Tua pietas & amor; nam pro pauperibus thesaurus iste apertus est, pro indigentibus collatum est hoc auxilium, pro famelicis cibus iste datus est, pro infirmis composita est hæc medicina, ipse dixisti: *Non est opus medico sanis sed male habentibus.* Matth. 9

Luc. 19.

2. Reg. 6

Non

Luc. 5. *Non venis vocare iustos sed peccatores.*

Verum quidem est panem hunc Panem esse Angelorum sed etiam est Panis Pænitentium; est quidem cibus sanorum sed & medicina quoque est male habentium, est Convivium Regale sed & refectio laborantium, nutrimentum quidem est robustorum, sed etiam est esca infantium; ita vt hoc Sacramentum sit, *omnibus omnia?* hinc & ego in hac Angelica mensa si infirmus sum confido me sanandum; si debilis? confortandum; si vivus? magis vivificandum; si mortuus? ad vitam revocandum; si tepidus? accendendũ; si ardens? inflammandum; si cæcus? illuminandum; si elisus? erigendum si nudus? vestiendũ; si sordidus? fonte sanctitatis abluendum; si pauper? ditandum, & quò miserior ego sum, eo misericordiâ tuâ maiore irrorandum, me spero. Veni ergo veni DEUS meus & visita habitationem meam, propitiare mihi dulcis Redemptor mi, tene me Tua manu vnica spes mea, amplectere me Tua

ame-

amore, & ne sinas me aberrare à Te fortitudo & salus mea! O fons dulcedinis, cibus animæ meæ *lumen oculorum meorum*, illumina cæcũ hunc vestibus indue nudatu hunc, & hunc servum tot tyrannorum quot peccatorum de servitute Babylonica misericorditer libera. Fac ut cibus hic (ad quem me quotidie admittere dignaris) sit mihi salutaris & vtilis. Conferat robur tale, quale olim contulit Eliæ panis ille subcinericius, vt in fortitudine cibi illius ambulem, & sine periculo perveniam ad montem Tuæ gloriæ, ibiq́, Cælesti & perenni Tuo fruar convivio, quod Tu Domine cum omnibus Sanctis Tuis, sine fine celebras, in abundantia Tuæ suavitatis, & in multitudine gloriosissimarum dulcissimarumq́; dapum Tuarum, quæ fastidium pariunt nullum per sæcula.

Tob. 10.

1. Reg. 19.

PRAXIS XI.

CÆLI VOLUPTAS indeficiens.

Isai. 33. *QVi ambulat in iustitia & loquitur veritatem &c. iste in excelso habitabit &c, Regem in decore suo videbũt oculi eius, cernens terrã de longe. Videbunt Ierusalem habitationem opulentam, habitaculum quod nuquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia solummodo ibi magnificans est Dominus noster.*

Præparatio præmittatur ex dictis de Fine vlt. præsertim ex Cap 8. §. 1. cum pausa in lineolis.

Apoc. 21. *Prælud.* I. Imaginare *Ciuitatem S. Ierusalem* (Cælum Empyreum) in loco amænissimo structuris & machinis admirabilem, gente Ciui & Nobili repletam, omni deliciarum & diuitiarum genere florentissimam, amplitudine adeo spatiosam vt vniuersim Mathematici & Astronomi magnitudinem eius milliaribus 103140-85710. definiant, latitudinem verò 36000000 milliaribus metiantur.

Prælud. II. Roga DEUM vt te faciat cognoscere diuitias gloriæ suæ in Cœlesti Patria, & ad eas pleno corde anhelare.

CON-

CONSIDERA I. Cælestem Patriam esse statum felicissimum, esse locum deliciarum omni bonorum aggregatione perfectissimum — Omnes quippe Animæ beatæ, potentiæ, omnes interiores & exteriores sensus, omnia deniq; corporis gloriosi membra, suis singula voluptatibus demulcebuntur — (sicut singula, damnatorum, peculiaribus pænis torquebuntur] & itá anima beata tota iucunda, tota fælix, tota festiva, vix frui DEO incipit, præ abundantia lætitiæ *intrat in gaudium Domini sui* — *Tunc videbis & affluēs & mirabitur & dilatabitur cor tuum* cernens tot Angelorum & Electorum selectissimos ordines *quorum, non est numerus — ex omnibus Gentibus & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante Thronum, amictos stolis albis, & palmas in manibus eorum* — *Tunc videbitis* tot magnifica Palatia — tot nobilissimas structuras — tot obiecta diversissima venustatem & amænitatem illius supernæ Civitatis imagis exornantia —

Isai. 60.

Apoc. 7.

Sebast. Barrad. tom. 1. Comment. in concord. Evang. Lib. 10. Cap. 3. B. Anselm.

Lib. simi-litud. Cap. 44. sot. in 4. dist. 49. qu. 4. a. 7. Caiet. p. 3 qu. 57. a. 5.
Ipsa Civitas aurum mundum simile vitro mundo — cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur — cuius artificium *super omnia opera* DEI — cuius *Mansiones hinc margaritis emicant, hinc patent cunctis ostia* — *Et fundamenta Muri Civitatis omni lapide pretioso ornata* — *Et 12. portæ, 12. margaritæ per singulas* — *& singulæ portæ ex singulis margaritis* — *& platea Civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum!* — *Quapropter nox ibi nulla* — *nullæ tenebræ* — *concursus nubium nullus* — *nec frigoris, ardorisve asperitas ulla* — *sed talis erit rerum temperies* tam suavis temporum varietas — iucunditas veris — claritas æstatis — abundantia Autumni — & hyemis placida quies — *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* — *nisi illorum qui eâ perfrui digni inveniuntur, quorum Nomina scripta sunt in libro vitæ.*

Apoc: 21

S. August. Manual. Cap. 17.

1. Cor. 2.

Ad hæc gloriosorum corporum *Immortalitas* o quantam tibi dabit satisfactionem! — augebit venustatem *Subtilitas* — hilaritati subservi-

et

et *Agilitas* — formæ vltimam lineam appinget *Claritas* — *O quæ tunc erit Iustorum gloria?* — *quàm grandis Sanctorum lætitia cum vnaquæq; facies fulgebit sicut sol* — *Qualis putas tunc erit splendor animarum quando solis splendorem habebit lux corporum?* — qualis pulchritudo beatorũ corporum si tantopere æstimatur forma mortalium? — vnius siquidem Absalonis quanquam leuissimi *capilli Capitis, ducentis siclis, pondere publico* appretiabantur — vnius Helenæ *fallax gratia & vana pulchritudo* veterum monumentis digna decennali bello celebrabatur — quid tu de infinitorum corporum decore & gloria in illa Cælitum arce non concludes? — respectiue ad quæ non minus pulchritudo Absalonis deformis redditur, ac Samsonis fortitudo imbecillitas reputatur, Salomonis sapientia fatuitas creditur, & *Regum terræ* opulentia non secus ac miserorum mendicitas æstimatur — In Cœlo nemo non decorus *aspectu* nemo non formosus

S. Aug. cit. Cap. 25.

S. Bern. Cap. 6. de interior. dom.

2. Reg. 14

Prov. 31.

omnes illic Narcissi & Adonides omnes Helenæ & Lucretiæ Imo in Cœlo beatorum hominum forma, adeo elegans est, vt sicut capularis tussiens anus, ad Helenam, sic Helenæ omnes ad Beatorum infimũ, conferri ne vtiquã possunt O *quam gloriosa dicta sunt de te Ci*-

S.Aug.cit Cap. 17. *vitas DEI! sicut lætantium omnium habitatio est in te— fundaris enim exultatione vniversa terræ — non est in te senectus, nec senectutis miseria non est in te mancus nec claudus nec gibbosus nec deformis — dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis CHRISTI* Abscedite iam abscedite; ite procul bestuariæ larvæ, vestra omnis elegantia sordet cum formas Cœlitum aspicio — Æsopos odi cum Democles & spurinas conspicio — cadavera nou amplector cum meis se brachiis infundunt Angeli venustissimi &c.

Tantùm autem Orpheorum mille Musica & *Angelorum canentium*

Apoc, 14. (*sicut Cytharædorum cytharisantium in*

in cytharis suis) dulcisona cantica permulcebunt auditum, vt si tibi sint 100. aures, imo si totus, sis auris, & perdius & per noctem hos Cantores audires, non satiareris audiendo; nec cibus nec somnus ab hoc aurium melle te avelleret. *O quæ cantica! quæ organa! quæ cantilenæ! quæ melodiæ decantantur ibi sine fine! sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira à supernis Civibus decantantur. Felix ego & vere in perpetuum, si post resolutionem huius corpusculi audire meruero illa cantica Cælestis melodiæ! Fortunatus ego nimiumq́ beatus si & ego ipse meruero cantare ea & assistere Regi meo, DEO meo & cernere eum in gloria, sua* vbi nil nisi *vox exultationis & salutis* obauditur. &c.

S. Aug. cit. Cap. 6.

Idem Medit. C. 25.

Psal. 117

Ad hæc oblectamenta aurium, Odoratûs & id genus alia delinimenta accedent; quando nimirum Nares suavissimorum odorũ recreabit campus; *Sancti* quippe *florebunt sicut*

ſicut lilium & ſicut odor balſami erunt ante DEUM — dum oculos ſpatio-
deliciarũ ſiſſimum inundabit mare — dum exquiſitiſſimi ſaporis nectar & ambroſia fauces adimplebit — dum omnia corporis membra beabit ſanitas perquàm jucundiſſima — dum amicorũ ſocietas & colloquia ſuaviſſima perſonabunt — in ſumma dum tota Cælorum voluptas affluet tibi — Tunc
Deut. 26. *epulaberis in omnibus bonis quæ* D. *DEUS dederit tibi* — tunc *replebe-*
Pſal. 64. *ris in bonis domus* ſuæ *& erit tibi*
Luc. 1. *gaudium & exultatio* — tunc *ſatia-*
Pſal. 15. *beris cum apparuerit gloria* ſua —
Pſ. 35. & *inebriaberis ab vbertate domus* ſuæ dum *torrente voluptatis potaberis* &c.

Ubi hanc voluptatis ideam conſtruxeris, vbi collegeris quidquid vnquam tuis ſe oculis pulchrum, auribus ſuave, palato dulce, cæteris ſenſibus gratum ſe obiecerit — his omnibus maiora crede *quæ præ-*
1. Cor. 2. *paravit* DEUS *diligentibus ſe* — Finge tibi quos potes aureos montes — imaginare quos voles nectareos fontes — fac tibi videre Cræſi di-

vitias

vitias — Epulonis delicias — Assue- Luc. 16.
ri convivia — Neroniana Palatia — Ester. 1.
adamantinas frondes — colles cry-
stallinos &c. — Fac tibi sentire
plena ballamo flumina — repleta
unguento nardi pistici pretiosi cum o- Ioan. 12.
mnibus unguentis primis Myropolia Cant. 4.
— & quidquid excogitare poteris
oblectans, hæc omnia nihil sunt
ad Cœlestis Patriæ magnificentiam,
ornamentum, & opulentiam — atte-
stante Augustino: *Quod DEVS* S. August.
præparavit diligentibus se, fide non ca- serm. 44.
pitur — spe non attingitur — charita- de Sanct.
te non apprehenditur — desideria &
vota transgreditur — Acquiri potest æ-
stimari non potest — Si delectat pul-
chritudo? fulgebunt Iusti sicut sol — S. August.
si velocitas, aut fortitudo, aut libertas Manual.
corporis, cui nihil obsistere poterit? erũt Cap. 14.
similes angelis DEI — quia seminatur
corpus animale surget corpus spirituale
potestate utiq; non natura — Si longa
aut salubris vita? ibi erit sana æter-
nitas & æterna sanitas — quia iusti
in perpetuum vivent & salus iustorum
à Domino — Si satietas? satiabuntur

cum apparuerit gloria Domini — Si ebrietas? inebriabuntur ab vbertate Domus DEI — Si melodia? ibi Angeli concinent sine fine DEO — Si qualibet non immunda, sed munda voluptas? torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus — Si Sapientia? ipsa DEI Sapientia ostendet eis seipsam sapientiam — Si amicitia? diligent DEUM plusquam seipsos — & invicem tanquam seipsos — & DEVS illos plusquam illi seipsos — quia illi illum, & se invicem per illum, & ille se, & illos per se ipsum — Si concordia? omnibus illis erit vna voluntas — quia nulla illis erit nisi DEI summa voluntas — Si potestas? omnipotentes erunt suæ voluntatis, vt DEVS suæ — nam sicut DEVS poterit quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum — quia sicut illi non aliud volent quam ille volet, ita ille volet quidquid illi volent — & quod illi volent non poterit non esse — Si honor & divitiæ? DEVS servos suos bonos & fideles supra multa bona constituet — imo filij DEI & Dij vocabuntur —

&

& erunt hæredes quidem DEI cohære-des autem Christi — Si vero securitas certa? ita certi erunt, nunquam vlla-tenus illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros — nec dilectorem DEVM il-lud dilectoribus suis invitis ablaturum — nec aliquid DEO potentius DEVM & illos separaturum — Gaudium vero quale quantumve est? vbi tale ac tan-tum bonum est — Et quámdiu hæc? quamdiu æternum — æternũ quam-diu? quamdiu DEUS — quamdiu DEUS? sine fine. &c.

O vita vitalis! vita sempiterna! & sempiternè beata — vbi gaudium sine mærore — requies sine labore — opes sine amissione — sanitas sine lan-guore — abundantia sine defectione — vita sine morte — perpetuitas sine cor-ruptione — beatitudo sine calamitate — vbi libertas sine servitute — pul-chritudo sine turpitudine — quies sine perturbatione — securitas sine timore — cognitio sine errore — saturitas sine fastidio — gaudium si-ne tristitia — &. sine contradictio-ne S. August. Manual. Cap. 7.

S.Greg. in fin. de ex. pos. Pœnitent. ne honor — *ubi est dies æternus & unus omnium spiritus — ubi est certa securitas — & secura æternitas — & æterna tranquillitas — & tranquilla felicitas — & felix suavitas — & suavis jucunditas* — S. Bern. Cap. 7. de interior. dom. *Non suggerit ibi malitia — nec carnis miseria — nulla est ibi ægritudo — nulla omnino necessitas — non est ibi fames — non sitis — non frigus — non æstas — non lassitudo jejunij — nec ulla tentatio inimici — nec peccandi voluntas — nec delinquendi facultas — sed totum lætitia, totum exultatio possidet — Ibi erit jucunditas infinita — beatitudo sempiterna, in qua qui semel suscipitur semper tenetur — Ibi est requies à laboribus — pax ab hostibus — amœnitas de novitate — securitas de æternitate — suavitas atq; dulcedo de DEI. visione* — verbo: In Cœlo corpus sine dolore — animus sine mærore — Petr. Bles. Cap. 110. ' O quantæ & quam inæstimabiles deliciæ, quas nulla pœnitudo sequitur — nullus finis abrumpit — nulla solicitudo conturbat — nulla suspicio comitatur — O quanta *præparavit Dn-* 1. Cor. 2.

us

vs his qui diligunt illum! — O quam suavis est Dominus illis qui serviunt ei — Quam bonus Israel his qui recto sunt corde? — Et quis non illic habitare vehementer desideret, & propter pacem — & propter amœnitatem — & propter DEI visionem &c. Psal. 72. S. Aug. cit

Quam dilecta tabernacula Tua Domine virtutum concupiscit & deficit anima mea in atria Dni! — iamque illic cupit assistere vbi se sperat sine fine gaudere — Beatus quem elegisti & assumpsisti inhabitabit in atrijs Tuis — Beati qui habitant in domo Tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt Te — tota (æternitatis) die diem festum agent Tibi — Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis — exaltationes DEI in gutture eorum — Iusti autem in perpetuum vivent & apud Dominum est merces eorum — & cogitatio eorum apud Altissimum — ideo capient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini — quoniam dextrâ sua teget eos — & brachio sancto suo defendet eos — O superna Civitatis mansio beatissima! ô dies æterni- Pf. 83. S. Greg. hom. 37 in Evang Psal. 64 Pf. 75. Pf. 83. Pf. 149 Sap. 5. Th. à Kēp. lib. 3. Cap 48. de Imit. Chr.

ternitatis clarissima! quàm *nox non obscurat sed summa veritas semper irradiat* — *dies semper læta semper secura, & nunquam statum mutans in contraria,* — quando *in lumine tuo videbo Lumen?* O gaudium super gaudium vincens omne gaudium, quando intrabo in te vt videam DEUM Deorum in te? — quando inclinabitur vmbra mortalitatis & *dies æternitatis* aspirabit? — O *vtinā dies illa illuxisset & cuncta hæc temporalia finem accepissent* quàm lætus bearer nunc Divinâ præsentiâ — quàm fælix lætarer de possessione tua! — *O Regnum felicissimum! Regnum carens morte & vacans fine, cui nulla succedunt tempora per ævum* — *vbi continuus sine nube dies, nescit habere tempus* — *vbi victor miles post laborem donis ineffabilibus coronatur, nobile perpetuo Caput amplectente corona* — *vtinam remissa peccatorū mole, me vltimum servorum Christi, iuberet Divina pietas hanc carnis sarcinam deponere, vt in suæ Civitatis gaudia æterna repausaudus transirem* — *sanctissi-*

S. August. Manual. Cap. 18.

ctissimis supernorûm choris interessem — cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem — præsentem DEI vultum cernerem — nullo mortis metu tangerer — de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem — & scienti omnia conjunctus, omnem ignorantiæ cæcitatem amitterem — terrena cuncta vilipenderem — convallem lachrymarum istam intueri vel reminisci ulterius non dignarer — ubi vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita Domina malorum, ancilla infernorum. &c.

CONSIDERA II. Extra omne dubium est, Beatitudinis æternæ delicias esse imperceptibiles — ineffabiles — interminabiles &c. — ut *fons eloquentiæ* & sensus altissimi *AUGUSTINUS* exclamare cogatur: *Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ, illud decus — illa gloria — illa celsitudo* — multo tamen magis excedit ipsas Cœli delicias visio beatifica, hoc est Intuitio *facie ad faciem* ipsiusmet DEI ut

Paulin. Aquileien.

S. August. serm. 44. de Sanct.

— vt ex mente Bernardi Cœlum sine illa desertum esset — & cum illa infernus Paradisus foret — O quantum gaudium! quantum delicium erit videre *vultum DEI, in quem*
1. Petr. 1. *desiderant Angeli prospicere!* — *Ecce*
Th. á Këp. *mira & ineffabilia quæ non licet homi-*
soliloqu. *ni loqui* stupet Kemp: *Sensus non ca-*
Cap. 21. *pit, intellectus non attingit humanus, quàm gloriosus sit DEVS in Sanctis suis — quam admirabilis in Maiestate sua* — *Extende cogitatum tuum vsq; in altissima magnalia* — *dilata desiderium in perpetuas æternitates & dic*
Ps. 66. *cum Propheta: Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI!* — *Ibi quidquid desideratur habetur* — *& quidquid habetur securè possidetur* — *Ibi videtur DEVS facie ad faciem clarè & sine ænigmate, non raptim, non horarie, sed sine fine, limpide* — O inenarra-
S. August. bilis lætitia! *O felix iucunditas! ô*
Manual. *iucunda felicitas! Sanctos videre* —
Cap. 16. *cum Sanctis esse* — *& esse Sanctum* — *DEVM videre & DEVM habere in æternum.* &c.

Si quispiam Sanctorum *in clarie*
tate

tate vultus sui mundo appareret, omnium mortalium oculos & animos converteret in se — quid putas de DEO, qui etiam Angelis (quibus nil magnum in oculis extra DEUM) adeò desiderabilis est — *Si desideratus cunctis Gentibus* (Christum intelligo) tanto corruscat splendore — tam eleganti præeminet specie — tantopere *fulget in gloria* — vt dicat Augustinus: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare vt Christum in gloria sua videre possimus — & Sanctis eius sociari — nonne dignum esset pati quod triste est vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur* — quid non diceret de ipso DEO præcisa nube humanitatis nostræ? — cuius inæstimabilis decor vniversim omnes Beatos in admirationem sui rapit magis quam te, quidquid in oculis pulchrum — quidquid in mente delectabile — quidquid cordi charum & amabile habere potuisses — Hic est omnium desideriorũ nostrorum

Agg. 2.

S. August. de lib. arb. Cap. 3.

scopus & finis vltimus; DEUM sine fine videre ¬ sine fastidio amare – & sine fatigatione laudare – Hæc est essentialis Sanctorum gloria – hoc vniversale præmium – cætera omnia accidens est – *O vi-*

S. August. Medit. Cap. 22.

ta vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla &c. – vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima – vbi non est adversarius impugnans – vbi nulla peccati illecebra – vbi est amor perfectus – & timor nullus – vbi dies æternus & vnus omnium Spiritus – vbi DEUS de facie ad faciem cernitur – & hoc vitæ cibo mens sine defectu saciatur – Libet me tuæ intendere claritati – delectat me in te oculos cordis extollere – statum mentis erigere – affectum animi conformare ¬ Libet sane de te loqui – de te audire – de te scribere – de te conferre ¬ de tua beatitudine & gloria quotidie legere – & lecta sæpius sub corde revolvere – vt vel sic possim ab huius mortalis perituræq́ vitæ ardoribus, periculis, & sudoribus sub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio transire – & transiens

in

in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum declinare &c.

O quàm magnum *&* *quàm iucundum* erit videre pulchritudinem illius Civitatis beatæ! magnificentiam ædificiorum — divitias Cælestis Palatij — & commune illius Patriæ gaudium — quid de *gloria* *&* *honore* Civium illius? — quid de Maiestate, decore & vultu beante, Conditoris horum omnium, dicam? — ita vt DEUS sit illic futurus vniversale bonum omnium Sanctorum — perfecta felicitas — satietas desideriorum ipsorum — Illic DEUS est speculum oculis Beatorum — Musica auribus — nectar & ambrosia palato — & odoriferū balsamum naribus ipsorum — Si tam celebre spectaculum fuit videre & audire Regem Salomonem vt Regina Sabba in illas voces prorumperet: *Beati viri Tui & beati servi Tui qui assistunt coram Te omni tempore, & audiunt sapientiam Tuam* — *Major est sapientia & opera Tua quam rumor quem audivi* — quid erit intueri bo- 2.Paralip. 9.

num illud vniversale in quo omnia bona reperiuntur? mundum illum maiorem in quo omnes mundi continentur? illum deniq; qui cum sit vnus, est omnia simul, & cum simplicissimus sit, omnes perfectiones complectitur. &c.

Th.Kemp. Soliloqu. Cap. 21. *Eia iam nunc anima mea assumptis desideriorum pennis perge sursum avola à corporeis sensibus transmigra a visibilibus mundi figuris ad habitaculum S. DEI ad Ierusalem novam perpetuâ pace stabilitam gloriâ & honore coronatam & omnium bonorum aggregatione perfectam ubi species & visio de facie ad faciem* S. August. Manual. Cap. 7. *ubi summa DEI bonitas cernitur & Lumen illuminans à Sanctis glorificatur ubi præsens Majestas DEI conspicitur, & hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentium satiatur vident semper & videre desiderant sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur ubi verus sol justitiæ mira sua pulchritudinis visione omnes reficit & ita universos Cælestis Patriæ Cives illuminat, ut luceant ipsi & fulgeant*

geant vt stellæ in perpetuas æternitates. Ecce quam bonum consociari choris Angelorum & Archangelorum, atq; omnium Cælestium virtutum intueri Patriarchas & Prophetas videre Apostolos atq; omnes Sanctos videre etiam Parentes nostros &c. & cum illis collætari æternaliter. Quod si tam grandis gloria reputabitur de supernorum Civium societate gaudere? quid erit frui consortio & præsentia illius quem laudant stellæ matutinæ? cuius pulchritudinem sol & luna mirantur ante cuius conspectum Angeli curuant genua ante thronum cuius Patrum Senatus coronas suas sternunt videmus nunc, sed per speculum & in ænigmate tunc autem facie ad faciem Tunc similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est videbimus eius Maiestatis essentiam & in Essentia sapientiam cum cæteris perfectionibus eius & vnusquisq; tanto perspicatius quo hic vixerit purius Hinc Augustinus: Vis esse beatus? esto immaculatus illud enim omnes, hoc pauci

Idem ibid Cap. 17.

Apoc. 4

1. Cor. 13

1. Io. 3.

Hugo à S. Vict.

S. Aug. sub Psal.

ci volunt sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt &c.

Th. à Kem. soliloqu. Cap. 10. O Rex Cœli summe amabilis! ô dilecte mi pulcherrime totus desiderabilis! quando adimplebis me lætitia cum vultu Tuo? quando satiabis omne desiderium meum fonte perenni?

Psal. 15. Ps. 4. quando veniam & apparebo ante faciem Tuam? O D. DEUS salutare

Th. à Kem. cit. C. 26. vultus mei & DEUS meus, quando lætificabis me in Regno Tuo clarissimo vultu Tuo? O quando illuminabis omnes tenebras meas splendore lucis æternæ? quando auferes omnia obstacula mea de intimo cordis mei, pax vera, beatitudo summa, & felicitas perfecta? O quando sine omni impedimento contrariorum sequar Te securè & liberè quocunque ieris Domine? O quando oculis meis clare Te videbo sine speculo, sine ænigmate, sine parabolis, sine figuris, sine quæstionibus, sine dubijs, sine opinionibus, sine interrogationibus à Magistris? O quando omnia sciam quæ credo ex scripturis Sanctis? quæ lego in libris varijs & audio auribus meis à lectoribus in multis locis, de DEO

meo

meo? — de Angelis, & omnibus Ange-
lorum choris — de gloria & beatitudi-
ne Cælestis Patriæ — de pace & inef-
fabili gaudio Civium supernorum? — O
quando ibi ero? — quando veniam &
apparebo in conspectu Tuo? — contēpla-
bor lætam faciem Tuam — & gloriam
regni Tui cum Cherubim & Seraphim
& omnibus Sanctis? &c.

Eja nunc ergo D. DEUS meus
tu doce cor meum vbi & quomodo Te S. August.
quærat? — vbi & quomodo Te inveni- Man.
at? — Domine si hic non es vbi Te Cap. 30.
quæram absentem? — Si autem vbiq;
es? cur Te non video præsentem? —
Sed certe habitas lucem inaccessibilem
— Et quomodo accedam ad lucem in-
accessibilem? — aut quis me deducet
& inducet in illam, vt videam Te
in illa? — Deinde quibus signis?
quâ facie Te quæram? — Nunquam
Te vidi D. DEUs meus, nunquam no-
vi faciem Tuam — Quid faciet Altis-
sime Domine, quid faciet iste longin-
quus exul Tuus? — quid faciet servus
Tuus anxius amore Tui, & longe pro-
jectus à facie Tua? — En anhelat vi-
dere

dere Te & nimis illi abest facies Tua — Accedere ad Te desiderat & inaccessibilis est habitatio Tua — Invenire Te cupit & nescit locum Tuum quærere — Te affectat & ignorat vultum Tuum, &c.

Sed quomodo tam exosus peccator dignus ero aliquando DEO; qui toties offendi & contempsi DEUM? — quomodo possidebo DEVM quem toties impudenter abieci? — quomodo videbo intuitive DEVM qui totum intellectum abstraho à DEO? — qua fronte gratiam requiro qui æterno sum dignus odio? — *& cui pœna debetur sine fine quâ temeritate gloriam deposco?* — Quid mi Pater dicam? merui mortem & præsumam petere vitam? — nonne dulcem affectum Patris stultus exacerbat filius, qui post illatas Patri contumelias adhuc contumax, hæreditatis sibi vsurpat celsitudinem? — Ergone mi Domine & ego deinceps audebo Te offendere — & nihilominus petere regnum Tuum? — O amor

S. August. Meditat: Cap. 3.

mor

mor meus! ô DEVS cordis mei! ô mellifluum osculum & amplexus dulcissime! ô indissolubilis coniunctio! ô pabulum suavissimum! ô inflammatio incentiva! non vltra mihi sâpiet mundus aut eius delectatio, quando *gustavi & vidi quam suavis sis Domine*! non amplius non amplius possum vivere sine Te — videant Te oculi mei dulcis JESU, videant Te, & hic moriar vt Te fruar — dum vivo, *faciem Tuam Domine requiram* &c. Ps. 33. Psal. 26.

CONSIDERA III, Non solius DEI tantum, qui est potissima & essentialis beatitudo, nec Sanctorum eius tantum, verum etiā cognatorum tuorum & quomodocunq; ad te pertinentium felicitatem, tibi profuturam ad maiorem gloriam — ad pleniorem lætitiam — ad omnimodam satisfactionem — Experto crede Augustino: *Si quis alium quem omnino sicut teipsum amares eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipso* S. August. Meditat. Cap. 35.

ipso — si verò duo vel tres vel multo plures idipsum haberent, tantundem pro singulis quantundem pro teipso gauderes si singulos sicut teipsum amares — Ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum vbi nullus diliget alium minus quam seipsum — non enim aliter gaudebit vnusquisq; pro singulis alijs quam pro seipso — si ergo cor hominis de tanto bono suo vix gaudium suum capiet, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum de optatissimo suorum in omnibus successu — de imperceptibili amicorum felicitate? — Quis ergo non peregrè

S. Cypr. Lib. de mortalit.

constitutus properaret in patriam regredi? — quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter Charos liceret amplecti? — Patriam nostram Paradisum computamus — Parentes, Patriarchas habere jam cœpimus — quid non properamus & currimus vt patriam nostram videre — vt Parentes nostros salutare possimus? — Magnus illic nos Charorũ numerus expectat — Parentum Fratrum

trum, filiorum frequens non & copiosa turba desiderat — jam de sua immortalitate secura — & adhuc de nostra salute solicita — Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est &c.

O Jerusalem Civitas Sancta & Sanctorum! ô Ierusalem vrbs beata & Beatorum! ô Jerusalem Civitas gloriosa & glorificatorum; à Deo, & in Deo, & de Deo! — Sicut lætantium, sicut gaudentium, sicut exultantium, sicut beatorûm omnium habitatio est in te — ô domus, ô Civitas, ô Congregatio! ô Ecclesia Sanctorum! — Et quis digne amabit, quis digne appretiabit in te, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit?* 1.Cor. 2. quis digne laudabit te ô Patria, ô possessio, ô hæreditas lustorum! — O quam iucundus, quam speciosus, quam laudabilis populus qui scit illam iubilationē, illam possessionem, illam pacem, illā exultationem, illam securitatem illam requiem! — O beatum populum qui sedet in pulchritudine pacis — in

taber-

tabernaculis fiduciæ — in requie, opulenta — opulenta inquam omni bono — voluptuosa fruitione ipsius DEI — plenissima omniū bonorū eius possessione in æternum — Ah *quis mihi det* consortium tam inæstimabilis consolationis vt ascendens de terra deserta & inaquosa mergar
Psal. 26. in abysso voluptatis DEI? — *quis mihi det* *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ!* — *vt videam voluptatem Domini & visitem templum ejus!* — Et quando
Psal. 41. *transibo in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad Domum DEI?* — vere vita præsens per respectum ad beatam *vmbra mortis* est, & expedit mihi suspirare *in atria Domini omni tempore;* non enim adest candor ille purissimus, libertas illa pretiosissima, dulcissima societas Ierusalem quæ sursum est — cuius gratia
Ps. 118. desiderabilis est *super aurum & topazion* — dulcior *super mel & favū.* &c

Væ mihi qui longe absum ab optatissima requie mea, qua multi ante me fruuntur — qui ascendunt

sicut

sicut hinnuli cervorum in montem Bethel *vt satiarentur ab vbertate domus DEI* — *ideoq; omnis vox humana est mihi rauca* — *omnis cantus, dissonus* — *omnis psalmus, aridus* — *omnis Musica, gravis* — *omnis cythara, surda* — *omne organum, mutum* — *omnis mundi lætitia, grandis tristitia* — *omnis ludus, vlulatus* — *omnis cibus & potus, insipidus* — *omnis caro, sanies* — *omne vinum, fel & acetum* — *omne mel, venenum* — *omne iucundum, asperum* — *omnis decor, fœtor* — *omnis ornatus, stercus* — *omnis honor & gloria, vanitas & fumus* — *omne pretiosum & nobile, vile & deforme* — *imo omnia, nulla, comparatione æternæ vitæ, æternæ gloriæ, æternæ lætitiæ in conspectu Dei & Angelorum* — *qui altissime collaudant Sanctam & gloriosam Trinitatem die ac nocte sine fine* — vsquequo carebo hæreditate grandium qui manducant labores manuum suarum — & infinita cum exultatione comedunt *pinguia medullata?* — vtinam dilrumperetur velum quo abiconditur portio mea *in terra viventium* Th. à Kemp. Cap. 17. val. lilior. Isai. 25 Ps. 141

&

— & hac ipsa horâ quâ scribo mæstitiâ plenus vocarer ad Cænã cantdidissimi Agni cuius pastu dilatarentur viscera mea &c.

O vita vitalissima quæ nunquã deficies, quando consolabor de visione Charorum meorum, vt cum eis beatissimo fruar consortio? — *quando veniet immutatio mea vt ascê-*
Iob. 14. *dam de deserto delicijs affluens*, & introducar in campos æterno virore virentes? — & fruar aurâ suavissimâ quæ perflat amænissimos hortos DEI? — *O lux beatissima* quæ exhilaras Civitatem Primogenitorum, qui induti *stolis albis* incedunt per plateam ex auro mundo, simile m crystallo quando fruar te? O
Psal. 114 *regio vivorum vbi non est amplius neq́*
Apoc: 21 *luctus neq́ clamor, neq́ vllus dolor* — quando videbo te? — quando requiescam in te? — O amare! ô æstimare! ô ire! ô pervenire ad DEUM! ô possidere DEUM! ô gaudere de DEO! ô hereditare DEUM! — ô hæreditari à DEO in æternum! — O
Baruch. 3. *Israel quam magna est domus DEI & ingens*

ingens locus possessionis eius – omnia mundi regna, omnesque divitiæ & thesauri Principum, omnes deliciæ filiorum hominum calamitas extrema est si cum requie sempiterna vnius Electi comparentur – vt dicat Augustinus: *Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta lucis jucunditas æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiæ, vt si non liceret amplius immanere quàm vnius diei mora propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ plenæ delicijs, & circũfluentia temporalium bonorum rectè meritoque contemnerentur* &c. Lib. de lib arb. Cap. 3.

O Fili Adæ si scires *quæ DEVS præparavit* Electis suis quibus dispo- 1. Cor. 2 suit novum & æternum testamentum quam fortiter doleres vicẽ tuam – & quæreres reparare ruinas delictorum tuorum – & cum majori serietate actionum ad diem æternitatis suspirares – cum ergo prævaricando legem eius, non sis possesurus nisi partem aliquam minimam bonorũ mundi celeriter transeuntis quomodo non desideras

quæ

quæ dementia sit tua (quam gentes melius norunt) spem æternæ consolationis amittere? — Nonne melius & vtilius tibi est spe futuri regni lætari, & parce vti bonis momentaneis huius sæculi, quam perverso consilio solatia præsentia vix gustare, & perpetua luce carere? — Nonne consultius videri debet sarcinis cupiditatum exonerari, *vt expeditius pergas illuc vbi est vita per-*
Eccli. 24 *fecta* quam *in bonis ducere dies tuos & in puncto ad infernum descendere?* pro Ægypti peponibus, Cælestis Paradisi delicias commutare? — pro sordida mundi oblectatione, DEUM perdere? — Certe ratio hæc impleuit Claustra Monachis & deserta Anachoretis — Hæc est viva & efficax doctrina (quæ nisi esses durior lapidibus) moveret te ad pænitentiam profundissimis suspiriis & lachrymis redundantem? — Desine iam desine Fili servire peccato quod tibi clausit ostia vitæ — &
Ps. 118. *inclina cor* tuum *ad faciendas justificationes immaculatæ legis* Divinæ *propter*

pter inæstimabilem & super aurum desiderabilem retributionem — *Si delectat mentem magnitudo præmiorum, non te deterreat certamen laborum, vtiq; ad magna præmia perveniri non potes nisi per magnos labores* — Illuc respice ne pressus animo deficias — si compassus fueris conregnabis — Sed S. Greg. hom. 37. in Evang

Prò Superi! quantùm mortalia pectora cæca
Noctis habent! —

Mundi felicites pariunt fastidium, & importabile tædium ingenerant, nec satiant vnquam, omnes nihilominus eas sollicitè quærunt, Cœlestes, quæ veræ felicitates sunt, ne quidem *in cor hominis ascendunt* — Mundus alumnis suis centipondiũ laboris obtrudit, mercedis vix paucas vncias reddit, & tamen ei omnes famulantur, DEUS etiam minima *vltra condignum præmiat*, nec tamen illius curant benevolentiam — nec adorant bonitatem — *O quando finis horum malorum? — quando liberabor à misera servitute vitiorum — quando memorabor Domine Tui solius — quando ad plenum lætabor in Te? — quando ero sine omni* 1. Cor. 2. Th. Kemp Lib. 3. Cap. 48. de imit. Christi

gravamine mentis & corporis? — quando erit pax solida — pax imperturbabilis & secura — pax intus & foris — pax ex omni parte firma — IESV bone quando stabo ad videndum Te? — quando contemplabor gloriam regni Tui? — quando eris mihi omnia in omnibus? — O quando ero Tecum in regno Tuo quod præparasti dilectis tuis ab æterno? — Relictus sum pauper & exul in terra hostili, ubi bella quotidiana & infortunia maxima — Consolare exilium meum — mitiga dolorem meum, quia ad Te suspirat omne desiderium meum — Desidero Te intime frui sed nequeo apprehendere — opto inhærere cælestibus, sed deprimunt res temporales & immortificatæ passiones — Mente omnibus rebus superesse volo, carne autem invite subesse cogor — Sic ergo homo infelix me-
Iob. 7. *cum pugno, & factus sum mihimetipsi gravis, dum spiritus sursum, & caro quæ-*
Rom. 8. *rit esse deorsum.* &c.

Finita Meditationis hora concludes ex dictis de Fine ult: & Capt 8. § 3 addita hac v. g. Resolutione. *ut hæreditatem capiam salu-*
Luc. 11. *tis*, Parenti Cœlesti: *Adveniat Regnum Tuum.* quotidie devotissime supplica-

bo

bo. Rosetum; Cupio dissolvi & esse cum Christo. P. Philip.

Pro adminiculo Meditationis.

Affectus desiderij ad Cælestẽ Patriam.

O Cælum toto me desidero te. P. Gaspar
O Cælum Cæli toto me anhelo ad te Druzb.
O Cælum cælans, toto me festino ad te. Fasc. Exer.
O Domus DEI magna spatiosa nimis quando inhabitabo te. VII.
O ingens locus habitationis DEI quando capies (me.
O terra viventium, quando vivam in te?
O Patria quando revertar ad te?
O Civitas DEI, quando civis tuus ero?
O Ierusalem quæ sursum es Mater nostra, quando videbo & inibo charitatem tuam?
O Terra Promissionis, quando veniam ad te?
O Templum Domini, quando visitabo te?
O Lætantium habitatio, quando lætabor in te
O Regnum pacis, quando pacificabor in te?
O Hæreditas, quando hæreditabo te?
O Tabernaculũ admirabile, quando ingrediar te?
O Regnum DEI, quando regnabis in me, & regnabo in te?
O Beatorum sedes, quando & ego sedebo in te?
O Christi & Sanctorum hæreditas, quando possidebo te?
O quæ ædificaris ut Civitas, quando inserar structuræ tuæ?
O Paradisus, quando incolam te?

O Portus, quando tenebo te?
O Bravium, quando apprehendam te?
O *Corona iustitiæ*, quando coronabis me?
O Regio beatitudinis, quando beatificabis me
O Sion, quando videbo *Deum Deorum* in te
O Pulchritudo pacis, quando exornabis me?
O *Tabernaculum fiduciæ*, quando in te securus ero?
O *Requies opulenta* quando ditabis me?
O vitæ perennis fons, quando sitim extingues in me?
O *Gloria* DEI, quando glorificabo te, & glorificabor in te?
O *Torrens voluptatis*, quando potabis me?
O *Civitas magnanimis* quando conscribar in te
O *Cœna magna*, quando accumbam ad te?
O *Denarius diurnus*, quando redderis mihi?
O Fluvius pacis, quando immitteris in me?
O Diluvium, quando te Dominus inhabitare faciet in me?
O vitæ fontes aquarũ, quando deducar ad vos
O *Vbertas Domus Dei*, quando inebriabor abs te
O *Gloria Dni? quando apparebis ad satiandum me*
O Meridies, quando pascar, quando cubabo in te?
O *Terra lacte & melle manans*, quando perveniam ad te?
O Possessio æterna, quando adibo te?
O *Beata æternitas, æterna beatitudo* quando perennabo in te?
O *Merces magna nimis*, quando eris mihi

PRAXIS XII:

TEPOR *Cæli claustra obserat*

MAledictus qui facit opus Dñi fraudulenter. Alii legunt *Negligenter.* Ier: 48

Præparatio vt sup: *de Fine Vlt*: præsertim Cap: 3. §. 1. cum pausa in lineolis servabitur.

Præludi I. Cogita te per omnia *servum inutilem* esse, ita planè velut si esses sine manibus ad bene operandum, sine labijs, & sine mente ad fervide orandum, sine pedibus affectuum ad te movendum salutariter &c, adeoq; nulli hactenus ex infinitis DEI tui, obligationi te satisfacere exactè potuisse, a te causata impotentia;

Præluds: II. Petes gratiam a DEO vt damna vitæ tepidæ te faciat cognoscere & deinceps teporem a te excutiat, & fervorem donet Spiritus.

CONSIDERA I. Tepidum esse abominabiliorem DEO præ frigido, seu peccatore, constat ex illo scripturæ: *vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* Apoc. 3. — vbi frigidus seu peccator in statu culpæ mortalis existens (vt exponunt SS. PP.) tepido anteponitur licet his videatur esse amicus DEI — O quam grandis abominatio est ignavus homo qui quendam quasi vomitum provocat in DEO! — ô vere *inutilis servus* Matth. 25.

qui infinitæ Maiestatis Domino tepide famulatur! — O infelicem illum, qui in obsequio immensi Regis ab Aulicis huius sæculi terrenæ alicui Maiestati servientibus superatur! — Th. à Kem. Lib. 3. Cap. 3. de Imit. Christi *Proh dolor pro bono incõmutabili pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili vel ad modicũ fatigari pigritatur!* — Indignum est in hoc vel Amatorũ Mundi negligere studiũ qui se illi devotissimos in servitutẽ devovent, an minus obsequii meretur JESUS quam mundus? — Si turpis est & abominabilis actio, vomitus, & quomodo tu abominabilior non eris, qui vitâ tepidâ, ignavâ, & inerti, talem & quidem toties effectum in DEO producis? — num forte honestior partus quam suus parens erit? — aut fœdiorem causam turpis effectus cohonestabit? — Ipsa etiam canina natura horret tam infame factũ quod ipsi violentiâ affert, & tu rationabilis cum sis non reverêberis idem? — nec te pudebit causare in DEO quod te causare puderet in teipso? &c.

Tepida vita tua! DEO est velut tepi-

tepida aqua tibi, quæ ſicut ſtomachũ ad nauſeam movet, ſic illa Deum movet vt inſtinctus & lumina quæ ſunt gratiæ actuales, tibi paulatim ſubtrahat — vt auxilia efficacia ad opera bona tibi deneget — vt te in mortale prolabi permittat — & ſic velut fœtidum catharma a facie ſua proijciat — O ſordidiſſime peccator *ſi Deus* S. Aug. *te eijciet quis te* colliget? — *ſi te ille deſpiciet quis te aſpiciet?* — ignoras forte quod dum aliquid evomimus nunquam reſumimus — & Deus te aſſumet quem tot annis pigritantem in vita tepida toleravit? — quis ſponſor extraordinariæ gratiæ? — quod redintegrandæ ſalutis fundamentũ? — quæ ſaltem ſpei ſpecies? — Satis eſt longanimitatis & patientiæ Divinæ, quod violenter, quod cum amaritudine te cœperit evomere — quia pluris Deum torquet eiuſmodi actio quod te puniat, quàm te quem pœnae — magis dolet qui caſtigat, quam ſentiant caſtigati — ideoq; vltionem accepturus dolet — gemit — ſuſpirat — qua vltores vt plurimum conſolan-

tur juxta dictum Prophetæ: *Heu con-*
Isai. 1. *solabor de hostibus meis & vindicabor de inimicis meis, &c.*

Væ mihi quod tam misere tempus meum expenderim — quod tam longa patientia DEI super me, abusus fuerim! — In pueritia toleravit me & aluit inutilem — in juventute passus est excessivum — eo fine, eâ lege ut saltem in virili ætate, viriliter agam optima quæq; pro honore suo — *ut*
Iob. 10: *plangam paululum dolorem meum* pro admissis in juventa, & usq; modo, excessibus — & anteactæ vitæ teporem, serio vindicem fervore — sed heu ingratissimum me, ego totas vires impendi in abusum libertatis meæ — ego non *crevi ad mensuram grandium* qui per spiritus fervorem in DEUM transformantur — sed laboro
Gene. 32: valde in tabernaculis Jacob luctatoris, si forte post certamen donet mihi benedictionem — scilicet ut illum solum præ omnibus desiderabilibus cordi meo amem — omnes peccandi occasiones à longe perspiciam & fugiam — magno qua par est animo,

me

me totum in eius constans servitium impendam — nec non *residuum annorum meorum in amaritudine animæ meæ* Isai 38.
pro admissis culpis superimpendam — *O quis mihi det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi DEVS!* Job. 6.
— Ah Domine non me permittas in salebra tepiditatis hærere, & caligine ignaviæ involvi — sed expedi vires meas vt ad perfectionem toto conatu pervolem — vt strenuo passu *per viam mandatorum tuorum* incedam &c.

CONSIDERA II. Tepidum esse magis iniurium DEO quàm frigidum seu peccatorem; si enim hic haberet talem ac tantam gratiarū assistentiam ac tepidus, haud segniorē operaretur salutem, attestante Scriptura: *Si in Tyro ac Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim, in cilicio & cinere pæniterent* — sed est Luc. 10.
velut compedibus vinctus peccatis, vt lamentari cogatur: *Funes peccatorū circumplexi sunt me* — adeoq; im- Ps. 118.
potens laborare Domino suo — tepidus autem est tanquam *servus* sanus

&

Luc. 12. & liber *sciens voluntatem Domini sui & non faciens* ex mera desidia, ideòq; *maledictus* ⌐ ideoq; *plagis vapulabit multis* ⌐ Et certe nullum aliud vitium habet sibi adeô annexam maledictionem ac tepiditas, quæ opera bona intrinsece quodammodo vitiat ⌐ consequenter tepiditas viscera bonitatis Divinæ bonis actibus innexæ intrinsecè lædit ⌐ quia facit vt homo non mala, sed bona agendo malè agat ⌐ ideoq; tepor rectè dici potest homicida virtutis ⌐ peccatorum peccatum ⌐ mors meritorum ⌐ pulvinar diaboli ⌐ exitium omnis boni ⌐ infernus vivorum ⌐ imitatio damnatorum ⌐ gratiæ Divinæ venenum ⌐ contristatio Spiritus Sancti &c.

S. Ioan. Chrisost. serm. de MM. tom. 3. O quisquis æternæ damnationis horres plagas, torporem in agendo benè, fugias ⌐ *Exere vires* ⌐ *fortiter dimica* ⌐ *atrociter in prælio isto concerta* ⌐ *Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce* ⌐ *pactum quod spopondisti* ⌐ *conditionem quâ accessisti* ⌐ *militiam cui nomen dedisti* ⌐ *Esti*

vigilans & fervidus in DEI servitio & — Th. à Kēp Lib. 1.
cogita frequenter AD QVID venisti? — Cap. 25.
& cur sæculum reliquisti? nonne vt de Imit.
DEO viveres, & spiritualis homo fieres? Christi.
— Expende quos tu stimulos sentis
vt bene agas — numera si potes lu-
mina, quæ habes — observa quanta
motiva, quantam bonorum cogniti-
onem accepisti! ô si secundum eam
faceres quam beatus esses! — Aper-
ta doctrina est quod non ille sit bea-
tus qui multa scit, sed qui ferventer
facit quæ scit — teste S. Cyrillo Alex:
Non enim magnum est virtutem cogno- Lib. 9. in
scere sed studiose agere — Tepidus a- Io. Cap. 9
micus est, sed ingratus — infidelis — &
quis nesciat ex scriptura, quod hic
maiorem inferat DEO iniuriam quàm
inimicus? — *Si inimicus meus fecisset*
ista, *sustinuissem vtiq; &c. sed tu qui* Psal. 54.
dulces mecum capiebas cibos in dilectione
mea, me neglecto turpiter, alteri ad-
hæsisti — fidem tuam & amicitiæ iu-
ra extraneo obligasti contempto *vna-*
nimi — O quæ mea confusio! quæ
iniuria! quæ offensa! &c.

Attende *serve male & piger nonne-* Matth. 25
tu

Matth. 25. *tu es similis illi qui abscondit pecuniam Domini sui* in terra sterilitatis & desidiæ — frigidus autem similis est ei qui cum accepisset talentum vt ex eo lucrum faceret, amisit illud naufragio — Nonne satius istius miserebitur Deus, te autem *ligatis manibus & pedibus* iubebit *eijci in tenebras exteriores*? — & talentum tuum dari non habenti illud, ita vt *coronam suam accipiat alter?* — Ignoras forte quia non tantum arbor arida verum etiam frondosa sed non fructuosa exscindi,
Matth. 3. & in ignem mitti iubetur — vt sic docearis te comburi debere igne infernali qui non vis ardere Divino — nec cessas cum *iniquitatis filio* peccare? — quid facies in die retributionis quando dicetur tibi *redde rationem* & fructum *negotiationis tuæ*? — O vitium execrandum quod tam detestandis anathematizaris minitationibus! — O malum fraudulentũ quod tam blandis suos asseclas illaqueas captionibus? — eiuro & maledico te — & ab hinc viriliter excitate & exercitare fervorem spiritus appromitto, &c.

CON-

CONSIDERA III. Tepidus per-
niciosus est sibi ipsi magis quam fri-
gidus. ita scriptura: *Qui mollis & dis-* Prov. 18
solutus est in opere suo, frater est sua ope-
ra dissipantis — Cum enim frigidus
videat se in peccato mortali, timet
male mori, & sero licet remedium
quærit pœnitentiæ — tepidus autem
cum sibi persvadeat se esse in gratia
parum solicitus est de perfectione sua
— & in hoc *sapientior sibi videtur pi-* Prov. 26
ger, septem viris loquentibus sententias
— & *locuple-* Apoc. 3
quia dicit, quod dives sum —
tatus — & *nullius egeo,* & *nescit* quia
est miser in statu satis superq; pericu-
loso — & *miserabilis* præsumptionis
plenus — & *pauper* sine bonis ope-
ribus — quia *omnis piger semper in ege-* Prov. 21
state est — & *cæcus* ad superveniens in
puncto præcipitium — & *nudus sine*
veste Nuptiali charitatis Divinæ, quia
abscondit piger manum suam sub ascella Prov. 19
nec ad os suum applicat eam vt opera-
tionem coniungat orationi — *Nomen*
habet quod vivat, & mortuus est — vel
ad minus in agonia ad animæ mor-
tem — ideoq; tepidus est languidus,
&

& velut febri hectica laborans quæ sensim sine sensu *Divini roris* in anima *depascit opulentiam* — & aridum peccatorem æternæ *mortis imperio* infernali addicit ardori &c.

O si liceret introspicere illam infernalem abyssum, quam tepidis replevit ignavia, forte dissolveret tuum inertiæ gelu! — quem nec Divinus amor ad fervorem accendere — nec animæ propriæ salus excitare potest ad seriam virtutem — nec immensa vitæ tepidæ damna absterrere á tremendo in quo versaris periculo — Ad *serviendum mammonæ* quanta alacritatis adinvenis incentiva, *ad servi-*
Hœbr. 9. *endum DEO viventi*, nulla te movet ratio — nullum lucrum — nullú vel æternum damnum — Peior es cunctis tuis consortibus *ut quid occupas*
Luc. 13. *terram?* — ut quid locum aliorum possides, qui certe meliores essent si tantis gratiis & auxiliis quibus tu abusus es abundarent? — O Religiose! vide infructuositatem tuam & confundere quia tu *in Domo DEI* velut in sacrario manens notabiliera peccata

cata loco fructûs boni operis commisisti — quia in tanta occasionum farragine ad bonum, malus extitisti in medio igne congelatus es — in medio mari non humectatus — quia tot beneficiis à DEO, præventus ingratissimus extitisti — quia offendendo DEUM præbuisti diabolo occasionem specialiter lætandi, quod DEUS sit offensus à te servo suo — amico — & filio DEI — Tu es ager ille per quem dicit se transisse Salomon, Prov. 24 quem totum repleverant vrticæ — tui mores vrticæ sunt infructuosæ, plerumq; damnosæ — tribuli sunt — spinæ sunt — O ager circa quem ipse Filius DEI desudaverat & quando tandem fructuosus eris DEO tuo &c.

Religiosus negligens & tepidus teste Th. Kempen: *Habet tribulationem* Lib.1.Cap 25. de Imit.Christ *super tribulationem — & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret* — Præterea ideo quia tentatur frequentius, impetiturq; totius ab hostibus velut quædam Civitas sine vlla munitione — vincitur.

facia

facilius vtpote evanida reddens auxilia DEI — surgit ægrius velut paralysi tactus — sanatur difficilius quia tepidorum medicina nil est aliud nisi gravis ruina — labitur crebrius vtpote morbo assuetus — visitatur rarius à DEO, ex quo in eius nauseat
Prov. 18. obsequio — cadit gravius *pigrum deijcit timor* — moritur timidius vtpote à DEO evomendus — salvatur incertius ex quo medicorum lucra minus æstimavit nec curavit — damnatur certius cum velut lethargicus dormiendo moriatur — induratur insensibilius velut cadaver, vt de seipso dicere possit: *vulneraverunt*
Prov. 23. *me* (peccata mea) *sed non dolui* — *traxerunt me* (ad infernum) *& ego non sensi*, ideoq; tepidus properat ad infernum velocius, dum more damnatorum in pœnam inertiæ, bonum odit — ibiq; mergitur profundius, & torquetur acrius, ex quo certissimam miserè amisit salutis occasionem &c

O cunctis insensibilibus durior homo, si te ista non movent ad excutiendum teporem, & excitandum

fer-

fervorem in salutis negotio? — O *serve nequam* dicito mihi *quantum debes Domino tuo?* nonne vnus es illorum qui *debent ei decem millia talenta?* — Nonne orasti quando in statum Religiosum admissus es: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi?* — vbi est huius pollicitationis impletio? — vbi assumptus ad debitum reddendum labor? — vbi *fructus digni pœnitentiæ?* — vbi conatus condignæ satisfactionis pro peccatis? — an putas vitæ ignaviâ, operibus imperfectissimis, & perditis moribus, te promissis posse satisfacere? — & tantam molem debitorũ exolvere? — Tu religiosũ ordinem fœdas qui regularem disciplinam præteris nec curas — *locum sanctitatis* spernis qui in eo malum operaris — tempus perdis quod in occupationibus inutilibus, & colloquiis vanis insumis — bonorum societatem turbas quam perversis exemplis offendis & lædis — vota frangis aut male custodis dum te in eorum observantia perperam geris, — provisionem temporalem immeritus

Matth. 18

Luc. 3.

cum tepide ores, recipis — eos qui te largitionibus suis reficiunt quodammodo decipis — DEO cui irreverenter adstas, in religiosis actibus, illudis — eius gratias in cassum vsurpas &c. — O si vel Ethnico fecisset ista DEUS quæ tibi fecit, iam in magnum Sanctum evasisset? &c.

Ah pudeat te, quod *in medio po-*
Ezech, 17 *puli electi habites* nec tamen eius exemplis ad strenue operandũ movearis? — Quid tuus amor in DEUM, ad amorem AVGVSTINI? — quid tua castitas ad castitatem STANISLAI CASIMIRITANI? — quid tua charitas ad charitatem DVNSTANI? quid tuus zelus in animas, ad zelum IVONIS? — quid tua patientia ad VBALDI tolerantiam? — quid tua devotio ad contemplationem IOAN: RUSBROCHII? — quid tua humilitas ad humilitatem GVARINI? — quid tua observantia regularis disciplinæ ad observantiam FRIDGIANI &c. — cur abiecta segnitie post illos non curris? — cur illos imitari non contendis? — Nonne tu eidem supremo Monarchæ ac illi, famula-

mularis? — nonne eundem statum quem illi professi sunt profiteris? — nonne idem præmium quod illi iam acceperunt, exoptes & expetis? — credis quod pro ignavis factum sit regnum DEI? — pro quo labore adeo *copiosam mercedem* exspectas & speras? — Ah excitent te hæc motiva, *nec imitari pigeat quod laudare mens approbat &c.* S Philip. Nereus

Vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat — tu quo victites per æternitatem non curas? — tempore æstatis pro hyeme mortis nihil colligis? — tempore negotionis nihil lucraris? — sub tempus nundinarum nihil emis? — *vsquequo piger dormies?* — *quando consurges à somno tuo?* — *Pusillum dormies. paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas* supernarum gratiarum *& pauperies quasi vir armatus* tentationum — adeoq; *si incipis tepesce* Prov. 6. Ibid. Th. Kemp. Lib. 1. Cap. vlt. de Imit. Christi

re incipies male habere — *Si vero im-*
Prov. 6. *piger fueris, veniet vt fons, messis tua* meritorum — *& egestas longe fugiet à te* — vel ut citatus Th: Kemp: *Si autem dederis te ad fervorem invenies magnam pacem* — *& senties leviorem laborem, propter DEI gratiam & virtutis amorem &c.*

Eja ergo viriliter age & esto robustus — *confortare* & sancta quadam ambitione cæteros in stadio fervoris præcurrere stude, vt destinatum tibi ab æterno bravivm capere mercaris — alioqui iuxta illud: *De stercore boum*
Eccl. 22 *lapidatus est piger & omnis qui tetigerit eum excutiet manus.* pro præmio pœn m *apud DEVM, & apud homines* reportabis *opprobrium sempiternum* — *Attende diversæ religionis Monachos ac*
Th. à Kēp citat *Moniales qualiter die ac nocte* pro Regno DEI? — *Raro exeunt* — *abstracte vivunt* — *pauperrime comedunt* — *grosse vestiuntur* — *multum laborant* — *parum loquuntur* — *diu vigilant* — *mature surgunt* — *orationes prolongant* — *frequenter legunt* — *& se in omni disciplina custodiunt* — tu audebis *in sancto opere*

opere pigritare, vbi tanta multitudo Religiosorum (imo & sæcularium) non cessat *DEO iubilare?* — Credisne ignavum militem obtinere victoriam? — Strenui, vi tentationum superati aliquando cadunt, tu excors & negligens si fortiter impugneris non cades? — *Fili nunquam securus es in hac vitâ sed quoad vixeris semper arma spiritualia tibi sunt necessaria* — *Inter hostes versaris & à dextris & à sinitris impugnaris*, & tamen sopore ignauiæ tam profunde teneris? — Nonne *Dominus non solum male operantem sed etiam à bono opere torpentem damnat?* — tu tantis nominibus DEO exosus seueritatem iudiciorum eius effugies? — ignoras? quod *Dominus* qui *vigilat iustis dormiat tepidis?* — Scito miser, quia per torporem lente tabesces, sed mox *deficies* — *decides* — *& arescet* — *Igitur magno conamine ad interiora te extende* — *quæ retro sunt, & huius mundi obliviscere* — *nec ad remissos & infirmiores respice* — *sed ad quid veneris & quid te agere oporteat attende* — *dolendum enim vehementer est, cum quis labitur in teporem refugiendo parvi temporis laborem.*

Th. Kemp Lib. 3. Cap. 35. de imit. Christi.

S. Greg.

Th. à Kēp. Lib Exerc. Novit. Cap. 3.

Ad fervorem, ad fervorem peccatores! si non vultis æternùm ardere, ad tempus ardeatis — Nemo sibi fidat sed *cum timore & tremore quoque salutem suam operetur* — Bonæ mentis est timere dixit quidam, quando etiam conscia sibi non est &c. — Heu me ecce *emarcui* in operando salutariter *nec habeo quidquam virium* — & *factus sum mihi ipsimet gravis* — & Deo injurius — accuso infirmitatem meam & quod causam aliquando præbuerim indispositioni ejusmodi, ex corde amaricor — O dulcissime & amantissime JESU, gaudium meum, vita animæ meæ, ecce coram te meam cum gemitu ignaviam cordis accuso & tepiditatem deploro — ecce sterilitatem animæ meæ pluviam voluntariam postulans ipse profiteor — *Ecce non est auxilium mihi in me* quid potero facere boni nisi tu me afflaveris? — & *necessarij quoque mei recesserunt à me, nec est qui me adjuvet* & eripiat *de necessitatibus meis* — Tu solus salvare potes, *salva infirmitatem meam* — ego deinceps *ne meas exurgat torpida*. ferventius allabo-

Auanc. Dan. 10. Job. 6.

laborare in vinea tua statuo &c,

Claudes horam iuxta dd. de Fine vlt. præsertim Cap. 8. §. 3. addita hac v. g. Resolutione: *voce mea ad Dominum clamabo & in de-* Psal. 141 *ficiendo ex me, spiritum* oscitantem propulsabo: Rosetum. O Domine quando tandem finis teporis mei?

In supplementum Meditationis.

Tepidorum forma.

FRater acediosus quasi semper infirmus, vltimus ferè in omni loco, & Horis, otio, somno deditus. Tarde ad opus venit, citò in se recedit, pronus ad exitum segnis ad reditũ, lætus ad prandiũ, tristis ad ieiunandum, velox ad dormiendum, piger ad surgendum, raveus ad cantandum, sonotus ad fabulandum, surdus ad obediendum, claudus ad laborandum. Tepor cordis gravis animæ morbus, generat tædium operis, & quærit solatium foris parvi valoris. Non vincitur melius nisi diligentia boni operis, studio sacræ lectionis & vsu frequentis orationis, cum memoria dominicæ passionis. Th. à Kēp. in Doctrina Iuven. Cap. 10.

Quodsi adhuc torpore deprimeris & in cultu Divino negligens es, etiam hoc *permitto, dummodo pariter teipsum negligas & minus cures, sic ad EXCELSAS COGITATIONES proprias* Filijs DEI *pervenire poteris, & torpendo* quodammodo, mereri: 1. Si nullam laudem aut gratitudinem ab Daniel Pawl. [...] bell. Ex[...] spir. die

ab vllo pro quacunq; re speres, aut desideres, aut de ea oblata tibi complaceas. 2. Si à nullo vllam tui rationem respectumq; ob ætatem, officia, merita habere velis. 3. Si à nullo] consilia tua intentaq; probari velis. 4. Si apud nullum gratiam aucupari, quærere, curare, desideres, nec velis vt te honorent sed potius odio prosequantur. 5. Si taceas nec te excuses in accusationibus nisi in damnum gloriæ DEI vel boni communis cedant 6. Si nemini afflictiones tuas exponas, nec desideres vt innocentia tua ab alijs sciatur nec compati tibi in adversis affectes. 7. Si ab omni officio & actione ad nutum tui superioris recedas etiam cum ignominia vel aliorum insultatione. 8. Si nullam consolationem vel commoditatem ab vlla creatura quæras. 9. Si nihil coram alijs in gratiam tui narres sed pænitus te & tua nesciri velis. 10. Si nescire cupias omnia ad te non pertinentia, imo nec de teipso quid futurum sit curiose inquiras.

PRAXIS XIII.

Ferax virtutum creata Libertas per CONFORMITATEM cum Divina,

Matth. 6. *Fiat voluntas Tua, sicut in Cælo & in terra*

Præparatio vt sup. de Fine ult: præsertim Cap. 3. §. 1. cum pausa in lineolis servabitur.

Præ-

Praelud. I. Cogita te iumentum DEI esse (iuxta quod dicit Psalmista: *ut iumentum factus sum apud Te, & ego semper Tecum*) cuius in omnibus prospera sive adversa illa sint, ductum sequi debes, adinstar iumenti addomesticati, quod quocunq; ducatur non tergiuersatur. Psal. 72

Praelud. II. Roga DEUM vt *ancillari faciat appetitum rationi*, & voluntatem tuam *Divinae* suae dispositioni.

CONSIDERA I. Per conformitatem voluntatis propriae cum Divina perfectius exerceri libertatē creatam; cum enim haec à primo Libero principiet quod sine dubio infinite perfectius est libertate participata, manifestum est, quod homo qui primi Liberi sequitur arbitrium, perfectiùs exerceat suam libertatem, quam si propriam determinationem in omnibus sequatur. Hinc attente observa, num per hoc libertatem tuam amittas, quod nutus Divinos adimpleas? – Nonne & ipse non vis si sponte si libere vis, quod vult DEUS? – Nonne hoc ipso velle tuum primum non est, quod Divinum determines, quia non impedis vt velit & faciat per te, & in te, quidquid sibi placuerit? – Revera nil per talem

talem cum Divina voluntate concordiam amittis, sed quod habes perficis quia perfectius adimples voluntatem tuam, ex quo adimples perfectissimam, Divinam — velle tuum imbelle, imo velle tuum nihil est nisi hoc velle compleat DEUS — Ergo si vis quod DEUS vult? propric diceris velle — Et si velle Divinum omnipotens est, & tuum velle idem est cum Divino? tunc non minus

Luc. 1. poteris quam *qui potens est* — Nonne grandis est eiusmodi perfectio ex imbecilli arbitrio tot peccatorum iaculis hactenus vulnerato, fieri omnipotens ad salutem? — Quis prudens non velit ea velle, quæ conducunt ad volentis bonum? — Divinum velle tale est, quod non vult nisi tuum bonum, si ergo velle tuum conformas Divino, non alteri nisi tibi bene vis — O quam beatus es qui quod DEUS vult, idem vis! — quoniã certissima salus in beneplacito eius, *&*

Psal. 49. *vita in voluntate eius* — O *felix & meritoria obedientia quæ nil aliud cogitat quam beneplacitum & voluntatem Patris*

Th. á Kēp. serm. 8. ad Novit.

tris Cælestis desideranter implere! — *O quã sancta anima quæ nititur se resigna-re, & totam vitam suam moribus Chri-sti conformare!* &c.

Si male sanum est: *contra torren-tem niti*, a fortiori rationi consonum non erit velle contra eum, cui *resisti non potest* — & *voluntati eius quis re-sistet* quæ omnipotens est? — Nonne consultius Divinæ in omnibus libere obsecundare voluntati, per hoc per-ficiendo tuam, quam perdendo tuam, niti stulte & impie contra velle o-mnipotens — *Æquius est vt nos eius, quam ille nostram sequatur voluntatem* — O si tuam DEUS sequi deberet vo-luntatem pessime tecum per omni-a ageretur! — velle & nolle Divi-num sapiens est, tu sæpe vis quod nolle deberes, & plerumq; non vis; quod velle omnino necesse sit — id-circo communiter nescis quid velis — quia velle tuum per se stultum est — O quoties te stolida tua electio ma-lum pro bono — amarum pro suavi — venenum pro remedio ad salutem ar-ripere fecit? — quoties *errasti sicut o-vis*

Rom. 9.

S. August. lib. de Ca-thech. rud Cap. 14.

Ps. 118

vis quæ periit, quia *vocem Pastoris* tui [instinctus intellige Divinos) non audisti — quoties arbitrium tuum vitiasti — pervertisti vulnerasti quia ductum voluntatis Divinæ à qua in omnibus pendere debes secutus non
Luc. 10. es — Et quæ est voluntas DEI? hanc per superiores indicat: *Qui vos audit me audit* — hanc regulæ manifestant quæ non sunt inventum hominis sed
Deut. 28. DEI; *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis, augebit Dominus plagas tuas quoniam non audisti vocem D. DEI tui* — Vide num facta tua voluntati DEI consentiant? — quomodo te habes ad superiorum dispositiones? — quomodo ad regulas? — Hæccine est indifferentia ad ea quæ præcipiuntur tibi, qui etiam ad mandata DEI morosus es? — quod potes recusas — quod non potes expetis — de bono & malo iudicas quod tibi sapit bene aut male — fingis te non posse quod non vis — tanquam debitum petis quod amas — tanquam iniuriam accipis si petenti negatur &c. O si perfecte DEUM amares, à velle Divino nec ad

vnguem

vnguem recederes; amantium namq; voluntates non unitæ tantum sed identificatæ sunt — *& fideles in dilectione acquiescunt illi, quoniam donum & pax est electis eius* — adeoq; neq; videntis nec sævientis fortunæ timeres imperium, proprio, voluntate, tuâ funeratâ, sepulchro, ex sensu erudito Climaci: *Obedientia est sepulchrũ propriæ libertatis &c.* Sap. 3. Io: Climã Grad. 4.

Heu me quanta hactenus in me causavit detrimenta salutis, effrenis bellua perversissimæ voluntatis meæ — ab quoties me modo quodã fraudulento sequestratum à summo *Bono* post vanitates huius sæculi abire fecit ? — quoties conscientiam meam labyrintheis involuit erroribus ? — Iam amplius non me decipies *cruenta bestia* — iam posthac *nihil in me funestè reperies* qui abhinc ductum Divinæ voluntatis sequi determino — *Fac Domine suscipe desiderium meum — Tuum mecum desideratum beneplacitum & ne despicias peccaminosam vitam meam nulli melius nec clarius quam Tibi soli notam* — En omnia iura liberta- Brev. Rom 11. 9bris Th. á Kẽ Lib. 3. Cap. 5 de Im Christi

tis

tis meæ in manibus Tuis fideliter resigno vt ea vtaris secundum beneplacitum Tuum in tempore & in æternitate — En arbitrij mei libertatem cum tanta plenitudine potestatis Tibi subiicio, vt illam à Te si opus sit etiam cogi cupiam — & vinciri me, *vinculis charitatis* desidero, ne
Ose 11. contra Te amplius rebellem aut contra voluntatem Tuam vel minimum quid comittam — O vnice hæres vni-
S. Ignát. versi *suscipe universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum & voluntatem — quidquid habeo vel possideo mihi largitus es, id Tibi totum restituo; ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum* quia tibi debentur omnia — *amorem Tui solum cum gratia Tua mihi dones & sufficit mihi* — hic vnicus *sit pars mea & hæreditas mea &c.*

CONSIDERA II. Cum imbelle sit vt iam vidisti humanum arbitrium plurimum interest conformari in omnibus voluntati Divinæ, iuxta il-
Eccli. 2. lud: *Coniungere DEO* vel vt habet alia versiò: *Conglutinare DEO & sustine vt crescat in novissimo vita tua* —

Qui:

Quicunq; giganteo passu progredi vult in virtutis stadio *bonum erit ei* per conformitatem mentis *adhærere* DEO, quæ fundamentum perfectionis, parens virtutum est — videbis si observes inde duci originem suam Principem virtutum Humilitatem vg. quam ex conformitate eiusmodi fluxisse docet Bernardus: *Summa humilitatis in eo videtur consistere, si voluntas nostra, Divina, vt dignum subiecta sit voluntati* — Alii vero totam perfectionis rationem ex hoc fonte profluere non ambigunt: *Summa vita Christiana & virtutum omniũ compendium est DEI voluntati se in omnibus conformare* — *Idem velle & idem nolle* — O felix creatæ voluntatis ad Divinam resignatio! *O Domina salutis* cum Deo concordia! ô virtutum seminario concordia! ô virtutum seminarium vnanimis cum DEO consensus! ô vitiorum evacuatio, ad Divinum beneplacitum resolutio! Quis tam sanctæ in vitæ participium, quam sancte instituis non desideraret? — quis tuam hæreditatem non exoptaret? — Tu *subjectam animam DEO* optatam tran-

Psal. 27.

Serm. 19. in Cant.

Arias p. V de Orat. ment. C. 5.

Psal. 91.

tranquillitate beas — tuã patiētiæ virtute in adversis obarmas — tu resignatum vera religione donas — tu DEUM amare tenerrime facis — tu ne vel leviter eum offendam⁹, times — tu aliis quàm plurimis virtutibus ditas — & devotione fideli tuos cultores muneras & honoras, de quo devotissimus Blosius : *Verissima devotio in humillima sui resignatione sita est, quādo videlicet homo non solum in abundantia sed etiam in penuria & mærore & alijs quibusvis casibus ac eventibus SS. DEI voluntati plenissime acquiescit* — O quisquis perfectionis culmen attingere cupis, velle & nolle Divinum amplectere — pro fundamento solidæ virtutis indifferentiam voluntatis tuæ ad nutum DEI in omnibus arripe, *& eris melior quam fuisti* — *Ipsam cole vt de mole te criminum liberet*, vt sic totum te ipsi DEO conformem efficiat &c.

Ludov. Blos Lib. in dict PP Cáp. 11.

O nimis emunctæ naris & perfrictæ frontis homo, qui sciens *in ditione* DEI *cuncta esse posita nec esse qui suæ resistere possit voluntati*, nihilominus

Esth. 13.

nus ad metam hanc omnes conatus suos dirigit vt divinæ voluntatis imperium, super se excutere possit! — O nimis grande servi supercilium si ea tantum mandata explere velit quæ sibi probantur & allubescunt magis — O pudor! Mundi sectatores propter solam spem incertam præmij obligant suas voluntates Dominis, *& illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* cum sperremus, *DEO Cæli* etiam in levibus obsequi renuimus! — O vtinam vel ab hinc *DEVS det nobis cor omnibus vt colamus eum & faciamus eius voluntatem corde magno & animo volenti* — vtinam DEO adeò intimis animis coniuncti simus vt cum Noemi Ruth, Elisæus cum Elia, cum Iosaphato Ioram, vt in omnibus sequamur voluntatem eius — O Domine DEVS *da mihi semper desiderare & velle quod Tibi magis acceptum est, & charius placet — Tua voluntas mea sit & mea voluntas Tuam semper sequatur — Sit mihi vnum velle & nolle Tecum nec aliud posse, velle, aut nolle, nisi quod*

1. Cor. 9.

2. Mach. 1.

Ruth. 1.
4. Reg. 2.
4. Reg. 3.

Th. à Kem. Lib. 3. Cap. 15. de Imit. Christi.

Tu vis & nolis — En nunc offero me Tibi in servum perpetuum, meq; totum resigno in beneplacitum Tuum, abiecta de me omni cura & solicitudine — Quidquid mihi evenire permiseris à Divina manu Tua amantissime suscipiam — in tempore & æternitate id volo, quod Tu ab æterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit, sive adversum — vis me premi, abiici, contemni, torqueri, dilaniari, volo & ego, quia Tu vis — vis me inter Beatos ad Tui fruitionem attolere volo, non quia voluptatem indefectibilem adfert mihi, sed vnicè quia Tu vis — Ecce habes quidquid mihi dedisti cor — animum — vitam — sanguinem — intellectum & voluntatem — Nolo cor meum nisi sit Tuum — nolo amare nisi Te — nolo vivere nisi in Te — nolo sapere nisi Te — nolo velle nisi Te — iam totus Tuus esse volo — Vivat semper & regnet super me beneplacitum Tuum quod in omni verbo, actione, cogitatione, & levissimo quoquo motu implere desidero — Domine *custodi*

hanc

hanc voluntatem meam, & *ego faciam omnem voluntatem Tuam* &c. 3. Reg. 5.

CONSIDERA III. Vidisti hactenus vtilitates conformitatis cum velle Divino, vide nunc damna voluntatis propriæ. voluntas propria tyrannus est quæ importabile onus imponit humeris nostris & nos perpetuæ addicit servituti — *Fera pessima est*, quæ devorat *sacrificia & adipes* bonorum operum — sanguisuga est quæ *depascit Divini roris opulentiam* — *Illa natura docet nos non parcere — rationi non acquiescere — non obtemperare saniorum consilio vel exemplo — Non est Dominus crudelis ad illam, non est tyrannus tam impius & inhumanus sic vrgens servulum — inquietum malum — nullum onus importabilius — nulla gravior est sarcina* — Caveamus ergo *à propria voluntate tanquam à vipera pessima & nequissima, quæ sola deinceps damnare possit animas nostras* — Quis ad hæc non exhorrescat? — quis hac duce, quæ cæca est, impingere non timeat? — quis execrandam hanc Sphyngem non detestetur nec fugiat? &c. S. Bern. serm. 19 in Cant. Idem serm. de relinq. propr. volunt.

Dic mihi ô Anime quis melius novit domare passiones voluntatis propriæ, Christus Filius DEI, an tu? — qui tamen nec minimum jota prætérivit à lege voluntatis Paternæ quominus illam adimpleret:
Ioan. 6 *Descendi* inquit *de Cælo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me*
Ioan. 4. Et *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me*, tu subditus DEO, cum sis nec cum illo Evangelico Di-
Matth. 8. scipulo resolveris: *Magister sequar Te quocunque ieris* — nec qua religiosus cum Heli Sacerdote: *Dominus est quod*
1. Reg. 3. *bonum est in oculis suis faciat* — nec qua miles Christi cum Iacob: *Dominus faciat quod bonū est in conspectu suo* — nec qua Aulicus DEI cum David:
2. Reg. 10. *Si dixerit mihi Dominus non places: præsto sum faciat quod bonum est coram*
2 Reg. 15. *se* — nec quà servus eius cum Iuda Machabæo: *Sicut voluntas fuerit in Cæ-*
1. Mach. 3 *lo sic fiat* — nec qua Frater Christi: *Pater mi si non potest calix transire nisi*
Matth. 26 *bibam illum, fiat voluntas tua* — Non te terreat quod idem Salvator ait: *Non*
Matth. 7. *omnis qui dicit mihi Domine Domine*

intrab

intrabit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in Cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum? — Non erubescis ô Christiane, non trōtem ducis refractariè, vel ad unius Ethnici Philosophi Epicteti exemplum & sententiam: *Appetitum meum obedientem præbui DEO — vult ille me febricitare? volo & ipse — vult me aliqua re potiri? volo & ipse — Non vult? Nolo — mori me vult? mori igitur volo* &c.

Epist. Lib. 3 differt. Cap. 10. paulo ante fin.

An moveat te tam insignis ad resignandā voluntatē tuam DEO, resolutio, & ne te confundat in supremo die, Gentilis, nutus Divinos (vtinam in omnibus) observa — *nam & pro modica hac voluntate quam nunc sponte deseris habebis semper voluntatem tuam in Cælis — ibi quippe invenies omne quod volueris — ibi voluntas tua vna semper cum DEO nil cupiet extraneum vel privatum* — O si in praxi diceres tibi DEUS: Hoc volo te pati &c. nonne libenter Beatorum more velle Divinum expleres, qui plusquàm de gloria qua donati sunt, de adimple-

Th. à Kem. Lib. 3. Cap 4. de Imit. Christ

ta voluntate DEI lætantur — hac cō-formitate te insigniri cura qui quotidie dicis, ut vere dicas: *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra* — *Fuge hanc sanguisugam* clamat Bernardus *propriam voluntatem & omnia reliquisti* — *hæc enim omnia* (bona ut consumat, mala ut foveat) *trahit ad se* — *depone illam & jugum tam importabile quàm multiplex abiecisti!* — sic habebis perpetuam pacem & quandam in terris beatitudinem si omnia ad amussim & perpendiculum Divinæ
Esth 9. voluntatis perficias? — e contra *Quis restitit ei & pacem habuit &c.*

O si possem *quæ placita sunt ei facere semper!* — O si DEUS de mē gloriari: *Inveni virum secundum cor me-*
1. Reg. 13 *um qui faciet omnes voluntates meas* —
Ps 142. *O Domine ad Te confugi doce me facere*
Act. 9. *voluntatem Tuam?* — Ostende *Domine quid me vis facère?* — quomodo per indifferentiā obstacula omnia & impedimenta quæ me à velle Tuo SS. auellere possent, valeām auferre — quomodo pravos affectus & illicita desideria quæ me in bonis proposi-

tis impediunt efficaciter possim cohibere — *Concede mihi Domine DEUS vt vincam pessimam naturam meam trahentem ad peccata & perditionem* — *velle bonum mihi adiacet perficere autem non invenio* — *sape multa bona propono sed ex leui resistentia resilio & deficio* — *viam perfectionis agnosco & qualiter agere debeam clare satis video, sed propriæ corruptionis pondere pressus ad perfectionem non assurgo* — O Pater pientissime instrue, dirige adiuva me in omnibus, vt nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod Tibi sit acceptũ — In omnibus non magis mihi placeat mea operandi libertas quam Tua voluntas. &c.

Th. à Kẽp. Lib. 3. Cap. 55. de Imit. Christi.

Finita hora claudes Meditationem cum gratiarum actione pro donis in oratione perceptis iuxta dd. *de Fine Vlt.* præsertim Cap. 8. §. 3. addita hac Resolutione v. g. Quo duces ibo & quo mandaveris explebo *quia servus Tuus sum* Domine. Rosetum: *Iube quod vis & fac quod iubes.*

Reliquas Meditationes non sinit me tempus dilongare, ideoq́ omissis affectibus (in quibus inveniendis & concinnendis operæ pretium, magnitudinem exhaurit temporis) Motiva diversa diversis Ascetarum authoritatibus intertexta subnecto.

MEDITATIO I.

De Zelo Animarum.

CONSIDERA I. velut ad te dictum illud: *vos estis Presbyteri in populo DEI & ex vobis pendet anima illorum*, proinde omni qua potes solicitudine saluti eorum invigila, docendo, monendo, orando laborando, & si opus sit *insta opportune importune, argue, obsecra, increpa*, sed *in omni patientia & doctrina*, & quantum his depravandis studet iniquitas, tantum tu reducendis, stude. Meretur id amator animarum Christus meretur vel vnius animæ pretium. An nescis improbam dæmonis vigilantiam, quâ *circuit tanquã leo rugiens quærens quem devoret*, & alios quaquaversus mittit, vt animas perdant, & æternis secum involvant suppliciis, tu qui eas salvare debes, & potes, temerè in præceps rapi sines? Attende quid dicat Hieronymus: *Si officium vis exercere Presbyteri, aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ; tot namq; tibi coronas paras quot animas salvas*

Iudit. 8. 21.

2. Tim. 4.

1 Petr. 5.

S. Hier. Epist. 10. ad Furiam.

alio-

alioqui dabis animam tuam pro anima fratris tui, quem *lucrari* neglexisti, &c.

Væ nobis *qui locum quidem Pastorum tenemus, sed lucra animarum non quærimus. Officium Sacerdotale suscipimus sed opus officij non implemus. Dominicas oves* depilamus potius & emungimus, dum *ob temporales mercedes* non ex zelo alienæ salutis *in partem Ministerij* involamus. *Relinquunt namque DEUM hi qui nobis commissi sunt & tacemus: in pravis actionibus jacent, & correptionis manus non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus perimentes pariter & pereuntes.* Ah infelices animas! Si pereat nummus? omnes velut illa Evangelica *mulier accensâ lucernâ evertunt domum & quærunt diligenter donec inveniant illum!* pereunt innumeræ animæ, hæreditas tota, DEI Cœli, *& non est qui recogitet corde! Quis dabit Capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo die ac nocte super interfectos populi DEI.* O Christe JESU Salvator

S. Greg. hom. 4. in Evang.

Idem hom. il. 17.

S. Bern. serm. 76. in Cant.

Isai. 57.

Ier. 9.

Mun-

Mundi qui redemisti nos in Sanguine Tuo, & dedisti pretiosam animã Tuam in mortem pro nobis, respice
Isai 5. quæso quia *dilatavit infernus os suum* absq; vllo termino, & lata valde facta est *via quæ ducit ad perditionem*,
Matth.7. & plurimi *ingrediuntur per eam: angusta* autem est via *quæ ducit ad vitam & pauci Ingrediuntur* per illam, ideo *de*
Thren.2. *fecerunt præ lachrymis oculi mei & conturbata sunt viscera mea, effusum est in*
Thren.1. *terra jecur* meum, quia *facti sunt hostes nostri in Capite & inimici nostri locupletati sunt, propter multitudinem iniquitatum nostrarum, & qui se debuerant ponere muros pro domo Tua Principes populi Tui abierunt retrorsum &c,*

CONSIDERA II. Pretium vel vnius alioqui vilissimæ tibi animulæ, pro qua (ex revelatione B. Carpo Episcopo & vnanimi Theologorum consensu) D. JESUS in terras de-
S.Diony: scendere, & *pretium Sanguinis* sui cum
Areopag. tanta copia meritorum & tormentorum quâ paravit salutem totius mundi, profundere paratus est. Ah quantum tu abes à zelo Conditoris tui

qui

qui nec linguam nec pedem moves pro anima proximi tui? *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, te non tantum aliena perditio non vulnerat, sed vix tua; nonne ideo *reus eris Sanguinis Domini?* Jlle *proprias oves vocat nominatim*, tu commissas tuæ curæ ne quidem nosse vis, & quomodo de alienis adimplebis illud: *unicuique mandavit DEVS de proximo suo?* Jlle ovem erraticam propriis humeris defert *ad locum pascuæ*, tu *unicam* DEI miserè per incuriam perdere audebis? O Mercenari non Pastor tu balantem oviculam & tuum implorantem auxilium dabis in prædam lupis infernalibus? In salutis negotio *DEI sumus adiutores* dixit Paulus, tune ille *adjutor in tribulatione* qui vix *lupum venientem* conspicis & fugis? hæccine est perfectio *in partem ministerij vocati*, quam tu profiteris? hæcne obligatio tua? hic zelus Apostolicus quẽ tu sequeris? Non te pudet prænominati iam Pauli qui *optabat anathema esse à CHRISTO pro Fratribus suis?* Non Moysis qui sine populo suo salvari Ioan. 10 1. Cor. 3 Rom. 9

Exod. 32. vari renuit: *Aut dimitte eis hanc noxā aut si non facis dele me de libro Tuo quem scripsisti?* sicut & Magnus ille
Brev. Rom. vlt. Jul. *venator animarum* Ignatius *auditus aliquando dicere: Si optio daretur malle se beatitudinis incertum vivere & interim DEO inservire, quam certum eiusdem gloriæ statim mori:* sciebat enim *Divinorum omnium Divinissimum esse cooperari DEO in conversione animarū &c.*
Dionijs. Carth.

Nemo ergo alium contemnat &c. *sed potius propter DEUM iuvet & instruat inquantum valet, sicut sibi ipsi fieri desiderat quando indiget: Qui enim debilem in fide fac: verbis confortat panem Cæli languenti porrigit. Qui tristem consolatur, potum vitæ sitienti propinat. Qui iracundiam sermone blando mitigat, favo mellis linguam eius vngit, ne duris morsibus aliquem lædat. Qui dissolutum tacere facit, magnam pacem inter Fratres devotos generat.* O si vel in hoc Legislatoris mei Augustini vota adimpleam qui cum sit ardentissimus zelator animarum, tanti eas fecit, quanti pretium animarum, Divinum *laborem & dolorem* taxavit!
Th. à Kem in vall. Lilior Cap 23.

vti-

vtinam sanguinolentis Caroli Borrho-
mæi vestigiis in negotio salutis hu-
manæ insistam, quem non adeò Prin-
ceps Familia non Purpura Cardinali-
tia clarum mundo fecit, quàm DEO
charum animarũ cura reddidit. vti-
nam vel Philippi Nerei Spiritum Ec-
clesiasticum assumam, *qui in anima-
rum salute totus fuit!* O *Abba Pater*
dulcis JESU qui *nil tam studiose affe-
ctas, nec tam* Tibi *gratum est, quàm sa-
lus animarum* perfice in me desideri-
um Tuum &c. S. Ioan. Chrisost. hom in Genes.

CONSIDERA III. Præmium E-
*vangelizantium pacem, Evangelizantium
bona,* ex zelo animarum I. Maiori
claritate vultus sui micabunt in Cæ-
lo juxta illud: *Qui docti fuerint ful-
gebunt quasi splendor firmamenti, & qui
ad justitiam erudiunt multos quasi stella
in perpetuas æternitates.* II. Chario-
res sunt DEO qui cooperantur ipsi
in salute animarum, & *jam non dicit
servos sed amicos* tales de quo clare
illud: *Super omnia opera pretiosiores
æstimat DEVS animas, quanto magis
credibile est ut super omnia bona præ-* Auth. imp. perf. op. hom. 55.

consti-

constituat eum, qui confert DEO lucrum animarum? III. Evidentius *in Christum DEI* suum amorem probant, qui in cura animarum strenue laborant, ex mente Chrisostomi: *Nil adeo declarat quis sit fidelis & amans Christi quàm si fratrum curam agat, hoc maximum erga Christum amicitiæ argumentum.* Si enim verum est quod aliquando peroravit Tullius Romanus: *Homines apud DEUM nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando,* quanto magis verum erit illud: quod prophetavit vates Divinus: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* &c.

S. Joan. Chrisost. hom. 31. ad popul. Antioch.

Cic. Or. pro Q. Ligar.

Jer. 15. 19

MEDITATIO II.

In gratiam Religiosorum,

De vocatione ad statum Regularē

CONSIDERA I. *Quanta fecit animæ* tuæ Clementissimus DEUS per vocationem ad Religionem. Antequam Congregationem Iustorum intrasses, similis eras *stantibus tota die otiosis,* quos *nemo conduxit* & vtinam otiosis tantum, & non supra modum

Matth. 20

flagitiosis? quem nihilominus DEUS tot annis patienter sustinuit, peccantem dissimulando expectavit, persistentem in flagitijs in infernum non coniecit, pro malis bona reddidit, & beneficia tum communia omnibus tum tibi soli specialia non negavit. Nec solum hoc sed aliquoties vocabat te & non audiebas, *extendebat manus suas tanquam ad hominem non credentem & contradicentem*, & renuebas, & si aliquando ad mentem redibas, post modicum, bonæ vitæ pertæsus, ad consueta flagitia repedabas: ipse nihilominus patienter agebat, propter te, *nolens te perire, sed cupiens te ad pœnitentiam reverti* &c. 2.Petr.3.

Et tandem (ô beneficiorum maximum) post tot peccata cum *paucis electis* vocavit te *ad vineam suam*, Religiosam scilicet vitam, & bonam voluntatem principium omnis boni vt sibi vocanti obedires immisit, ad iter perfectionis vocatione congruâ te allexit, & te ei efficaciter respondere fecit. Vocavit te *de tenebris & umbra mortis in admirabile lumen suum* &c. 1.Petr.2.

& tanquam alterum Noe te eripuit de diluvio, tanquam Abraham de Ur Chaldæorum, tanquam Lot de Sodomis, tanquam Israel de servivitute
Iere. 31 Pharaonis & *attraxit te miserans.* E duxit te de Iericho in Ierusalem, de ' Babylone in Sion, de Ægypto in
Petr. Blef. ' terram Promissionis, de terra Sal-
serm. 32. ' suginis ad terram habitabilem, de ' loco dissimilitudinis & horroris, ad ' domum lætitiæ & salutis, de fame ' spirituali ad refectionem, de præ- ' varicatione ad gratiam, de munda- ' nis anxietatibus ad quietem, de bello ad pacem nam inanibus curis immergebaris, concupiscentiæ igne accendebaris, pessimis hominibus quorum exemplo caderes, cingebaris, & dæmonis servitute premebaris. Extraxit te de naufragio huius *mundi* qui totus *in maligno positus est*, & te per portas quinq; sensuum oppugnabat & non raro expugnabat. In summa de innumeris malis liberavit te, quæ deesse non possunt in mari sæculi, in deserto mundi, in exilio profanæ vitæ, & quidem fecit ista non
roga-

rogatus sed ingratitudine incredibili infinities oppugnatus & mille peccatorum generibus ad te deserendum, provocatus &c.

Confiteantur ergo Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum quia contrivit portas æreas & vectos ferreos confregit, quia non dedit te in captionem dentibus eorum, quia animam tuam sicut passerculam eripuit de laqueo venantium. Laqueus contritus est, tu liberatus es, & adjutorium tuum in Nomine Domini &c. Psal: 105 Ps. 123.

CONSIDERA II. Bona Status Religiosi. Decus Parisien: Canoniæ de S. Vict: Hugo, dicit: *Religionem Monasticam pauperi esse abundantem, mediocri sufficientem, tolerabilem diviti, infirmis largam, delicatis compatientem, moderatam fortioribus, pænitentibus misericordem perversis severam, bonis optimam. Item suavem esse & mitem & quietam & severam*, ibi enim *homo quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, vivit purius cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, moritur confidentius, remuneratur copiosius*. Religi- Hugo de S. vict. Tom: 2. Lib. 1. Cap. 9. S. Bern. serm. ad Fratr. de mont.

ligionis ingressus ex sensu SS. Patrum
S. Athan. in Vit. S. Anton. æquiparatur Baptismo, eo quod mundatum à mundi malis regeneret in
S. Hier. Epist. 25. perfectiorem vitam, *& renovet in novitate spiritus iuventutem* tuam, quid putas perseverantia in Religione erit?
Homil. 20. in Ezech. Religionis ingressus ex mente Gregorij M. excedit omne genus pœnitentiarum & satisfactionum etiam publicarum æq; sicut holocaustum,
S. Bern. serm. 30. in Cant. alia sacrificia, nonne excedet magis Religiosa vita hæc omnia, quæ iuxta plurimos *Crux & Martyrium* est di-
Petr. Bles. serm. 8. cit, Kempen: *Potest quilibet in ordine & statu suo religiose & devote vivendo*
Th. á Kēp. part. 2. serm. 1. ad Novit. *palmam Martyrij obtinere, si contra vitia sua fortiter certat, si pro adversantibus & detrahentibus orat, si Castitatem illibatam strenue servat, si obedientiam vsq; ad mortem exemplo Christi custodit, si de omnibus terrenis & necessarijs huius vitæ, semper minus quam plus habere desiderat, & beneplacitum DEI in omnibus quærit & suum velle relinquit.* Si Dominus in Evangelio amplissi-
Matth. 19 mam retributionem repromittit pro facultatibus distributis in pauperes

quid

quid non dabit pro toto te, scilicet pro abdicatione propriæ voluntatis: quid erit eis *qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum?* Non dubium quia pro continentia *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem, quâ etiam possit subijcere sibi omnia?* Pro abnegatione tui voluntatem tuam præposterã in suam rectissimam transmutabit: pro exiguis facultatibus & vmbratilibus, ineffabiles & stabiles delicias non negabit &c. S. Io Chr. hom. 63 in Matth sub med. Philip. 3.

O sedes felicissima Beatorum, ô beata Civitas Iustorum Religio! *vere non est hic aliud nisi Domus DEI & porta Cæli.* Tu Paradisus deliciarum cœlestium, quibus tuos lactas & nutris habitatores. Tu es pignus salutis ad quam tuos disponis & præparas cultores. Tu naufragorum Portus vbi ceu in fida statione conservas mundi viatores. Tu lignum vitæ *de quo edere habent potestatem, fructum salutiferum* tui sectatores. Tu Domus Pacis vbi tuos *à conturbatione malorum & dolore* præservas amatores. Vere Ca- Matth. 1

ſtra DEI ſunt hæc, *in* quorum *medio Dominus Exercituum congregatis in Nomine* ſuo cohabitat, vt *ab omni malo defendat. Horum greſſus non ſupplantabuntur ab adverſario diabolo, nec à mundi blandimentis, nec à proprijs concupiſcentijs, neq; ab aliorum laudibus aut vituperijs ſeducentur; nam dextera DEI protegit gradientes in ſimplicitate cordis, ſub alis ſuis, & omnia quæ dixerint & fecerint ad maximum eis proficient meritum & præmium ſempiternum.* &c.

Th.Kemp. part. 2. ſerm. 3. ad Novit.

Benedictus DEVS qui vocavit vos de præſenti ſæculo nequam, in quo periclitantur multi in corpore & in anima ſequentes carnis deſideria & fugitivos honores. Ecce Religionem intraſtis, ſponte proprijs renuntiaſtis & quodammodo mundo mortui eſtis, aut quaſi mortuos in ſepulchris vos reputare debetis. Hoc etenim Habitus veſter foris oſtendit, & fama de vobis tranſit quod de mundo non eſtis ſed Filij DEI Excelſi omnes. Videte ergo vocationem veſtram ad Congregationem iſtam à DEO paratam, in qua promereri poteſtis brevi tempore cum modico labore vitam æternam. Magnus

Idem. Ibid. ſerm. 2.

quidem *labor est certare quotidie contra passiones & vitia, sed præmia maxima vincentibus sunt promissa. Magna est super nos magna valde misericordia Tua DEVS noster, quos tam ineffabili dono gratiæ eripuisti à vana conversatione sæculi huius, in quo eramus sicut oves errantes.* S. Bern. Serm. de ingratitud *Et unde hoc mihi* vt me præ aliis de mundo vocares, de Ægypto in terrã Sanctam, de Sodoma in montem Segor, de mari naufrago in portum? *Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones eius, sed redde Altissimo vota tua.* Ps. 102. Psal. 49. Confortare in bono proposito cum Psalmista: *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam &c.* Ps. 131.

CONSIDERA III. Quam beatus sis qui ad perfectionem tot habes auxilia, quot alii ad eandem tamen obstricti, habent impedimenta; maxima autem, ea sunt: voluntas propria, voluptas, & opes; contra quæ tribus te obarmas Religionis votis, & velut tribus clavis carnem tuam affigis mortificationis Cruci, & per hoc multum mereris apud DEUM

quam sine votis. Qui enim amore DEI v. g. Castitatem servat, vnam tantum exercet virtutem nempe continentiã, qui vero servat Castitatem ex voto, exercet virtutem continentiæ & Religionis simul. Hinc Religio ad quam vocatus es non ineptè
Isai 5. dicitur *vinea magna Sabbaoth* tu verò (ni irregulare vivas) *germen eius delectabile*; vberiores namq; virtutum botros parturis in Religione, qui nec uvas boni propositi in sæculo germinasti: *& fructum affers in patientia* qui in omnem licentiam olim effusus, labruscas procreare natus es. Sed cave ne in hac vinea, vitis naturam in omnibus imiteris, hæc enim folliis & pampinis ornata omnibus quidem arboribus pulchrior est; at spoliata, omnibus deterior, & deformior invenitur, & e terra, evulsa nulli vsui prodest nisi *vt in ignem mittatur*. Quid
Ezech, 15. enim aliud *fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna sylvarum*? Non aliter Religiosus, quamdiu vitæ Regularis præeminet observantiâ, tamdiu DEO charus & hominibus

nibus amabilis eſt, ſin minus, vniverſis odibilis eſt & contemptui habetur, & ſenſim ſine ſenſu per mentis aridicatem inutilis factus, ardori ſempiterno reſervatur. Heu quisquis talis es *miſerere animæ tuæ placens* DEO, ne poſt tempus lamentari incipias: *væ mihi quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum, immaturas ficus deſideravit anima mea. Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt* &c. Eccli. 30. Mich. 7.

In ſupplementum Meditationis iſtius vide Th: à Kempis *part:* 1. *ſerm.* 3. & 5. *ad Novit.* & Hortulum Roſarum *eiusdem Cap.* 9.

MEDITATIO III.

De voto Paupertatis.

CONSIDERA I. Paupertatem voluntariam eſſe velut pretioſiſſimum quoddam margaritum cui *Simile Regnum Cælorum* dicitur: *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Niſi enim paupertas ſignata eſſet in Theſauris Divinis nunquam ad eam quærendam DEI *Filius* de Cœlo deſcendiſſet, qui *cum dives eſſet* Matth. 13. Matth. 5. 2. Cor.

adeo *factus est egenus* vt *non habuerit* Matth. 8. *vbi caput suum reclinaret.* vnde nec in domo sed in stabulo, eoq; alieno nasci voluit; & licet in manu haberet *omnes fines* terræ vtpote Imperator & vnicus hæres vniversi, nihilominus aliorum eleemosynis vivere & stipem mendicatim quærere, pauperem habere Matrë & Patrem, nempe fabrum, pauperes item discipulos: in paupertate demum & nuditate vitam claudere non erubuit. *Attendant hæc pauperes & lætentur, audiant mites & consolentur quia ad consolationem pauperum Rex noster D. IESVS Christus, cum esset dives & omnium Princeps, pauper pro nobis factus est & patiens, vt sua paupertate nos divites faceret in gratia, & de exiguis magnos in gloria. Ipse igitur in similitudine pauperis venit ad homines, pauper vixit inter homines, pauper obijt pro hominibus. Qui pendens nudus in Cruce non habuit vbi Caput suum reclinaret, vel manum aut pedem vsquam moveret. Quis huic pauperi in omnibus indigentijs similis? vere nullus &c.* O bona pauperies nisi te DEUS ante

Th. á Tem. Conc. 29: de Dom: Palm.

Idem in Vall. lilior. Cap. 19.

ante tulisset tunc tua duritiis cunctis despecta fuissent. &c.

Pretiosa virtus voluntaria paupertas assumpta à Christo, cuius merces æterna permanet cum Angelis in Cælo quo fur non appropiat ad furandum, nec raptor ad prædandum, neque latro ad occidendum. Magna libertas animæ fidelis quæ nil proprietatis habet in aliqua re mundi propter regnum DEI & amorem JESV Christi sed omnia possidet in Christo qui pro nobis pauper & dolens factus est. O si tu hunc perfecte amares, nudũ & inopem sequi prompte & accurate non erubesceres & *omnem angustiam paupertatis in igne charitatis consumeres. Dulce est amanti compaurari Filio DEI: leve est omne onus quod charitas tolerare jubet; nec erit cuiquam labor durus qui charitatis pane fuerit confortatus. Bene locutus es Domine fiat quæso sicut dixisti. Qui dedisti consilium fer & auxilium. Efficiatur totum suave quidquid videtur carni grave; & onus leve quod tam ante videbatur importabile &c.* Idem Opusc. Cap. 1. de tribus tabernac.

CONSIDERA II. Non ita esse miseram Paupertatem quominus habeat

S. Greg. hom. 15. in Evang. Matth. 19. beat suas! & quidem veras divitias iuxta illud: *Si vis perfectus esse vade vende quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in Cælo.* vnde apposite decantat illud, Ecclesia: *Martinus hic pauper & modicus Cælum dives ingreditur* &c. Et pauperculus Franciscus non ineptè Paupertatem Dominam suam dictitabat, non nescius ornatam esse preciosissimis supernarum gratiarum monilibus, associatam velut Reginam virtutum obedientiâ & Castitate iuxta illud Th: à Kemp: *Paupertas & duæ prædictæ sorores eius, sunt* Th. à Kemp. sup. cit. *præcipua vota Religionis.* stipatam humilitate, patientiâ modestiâ cæterisq; virtutibus vt consideranti patebit. O *Sancta & laudabilis Paupertas quibus* Th. Kemp. cit. *te laudibus efferam, quomodo te appellabo, & quibus modis te amicis meis recommendabo?* non aliis certe nisi sincero amore, perpetuo cultu, & fideli observantia. Numquid enim *ab Abbate Christo cui configi Cruci cum vitijs & concupiscentijs iuravi & statui* discrepare præsumam? Rectene à Fundatoribus Professionis meæ Apostolis,

lis, degenerabo? *amatorem pauperta-tis* quem *collaudant pauperes* AUGUSTI-NUM (qui cum sit liberrimus Vti Præsul à voto Paupertatis nihilominus *Testamentum nullum fecit quia unde faceret pauper Christi non habuit* erubescam, & ab eius legibus sanctissimis abhorrebo? &c.

O quam magna virtus abdicata paupertas nil habens in proprio, quæ animæ aperit Cæli portam, auget gloriæ coronam, & cum Martyribus meretur accipere patientiæ palmam, post huius vitæ angustiam in Christi servitio consummatum. Nam hoc est veraciter & fideliter Christo servire, pro eius amore penuriam & alia multa incommoda sustinere &c. Noli ergo pauper nimis contristari cum inopiam pateris, nec indignari si derideris, aut ab amicis tuis relinqueris. Converte cor tuum ad Christum pauperem pro te factum & infirmum, quære solatium tuum à DEO solo, si optas semper esse in gaudio; nam omnia alia solatia foris quæsita nulla sunt, nec durant nec sufficiunt, quantumcunque videantur magna &c. Th à Kem- in vall. lil. or. Cap. 18.

CON-

CONSIDERA III. Quod pauperes Christi non tantum Bona sempiterna appromissa sibi de præsenti possidere videantur, verũ etiam commodis non destituantur temporalibus vt de eis fideliter verificari possit: *Nihil habentes & omnia possidentes* (2.Cor. 6.) *Habentes* quippe *alimenta & quibus tegamur his contenti sumus*, (1. Tim. 6.) ac contenti non sunt sectatores mundi, qui quo plus habent, plus desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad veram animi quietem nunquam perveniunt. Præterea *in multis periculis & curis quotidianis sunt divites huius saculi, à quibus liber est servus Christi renuntians omnibus quæ sunt mundi.* (Th. à Kem in vall. lili-or. cap. 19) In super etiam in præsenti *omnium rerum quas dimisimus centuplum nobis reddi* videmus, ex quo reliquimus modica, (S. Hier. Lib. 3. in Matth. Cap. 19.) plurima & maxima recepimus, pro vno parente multos patres, & pro paucis propinquis Fratres plurimos invenimus, & pro vna vel altera domo tot alias & quidem nobiliores possidemus, in quibus mira Divinæ Providentiæ experimur documenta,

Si contingat infirmari? maiorem curam animæ & custodiam circa nos quoad corpus habemus; si mori? plura suffragia; & post mortem *recipimus pro parvis magna pro terrenis Cœlestia pro temporalibus præmia sempiterna* Orat. Eccl.

O vere Domina Paupertas quæ suos cultores plus quam Regiè! de præsenti & de futuro remuneras! ô beata omnium possessio quæ si Paupertas diceris, ideo, quia in tuos sequaces omnia cum Regno DEI liberalissime profundis &c.

Jn supplementum Meditationis lege *Opusc.* 9 *Cap.* 1. Thomæ Kempen. *de tribus tabernac.*

MEDITATIO IV.

De Obedientiæ voto.

CONSIDERA I. Non tibi debere videri durum Obedire pro DEO spectato exemplo Filij eius vnigeniti, qui pro te æterno Patri *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Magnum revera mirabile est *Obedientia ad sanguinem* quæ te non tangit, *sed hoc amplius mirandum est & omnibus nobis propositum ad imitandum* Th. à Kemp. part. 2. serm. 9. ad Novit.

dum quod DEUS homini obedivit, servivit, & ad vilia & infima se humiliter inclinavit, ne alicui quantumcunq; magno, docto, vel nobili, grave sit obedire maiori, aut etiam æquali vel minori, cum Christus hæc omnia prius fecerit; obedivit namq; IOSEPH & MATRI relinquens Templum & Doctores, ubi poterat habere favorem & honorem, descenditq; cum Parentibus in Nazareth & erat subditus illis, vbi multis amicis quàm magnus esset, mansit diu incognitus. Et quod adhuc admirabilius est *obediente DEO voci hominis* tibi ipsi obsecundat, toties quoties invocas eum, quamvis ingratissimus in tuo munere & Ordine, Mista. Attende: Nonne & omnia pariter cum illo obediunt tibi, vt tu obedias ei? tu autem non revereberis rebellare eidem? Tune pro tuo arbitrio vivere audebis *subditus DEO & hominibus* cum sis, cum Cœlestis Abbas JESUS CHRISTUS tantopere stringi obedientiâ non dedignatur? O duræ cervicis homo! ô intractabile subiectum. Usquequo excutere præsumes *jugum Domini suave*

Iosue 10.

Matth.

vt te arctes in inferno acriori. &c.

CONSIDERA II. Emolumenta Obedientiæ ex Th. Kemp: 1. Qui vult summæ perfectioni cito propinquare studeat ante omnia obedientiam servare. Omnia enim opera bona ex simplici obedientia propter DEVM facta DEO sunt gratissima & maximâ remuneratione digna in Cælo perpetuo coronanda. Agat bonum aliquis ex propria voluntate & minus erit, etiam nonnunquam culpabile. Dimittat ex obedientia bonum & fiet maius. Sine obedientia aut parva aut nulla sunt opera nostra æstimanda aut ponderanda, cum humili & prompta obedientia etiam complacent DEO valde parva & vilia servitia, ex charitate pro vtilitate communi facta. Sive ergo obediens orat, sive laborat, sive vigilat, sive dormit, sive loquitur, aut tacet, sive stat aut ambulat, sive scribit aut legit, sive intrat aut exit, sive comedit aut ieiunat omnia ex virtute obedientiæ in bonum & ad meritum ei convertuntur; hæc enim velut virgula Midæ etiam indifferentia opera inaurat &c.

De discipl. Claustral. Cap. 4.
Idem part. 1. serm. 7. ad Novit.
Idem Opusc. 5. Cap. 3. de tribus tabernac.
Idem in hosp paup. Cap. 5.

II. Cito erit in pace qui cito se subijcit & obedit; sicut è contra tamdiu erit lis in homine quamdiu manserit in propriaq; voluntate, iuxta illud: Vir obediens loquitur victorias, & qui recalcitrat stimulum patietur & cadet. Securissima via ad Cælum est stare in obedientia & vivere sub disciplina, nec propria vti libertate.

Idem in Exerc. spir. Cap. 12.
Prov. 21.

Qui

Qui perfectè se subjicit homini propter DEVM, dabit ei Dominus gratiam specialem in præsenti & exaltabit eum in gloria Sanctorum. Nemo tam quiete vivit, nemo tam securè moritur sicut verus obediens & in omnibus DEO & hominibus subiectus. Igitur semper in gaudio est & erit in pace memoria illius qui seipsum vincit, abnegat, spoliat, & vilificat, & ad obediendum propter DEVM, DEO & eius vicario, corde & animo, omni hora sponte se resignat.

Idem in hosp. paup. Cap. 5.

III. *Homo obediens homini propter DEVM maximum honorem DEO facit, & ei placet. Abnegatio namq; propriæ voluntatis cum vera humilitate cordis subdita Prælato & consilio sui Superioris omnia temporalia lucra & vtilitatis argumenta superat & præfulget laude æterna.* Nec mirum quia alia vota, bona externa & corporis commoda obligant DEO; obedientia vero interna animi bona (quæ longe præstant corporis commodis, & bonis fortunæ) consecrat eidem. Hinc etiam in Divinis literis Obedientia antefertur victimis & holocaustis: *Melior est Obedientia quam victima* quia per victimas aliena caro mactatur per obedientiam verò propria voluntas & libertas, quâ nihil pluris in mundo æstimatur. In sum-

Th. à Kēp. part. 1. serm. 7. ad Novit.

1 Reg. 15

S. Greg.

summa *Obedientia, est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita sine solicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo,* suo onere aliis imposito, & super aliorum vlnas ne mergaris natare. Monet proinde Paulus: *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri vt cum gaudio hoc faciant & non gementes* &c. Climac. Grad. 4. Hœbr. 13

IV. Omnis qui propter DEUM sponte obedit opus fortissimi militis facit quia contra seipsum certat & Divini timoris gladio propriæ voluntatis motus enecat ideoq; *fortior est expugnatore vrbium quia dominatur animo suo.* Magnum certamen est seipsum vincere; gloriosus triumphus cervicem superbiæ flectere, proprium videre relinquere, propriam sapientiam deponere, & in nullo se velle ostentare &c. Ideoq; cum Martyribus coronam perennis gloriæ accipiet qui viriliter certavit & vivit. Quicunq; ergo superiori aut etiam in- Th. à Kēp. part. 1. serm. 7. ad Novi. Prov. 16.

feriori humiliter obedit & sensum suum alterius sensui libenter subijcit iste nil perdit sed cedens alteri amplius lucratur. Omnis qui se sic humiliat & vincit Caput superbi Luciferi conculcat, qui contraria humilitati suadet, ne homo alteri cedat sed ad argumenta callida se vertat. Cur hoc? ne tacendo foris vilescat & quasi fatuus aut inscius appareat quia se defendere nescit aut superari permittit. Heu superbia quam cæca & fatua sēper, quàm longe devias à Regno DEI & præcipitanter curris ad portas inferni. O quanta bona & laudabilia dicta sunt de te humilitas sanctá, semper obedire paratis &c.

1. Reg. 15. *CONSIDERA* III. Quam grave sit obedire nolle patet in Saule, &
3. Reg. 13 Propheta in Bethel, filiis Core, Israelitis, Maria sorore Moysis, Adamo &
Num. 26. Eva, de quibus Noster Kempen? *Qui*
Genes. 3. *hanc* (obedientiam) *elegit & tenet, recto cursu ad patriam tendit, quam Adam & Eva inobediendo amiserunt. Exemplis igitur Christi & Sanctorum eius studeas simpliciter & pure obedire propter Christum*

Th. à Kem. de discipl. Claustral. Cap. 4.

ſtum, propter conſcientiam & bonam famam, propter pacem cordis & æternæ vitæ gloriam promerendam. Credas tibi ſalutare quidquid ſuperior præceperit, nec de maiorum ſententia iudices: tuum officium eſt obedire & implere quæ iuſſa ſunt dicente Moyſe: Audi Iſrael & tace; qui enim propter rationem obedit, ſibi obedit & rationi, non ſuperiori, adeoq; obediens non eſt; quemadmodum qui ob rationem ſolam credit, fidelis eſſe non poteſt. Clamat proinde Kempen: *Mortificate filij mei mortificate proprias voluntates, proprium videre, proprium conſilium, & omne pravum & carnale deſiderium, Occidite inimicos iſtos, aliòqui ipſi occident vos. Erunt vobis ſudes in oculis, lancea in latere, ſerpens in via, & vrſa in ſemita ſi non occideritis eos.*

Idem in Exer ſpir. Cap. 12.

S Hier. ad Ruſtic.

Th. à Kem Opuſc 5. Cap. 3. de tribus tabernac.

In ſupplementum Meditationis vide eundem Th. à Kempis de diſcipl: Clauſtralium Cap. 4.

MEDITATIO
De voto Caſtitatis.

CONSIDERA I. Quam pretioſum clenodium, quam nobile marga-

garitum sit castitas virginalis *indicant virginum continentiumq́; magna certamina, & vincentium perseverantiumq́; paucitas facit eminentiam huius virtutis lucere magis.* Collige dignitatem eius ex precio quod pro ea sapientissimi dederunt. Quod Sancti & Sanctæ Virgines pro hac ex Christi amore vitam prodegerunt. Aspice Agnetes, Catharinas, Barbaras, re & nomine Margaritas, & totum Virginum Chorum; an hos an mundum falli putas? Quodsi Martyrium iis defuit, domesticum quæsierunt, id est mortificatione durâ, & asperâ vitâ comparare & servare puritatem studuerunt. Ipse immaculatus Agnus CHRISTUS JESUS non aliam sponsam habere voluit præterquam castitatem; non aliam Matrem nisi Virginem, de quo eleganter Kempen: *Tam suavis & inæstimabilis odor inest Castitati ut æterni Regis Filius de sola nasci dignatus sit Virgine, consecrans hanc in Matre quam detulit postmodum in dotem Sanctæ Ecclesiæ. Hæc est formosa columba ac singularis amica Creatoris omnium, quæ contemnit*

Th. à Kemp. serm. 4. ad Fratr.

Idem ibid.

temnit

temnit consortia mortalium, detestatur omnem carnis saniem & ad Cœlestem properat amatorem. Ipsa lilio assimilatur candidissimo, byssino figuratur mundo, & species eius semper placuit Altissimo. Hujus candore reficiuntur Sanctorum oculi & odore famæ eius trahuntur ad Christum innumerabiles Virginum Chori, & sequuntur Agnum quocunq; ierit. Odor enim eximius est in vestimentis eius, quia Castitas spargit vbiq; fragrantiam sui intacti corporis. Iam patet quia Castitas de Cælis sumpsit originem, & à consortibus nobilissimis traxit progeniem cum Filia sit Cœlestis Ierusalem & cognata supernorum Civium &c. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, qua Cælum replet incorruptionis suavitate, & fæcundat terram conversationis sanctitate. Quam splendida & speciosa facta es beata Castitas, vt digna videaris ad Agni intromitti nuptias. &c.

CONSIDERA II. Quod Castitas quoad fieri potest restituat hominem in pristinum statum in quo conditus est, eâq; puritate ornet quâ claruit in Paradiso terrestri, hoc

est vt pars inferior, non obstrepat superiori hoc est rationi, & per hoc Angelis simillimos homines reddat. imo vt affirmant SS. Patres superiores Angelis, quorum quidem Castitas felicior est & connaturalis, sed illorum fortior quia libera & voluntaria adeoq; meritoria ob continuam luctam cum carnis stimulis & dæmonis suggestibus &c. docente nostro Kempen: *Castitas multos habet impugnatores, sed qui veraciter se humiliant & DEVM adjutorem solicitè quærunt, ac sensus suos cautè custodiunt, victoriam Christo duce obtinebunt.* Si ergo aliquando *Moyses famulus Domini miratus est quare rubus ardebat & non comburebatur atq; ait vadam & videbo visionem hanc grandem. Quis ex nobis est quem stupor non apprehendat, quomodo in carne fragili, in vase fictili fieri possit vt homo carnali gravatus pruritu, frequenti vexatus tentationum impulsu nunquam præstet voluptuosæ cogitationi consensum? O quam mirabilis DEVS in Sanctis suis qui talem virtutem & fortitudinem contulit servis suis, benedictus*

S. Bern. Epist. 24. & S. Chrisost. de Virg. Cap. 79.

Th. à Kemp. de discipl. Claustr. Cap. 12.

Idē serm. 1. ad Fratr.

in aeternum DEVS. Opus namq; magnae
fortitudinis est talem in seipso experiri
rebellionem, & continuo per gratiam DEI
de se conari habere victoriam. O quàm be-
ne est custoditus & armatus contra diaboli Idem
insidias & malas cogitationes ac turpes ima part. 2.
ginationes, qui imaginem crucifixi habet serm. 4.
in corde fixam, omnia interiora sua pe- ad Novit.
netrantem, & ad omne bonum cogitan-
dum & agendum semper & vbiq; insti-
gantē. Insuper Castitas hominem at-
tollit ad quandam similitudinem etiam S. Basil.
cum ipso DEO, cum enim DEUS de Virg. &
incorruptibilis sit per naturam, ille Clim.
qui custodit corpus suum à corrupti- Grad. 55.
one, adimplet legem de servanda ca-
stitate, *custoditio autem legum consum-* Sap. 6
matio incorruptionis est, incorruptio au-
tem facit esse proximum DEO, adeoq;
ille qui servat castitatem accedit pro-
xime ad DEUM. O beata Castitas
cui placent tua privilegia non displi-
ceat tui sequela &c.

CONSIDERA III. Quam hor-
rendè punierit DEUS in hoc mundo Genes.
incontinentiae vitium; partim diluvio & 19
vniversali, partim Sodomae eversio- Num.
ne

ne, tum viginti quatuor millium Israelitarum delectione, filiorum Heli
1.Reg.4 per ussione, Salomonis exitio, Davi-
3.Reg. 11 dis persecutione instructa à filio Sam-
sonis ruina &c, Quid dicis o impu-
2.Reg.15. dens homo de futuro? Nonne *momen-*
Iudi. 16. *taneum delectat*, sequitur *æternum quod cruciat*? O quot millia hominum hæc immanis bellua devoravit, & hâc ipsâ horâ in infernum præcipitavit! tu in mediis periculis tam securè vivis? O quot Sanctorum columnæ ceciderunt, licet mortificatissimè vixerint, occasiones à longe vitarint, curiositates odering tentationes vicerint de qui-
S. August. bus Aug: *Cedros Libani, duces gregum*
Serm. de *sub hac peste luxuriæ cecidisse reperi de*
Tero. Dni *quorum casu non magis suspicabar quàm de Ambrosij vel Hieronymi impudica turpitudine* Heu, heu *ceciderunt fortes Israel & fugerunt absq; robore ante faciem persequentis* (lamiæ) *cum ignominia sempiterna*, tu in ætatis flore *ventre pigro* ad mortificationem, corpore bene curato existens, nec occasiones minus Religiosæ conversationis fugis, nec curiositatis vitium truncas, nec quan-

doq;

doq; lascivam lectionem omittis? Quid quæris scire quod facere nefas? vix Ethnici cultores veneris hæc probabant & laudabit Christianus vt *tollens membra Christi facias membra meretricis?* 1. Cor. O Virgo castissime Christe JESU, *salutis spes vnica* respice quæso benignissimo oculo Tuo luctas nostras & prælia filiorum Adam. Tu vides quomodo medijs in fluctibus & hostibus vivamus, imo nobiscum hostem portemus, & nutrire ac fovere cogamur carnem nostram, cum *nemo carnem suam odio habeat.* Et quis evadere poterit tyrannidem illius? Ecce Davidem SS. virum, & *secundum cor DEI*, sapientissimum Salomonem, fortissimum Samsonem superavit? quis igitur vincere poterit? O infelices nos. Anima mea quam tam dirus premit hostis & nullo vnquam tempore deserit descende in infernum & si libet torreri æternum, vt momento corpori indulgeatur amarissima voluptas, perge neq; occasiones vita, ama periculum & peri in eo, O amator hominum! ô Salvator mi! poteritne fieri
vt

vt potius libeat mihi volutari in porcorum volutabro, quam amplexibus Tuis & gaudiis frui Angelorum? Ah non, non. *Malo mori quam fœdari, Fiat cor* & corpus meum *immaculatum ut non confundar* in supremo die. *Et virginalis Castitas nostros reatus abluat, cuius odore recreari cupimus.*

S. Princeps Poloniarū

Ps. 118.

Plura encomia Castitatis vide apud Th: à Kemp. *serm.* 4. *&* 5. *ad Fratr. & serm.* 7. comminatas pœnas, incontinentibus reperies.

MEDITATIO

De Humilitate, *tot: ex Th. à Kemp.*

CONSIDERA I. Quid dicat Dominus: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde:* Summus Magister & Legifer noster IESVS CHRISTVS humilitatem [?] discere nos hortatur, quam qui bene servaverit cito perfectus erit, sine qua nulla lectio ad salutem valet, quia in vacuum laborat qui sine humilitate aliquid scire conatur &c. Qui subtilia cogitat & humilia negligit foveam parat, in quam nescius cadit. &c.

Th. à Kem Opusc. 9. de Humil:

Si quæris salvari, si optas beari & exaltari, sequere humilem Christum & deprime teipsum, non enim aliter poteris ascendere in Cœlum nisi te humiliaveris ex toto corde propter DEVM. Disce miser & superbe

Idem part: 2. serm. 8. ad Novit.

non-

non altum sapere sed humilibus corde & ore consentire vt invenias gratiam coram DEO & Angelis quam elari assequi neque-unt, & ne perdas æternam gloriam in Cælo quam mali Angeli per superbiam perdiderunt &c. Per humilitatem placatur DEVS de omnibus offensis, ædificatur proximus in aliquo læsus, confunditur diabolus, aperitur peccatori Cœlum, purgatur omne delictum. &c.

Idem opusc. de humi

O verè summum humilitatis exemplum? Ecce DEVS hominum servus factus est, & homo adhuc homini aut potius DEO subiectus non est? Confundantur & revereantur omnes superbi quia contempserunt consilium Filij DEI. Quis sic veram humilitatem ostendere & docere potuit quemadmodum DEVS factus Homo. Vicisti nos Domine IESV, vicisti nos humilitate Tua; ecce confundimur in superbia nostra, *confusio operuit faciem nostram.* Hinc si aliud exemplum veræ humilitatis non haberem nec aliam humiliandi causam omnino solus sufficeres. Quem sequar si Te non sequor? cui credam si Tibi non credo? Quis mihi persuadere poterit quod humilitas est via Regni Cælestis, si ille non valet qui de Cælo venit? vsquequo insipiens eris anima mea ambulans per vias non rectas, semper errans & ad veritatem

Idem Opusc. r. de trib. taber. Cap. 4.

num-

nunquam perveniens. Humilia te; inclina te quæso anima mea, & erit Christus vita tua. &c.

CONSIDERA II. *Veri humilis dotes ex eodem Magistro Kempen:* Frater humilis & devotus paupertatis amator, simplicitatis sectator, patientiæ servus, obedientiæ filius, castitatis custos, innocentiæ testis, concordiæ socius, disciplinæ discipulus, pacis amicus, sibi rigidus, alijs benignus, hic secretum quærit, tumultum fugit, silentium amat, longa colloquia vitat, soli DEO vacare appetit, omnia terrena despicit omni tempore, cum Christo esse desiderat. (Hinc patet quod) humilitas cordis, sit quasi fundamentū omnis virtutis & necessaria ad perventionem æternæ salutis &c. Itaq; sine humilitate non est salus, nec virtus nec actio DEO grata. Omnis labor quamvis magnus, quamvis diurnus sine hac efficitur nullus; nam profunda humilitas arcem tenet virtutum & de suis triumphat semper inimicis &c. Absq; humilitate vera, vacuum geritur nomen sanctitatis, nec prodest foris honestas si intus humilitas desit. Cum humilitate ad summum scanditur bonum, sine ea de summo ruitur in infernum. Testes sunt humilis Publicanus & Pharisæus elatus. Horre Luciferum de Cælo cadentem, intuere Lazarum humiliter iacentem & ab Angelis in sinum Abra-

Th. á Kēp. In Doctrinal Iuven. Cap. 10.

Idem opusc. de Humili

Abrahæ lætanter elevatum. Vnde humilis Mater IESV dicit in cantico suo: *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles* &c. Quotquot decepti sunt & deiecti, per mentis elationem inflati ceciderunt. &c. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur & qui se exaltat humiliabitur.* Quanti volebant ascendere & ceciderunt *quasi lapis in profundum.* Pharao & currus eius submersi sunt in mari rubro. Adam & Eva expulsi sunt de Paradiso. Angelus & qui cum eo erant, proiecti sunt de Cælo, & hi omes propter ascensum montis superbiæ corruerunt in damnationem mortis æternæ. Heu, heu Domine *deiecisti eos dum allevarentur.* Cecidit Babylon facta est ruina eius magna &c. *Tremens factus sum ego & timeo* quia DEVS nec Angelis nec hominibus superbientibus pepercit. Væ mihi si sic ascendero & væ iterum mihi si non descendero. &c. Ecce per scripturas sanctas transiens *Video sicut vulneratum superbum & ipse de manu Tua repulsus est. Quis sicut Tu D. DEVS noster qui in altis habitas & humilia respicis in Cælo & in terra, qui suscitas à terra inopem & de stercore erigis pauperem; esto in humilitate nostra memor nostri, custodi parvulos Tuos & humilia peccatores vsq; ad terram. Iudicare D. DEVS pupillo & humili vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.* &c.

Luc: 1.
Luc. 14.
Th. à Kēp Opusc. 5. de tribus tabernac. Cap. 3.
Exod. 15.
Genes. 3.
Isai 14.
Psal. 72.
Ps. 112.
Ps. 146
Ps. 135.
Psal. 9.

CON-

Idem opusc. 9. de Humilit. CONSIDERA III. Ad evadendum pericula diabolica a dextris & à sinistris instantia, non est tam potens armatura sicut humilitas vera &c. Superbus tot habet laqueos, quot cogitationes iniquas & elatas; humilis mens in bonis non elevatur sed gratias agit de omni bono quod accipit. &c. vis non timere diabolum? humilia teipsum sola enim humilitas vniversos diaboli laqueos evadit potentiamq; prosternit &c. Esto ergo humilis & vilis in oculis tuis ne DEO displiceas & cum diabolo corruas; nam Cælum non suscipit nisi humiles, nec DEVS eligit nisi humiles, nec justos approbat nisi sint humiles.

Idem opusc. 5. de trib. tabernac. Cap. 2. Vbi pro supplemēto medit. multa præclara invenies. Bene veniat Domina mea humilitas. Ingredere ad me ô virtus Christi, inventrix gratiæ, singularis gloriatio Virginis MARIÆ. Accede ad me ô reparatio læsæ charitatis reconciliatio totius humanæ perditionis. Per te Cæli aperti sunt & per te claustra inferni confracta. Per te erecti sumus & per te ad patriam reducti. Tu de peccatoribus facis justos & justos Angelis associas. Tu Christũ de Cælo vocasti & Mariam super Choros Angelorum exaltasti. *DEVS licet dives sit in gratia nemini tamen nisi humili confert gratiam.* Et quia hæc virtus præ omnibus in Maria abundavit, ideo & ipsa *gratia*

Iacob. 4.

plena

plena fuit. Iam claret quod humilitas est omnium Sanctorum & fuit semper virtus maxima. Ipsa meretur quod meritis non debetur. Hæc casum nescit quia nunquam de se magna præsumit Qui hanc habet, diligit, & custodit, in pace Christi dormiet & requiescet sicut Christus humilibus repromisit: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde & invenietis requiem animabus vestris &c.* Matth. 3

MEDITATIO
De Patientia.

CONSIDERA I. Quod dixit Magister tuus Kempen: verus amator Crucifixi non refugit pati dolores, nec confundi à perversis vt sit Christo conformis in scandalo Crucis. Nam *cui Christus vivere est, huic pati & mori pro Christo lucrum est* maximum &c. Qui virgam DEI pro munere accipit, salutem animæ ex verbere reportat & coronã amplioris gloriæ in Cœlo accipiet. &c. Mitigatur valde dolor languentis si diligenter pensat quoniam hæc afflictio pie tolerata, est purgatio pro peccatis, & spes æternæ salutis. Alleviatur multum onus servi in consideratione gravioris ponderis innocentis Domini sui: Est enim vere magna consolatio tristibus & varijs modis afflictis quia Christus fuit etiam tentatus, tristis, &

Th. à Kem. in Hortul. Rosar. Cap. 7.

S. Philip. 1.

Idem in vall. lilior. Cap. 16.

& in multis doloribus pro nobis afflictus. Nisi enim esset utile & salubre animæ nostræ pati & tribulari in mundo, non permitteret hoc DEVS fieri *Qui est summe bonus & iustus in omnibus viis suis.* Qui ergo proprio Filio suo non pepercit á flagellis, tu quis es qui audes contradicere verberibus ejus reus in multis peccatis? Iustum est enim vt servus malus & invtilis non contradicat Domino suo percussus saltem in modico quando Filius in omnibus dilectus & in nullo culpabilis tantis plagis fuit percussus? Quid nunc conquereris anima mea? dic vbi sit patientia tua? Tu rea es & IESVS pro te in pœna est. Tu peccasti & ille flagellatur. Tu fecisti hoc malum grande quod deleri non potuit nisi eius innocenti morte *quid igitur rependes ei? Et quam commutationem dabis pro anima sua si ille pro te posuit animam suam?* *Calicem* (inquis) *salutaris accipiam & Nomen Domini invocabo.* Iuste omnino & si volueris non ingratus esse stude & istum bibere. Iustum est vt de eodem calice ægrotus sanandus modicum breviter bibat, de quo medicus sanus totum amaritudinis poculum sibi oblatum bibit, vt totum mortis venenum purgaret & hominem in corpore & anima necatum perfecte sanaret, & ab æterna morte liberaret. *Beatus qui*

Rom: 8.

Idem opusc. de tribus tabernac. Cap. 3.

Psal. 115

qui intelligit super egenum & pauperem IESVM Psal. 40
pro nobis nudum & inopem factum cum esset ditissimus omnium, & sequitur eum sapienter ferendo Crucem suam in quotidianis laboribus pro salute animæ suæ vsq; ad mortem. Felix anima quæ IESVM medullitus amat, præsentia bona amore æternorum vilipendit, *pro nomine IESV* mala patienter tolerat, & ad pedes IESV humiliter se prosternit, & orat vt in virtutibus proficiat, & constans perseveret.

Th. à Kēp. in Hortul. Rosar. C.

Domine quia Tu patiens fuisti in vita Tua, in hoc maxime implendo præceptum Patris Tui, dignum est vt ego misellus peccator secundum voluntatem Tuam patienter me sustineam, & donec ipse volueris onus corruptibilis vitæ pro salute mea portem; nam etsi onerosa sentitur præsens vita, facta est tamen jam per gratiam Tuam valde meritoria, atq; exemplo Tuo & Sanctorum Tuorum vestigijs, infirmis tolerabilior & charior. O quantas Tibi gratias teneor referre, quod viam rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum Regnum Tuum ostendere; nam vita Tua, via nostra, & per S. patientiam ambulamus ad Te, qui es corona nostra. Nisi Tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu quanti longe retroq; mane-

Idem l. 3. Cap. 18. de Imit. Christi.

rent nisi Tua præclara exempla inspicerent? Ecce adhuc tepescimus auditis tot signis Tuis & doctrinis, quid fieret si tantum lumen ad sequendum Te non haberemus.

CONSIDERA II. *Emolumenta patientiæ quæ idem Magister Kempen: enumerat dum dicit:* Vita ista temporalis plena est *tribulis & spinis*, in qua exercentur & probantur electi per aspera, vt eo ardentius desiderent bona æterna. Ecce nemini parcit DEVS sed dat vnicuiq; onus proprium ad portandum, vt habeat causam ad multum promerendum &c. Hæc sunt bona germina sanctæ patientiæ: Primo quidem DEVM altius honoras si de manu eius quælibet contraria benevolè capis. Angelos lætificas qui de tua tolerantia gaudent in Cælis. Proximos ædificas si injurias tacite feras. Diabolum confundis si læsus & contemptus gratias agis. Coronam tuam duplicas, quia hic majorem gratiam, & in futuro altiorem gloriam recipies; siquidem omnis præsens labor parvus est, & brevis hæc vita, sed merces sequens grandis est & requies infinita. Revera toties Martyr DEI efficeris, quoties pœnam pro DEO libenter pateris. Non ergo æstimes DEVM tibi adversari, si in hoc mundo molestaris & deprimeris. Gaude potius quia hic humiliaris & flagellaris vt postea

Th. á Kēp. part. 2. serm. 8. ad Novit.

Idē Conc. 37. de Pas. Christi.

cum

cum Christo in æternum glorificeris. Sæpe enim plus nocent prospera quam adversa, & citius decipiunt blandimenta, quam amara vituperia. Nam adversa patiendo fit homo melior, auro pulchrior, vitro clarior, à vitijs purgatior, virtutibus perfectior, Christo acceptior, sanctis similior, hostibus fortior, amicis amabilior. Fit etiam quisq; ad custodiam sui cautior ad compassionem promptior, ad humilitatem profundior, ad discretionem pendentior, ad orandum ferventior, ad cœlestia paratior, ab inferno securior. &c.

Ergo vt dicit Iacobus Apostolus *Omne gaudiũ existimate Fratres mei cum in tentationes varias incideritis.* Iacob. 1. Et Petrus: *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* 1 Petr. 3 *Quia* vero vt docet Paulus *vobis donatum est in Christo vt non solum in eum credatis sed etiam pro illo patiamini;* Philip. 1. sustinete Fratres sicut boni & fideles servi Christi, patienti corde & animo benevolenti pauca gravamina, quæ vos interdum molestant & probant quam fortes estis, quia non diu durabunt nec confundent humiles sed pie tolerata valde lætificabunt animas vestras, juxta illud: *vsq; in tempus sustinebit patiens & postea redditio iucunditatis.* Idem para. 2. serm. 1. ad Novit. Eccli. 1. Si essemus vere humiles & one-

ta peccatorum nostrorum ponderare vellemus, nihil importabile sentiremus, vix vnum pro mille nos recipere diceremus. Oportebat namq; Christum pati qui tamen peccatum non fecit, quantò magis nos miseri peccatores, qui quotidie offendimus multos in multis, scilicet DEVM, Angelos SS, & homines? Permittit autem DEVS multas tribulationes cadere super electos suos non ad eorum reprobationem, sed ad peccatorum purgationem, ad meritorum augmentum, ad maiorem cautelam, & ad eorum imbecilitatem per patientiæ virtutem roborandam. Ponat ergo vnusquisq; se ad patientiam si vult habere cordis tranquillitatem, si cupit coronam gloriæ recipere in Cælo, post certaminis sui laborem &c.

CONSIDERA III Sic se habere Religiosum Professum in Claustro, sicut nobilis miles ab hostibus in Castro, vndiq; obsessus. Non potest fugere non potest otio torpere, sed vigilare oportet & in armis semper stare contra inimicorum insidias & sagittas. Nisi enim pugil Christi cingulo castitatis sit accinctus & scuto patientiæ vndiq; præmunitus; aut cito turbatur, aut deijcitur, aut vulneratur. &c. Indue ergo armaturam DEI, & sta in præparatione pugnæ, *quoniam multi bellantes adversum te*, caro, mundus, & diabolus, qui non cessant impugnare die ac nocte

Idem part 2 serm. 1 ad Novit. § 5.

Idem in Exer. Novit. Cap 3.

nocte innocentes, & Christo servire volentes &c. Quapropter vigila in orationibus & adversus insidias diaboli Divinum flagita humiliter auxilium, & Fratrum expertorum acquiesce consilio ne tentatio tibi dominetur, & mundus rursum te illiciat & involvat. Habeto in mente quod in Apocalypsi ad consolationem militum Christi in sæculo pugnantium legitur: *Qui vicerit faciam illum Columnam in templo meo, & dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso DEI mei.* Apoc. 3.

Esto itaq; expeditus ad pugnam si vis habere victoriam. Si pati non vis? recusas coronari; si autem coronari desideras? certa viriliter, sustine patienter. sine labore non tenditur ad requiem, nec sine pugna pervenitur ad victoriam &c. Idem Lib. 3. Cap. 19 de Imit. Christi. In tribulatione positus memento quod hæc est via Sanctorum, per quam transitur ad Regna Cælorum. Idem de tribus tabern. C. 8 Consolare etiam teipsum quia Christo IESV Domino tuo, in hoc assimilaris, & gratia: age si modicum illi rertribuere possis. Dico tibi quoniam majoris meriti est adversa pati quam bona operari. &c. Stude igitur exemplo Christi & Sanctorum eius æquaminiter vitæ huius adversitates sufferre, & patientiam pro armis tenere. Idem Conc. 27. de Christi Passione Noli conqueri de longitudine temporis, nec de acerbitate afflictionis sed pensa quia Chri-

ftus graviora diutius pro te pertulit, & ideo iustum est vt eandem viam sequaris. Pa-
Idem Lib. rum est quod tu pateris in comparatione e-
3 Cap. 19. orum, qui tam multa passi sunt, tam forti-
de Imit. ter tentati, tam graviter tribulati, tam mul-
Christi. tipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, vt levius feras tua minima. Et si tibi minima non videntur, vide, ne & hoc tua faciat impatientia &c,

Memento etiam in tribulatione tua, quia
Idem de omnis labor & dolor finietur brevi, sed mer-
tribus ta- ces erit æterna & copiosa in Cælis. Rur-
bern. C. 3. sum attende de damnatione malorum quanta erunt cruciamenta eorum. Si tam parum modo vales sustinere, quid fiet de inextinguibili pœna infernali? Infer digitum tuum in flammam ignis & forsitan vix tolerare sufficis, quid ergo erit si totum corpus mittatur *in gehennam ignis?* Noli proinde timere eum, qui occidit carnem, nec indigneris ei qui flagellat miserum corpus, *sed time eum*
Matth 10 *qui postquam occiderit potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennam*, istud dico time, istud pondera, istud frequenter cogita, & videbis quod nihil est omnis tribulatio tua.

Idem ibid *Bonum mihi Domine quia humiliasti me vt*
Cap. 50. *discam iustificationes tuas*, & omnes elationes
Ps. 118. cordis atq; præsumptiones abijciam. Vtile

mihi

mihi est quod *confusio cooperuit faciem meam* vt
Te potius quam homines ad consolandum
requiram. Didici etiam ex hoc inscrutabi-
le iudicium Tuum expavescere, qui affligis
justum cum impio, sed non sine æquitate
& justitia. Gratias tibi ago qui *non peper-
cisti malis meis*, sed attrivisti me verberibus
amaris, infligens dolores & immittens angu-
stias foris & intus. Non est qui me con-
soletur ex omnibus qui sub Cælo sunt nisi
Tu D. DEVS meus Cælestis Medicus ani-
marum, qui percutis, & *sanas deducis ad infe-
ros & reducis*. Ecce Pater dilecte in mani- Tobi 13.
bus Tuis sum ego, sub virga correctionis
Tuæ me inclino, percute dorsum meum &
collum meum, vt incurvem ad voluntatem
Tuam tortuositatem meam. &c. Tibi me
& omnia mea ad corrigendum commendo;
melius est hic corripi quam in futuro &c.
Tu scis quid expedit ad perfectum meum,
& quantum deservit tribulatio ad rubigi-
nem vitiorum purgandam. Fiat Domine
mihi possibile per gratiam quod mihi im- Idem ibi
possibile videtur per naturam. Tu scis quod Cap. 19
modicum possum pati & quod citò deijci-
or levi exurgente adversitate. Efficiatur
mihi quælibet exercitatio tribulationis pro
nomine Tuo amabilis & optabilis, nam pati
& vexari pro Te valde salubre est animæ meæ

MEDITATIO
De Mortificatione.

CONSIDERA 1. Mortificatio est gratius DEO sacrificium præ Patientia; hæc enim decoquit & consumit quidquid ei aliunde advenerit crudum, illa propriam mactat voluntatem, reformat intellectum & reliquas internas & externas potentias in pristinum reducit statum, ita, ut ipsæ pareant rationi, & hæc subjecta sit DEO; & sic vetus homo *crucifixus cum vitijs* in servitutem redigatur.
Gal. 5.

2. Est sacrificium voluntarium, quia libere se & suos quos frenat affectus, offert DEO: patientia vero plerumq; non tam libenter quam reverenter *gaudet duris*. Quid namq; mentem melius in suis evagationibus compescere potest, pravas cogitationes reprimendo, Divinas inspirationes admittendo, contentionem & pertinaciam intellectus fugiendo, de proprio judicio diffidendo & illud non solum superiorum, sed & æqualium & inferiorum judicio postponendo, ac pro-

prio

pria voluntas? Quid imaginationis (quæ porta & fenestra est quâ hostes animæ arcem invadunt) licentiam, a perversis mundi figuris, & quæ fabricare consuevit idolis depurando, pravis & ineptis obiectis aditum præcludendo, cohibere valeat; ac propria voluntas? Quid passionum irregulatos motus coercere sufficit, si non supremum quod in illos exerset voluntas, imperium? voluntas ergo tot hostias mactat, quot vitia truncat, & cum toto proprietatis iure *voluntariè sacrificat* Altissimo &c.

CONSIDERA II. quod dicit noster Magister Kempen: *Non est alia via ad vitam, & ad internam pacem, nisi via S. Crucis & quotidianæ mortificationis*, idcirco *qui vult perfectus esse* & imitari Christum, non aliter id effectuare poterit felicius, quàm per viam S. mortificationis, docet ipse Salvator mundi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat Crucem suam & sequatur me.* E contra perdit discipulatûs privilegium: *Qui non baiulat Crucem suam*, (dicit Dominus) *non*

Th. á Kem. Lib. 2 Cap. 12. de Imit. Christi

Matth. 16.

non est me dignus nec potest meus esse discipulus. Natura quippe per peccatum adeo corrupta & depravata est vt nos indesinenter ad malum præcipites trahat, nisi ei continuo per mortificationem resistere conemur. Vnde Apostolus: *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* O Christe Redemptor vtinam imagini Tuæ sanctâ mortificatione commembrari possem! vtinam fideliter Tua premere vestigia! alioqui terret me illud quod dixit Augustinus: *Christiani nomen non sortitur, qui Christum non imitatur.* rectene merebitur illud, immortificatus, Religiosus? &c.

Rom. 8.

CONSIDERA III Mortificationis lucra & fructus vberrimos. Hæc namq; exercitatio sacra, quod in nobis ægrum est, sanum reddit; quod pravum ac obliquum, rectum; quod obscurum, perspicuum; quod in via virtutis amarum erat, nunc suave ac iucundum facit; & quod maximum est; summa quiete animi mortifica-

tum donat; hic enim vita Cœlesti quodammodo fruitur, & neq; prosperis nec adversis frangitur, humanis rebus superior: è contra immortificatus velut mare quoddã inquietum, passionum fluctibus agitatur, & irrequieto motu semper & quaquaversum concutitur. O quam dulcis est fructus quem de semine mortificationis colligere nos facis benignissime JESV. Fac *ascendam in montem myrrha & in collem thuris*, & præ amore Tuo satagam vt *manus meæ distillent myrrham primam*, ex corde enim Tuus esse totus cupio. Qui autem Tui sunt *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs* suis. Crucifige igitur Domine carnem meam, circumcide præputium cordis mei, vt in numero filiorum Tuorum esse possim. Da semper *circumferre mortificationem* o *JESV in corpore* meo; si enim *complantatus* factus fuero *similitudini* vitæ & *mortis Tuæ*, spero quod misericordiâ Tuâ similis etiam resurgam in gloria per gratiam Tuam. O si nosmetipsos mortificaremus non vtiq; mor-

Cant. 4. Galat. 5. 2. Cor. 4. Rom. 6.

tifi-

tificaremur à Domino, qui suos amantes tam delicatè fovet, tam tenerè amat, vt non sinat pati eos quidpiam ad extra, si sibi ipsis calcar addere norunt aliquid patiendi. &c.

MEDITATIO
De Sanctissima MATRE DEI.

CONSIDERA I. Gloriosissimam Virginem maiori veneratione præ Angelis, nec non omnibus alijs creaturis dignam esse, vel ex eo patet quod Pater æternus in dilectissimam Filiam, Filius in Matrem dignissimam Spiritus S. in sponsam charissimam eam assumere & eligere voluerit. Nec mirum Cum enim *lex naturæ jubeat Parentibus carnis reverentiam & amorem, omni tempore deferri, multo magis Matri gratiæ, Filij Ecclesiæ debent esse grati & gratiosi, atq; DEI Genitricem super Parentes & cognatos omnes amare* vtpote ab ipso DEO *gloria & honore coronatam*, à Triumphante & militante Ecclesia tot festivitatibus celebratam, á Sanctis DEI multis laudibus & encomijs deprædicatã, à nobis omnibus titulis honorandam. &c.

Th. á Kem. part. 3. serm. 5. d Novit.

O vere inclyta proles ex insigni Pa- Idem. Ibid serm. 6.
triarcharum prosapia nobiliter procreata,
ex Sacerdotali genere generosè producta,
ex Pontificali dignitate dignissimè deri-
vata, ex Prophetali choro verissimè prae-
nuntiata, ex Regali stirpe illustrissimè
edita, ex Davidica linea rectissime ori-
ginata, ex nobilissima tribu Iuda claris-
simè prolata, ex Israelitica plebe felicis-
simè progenita, ex electo populo DEI sin-
gulariter praelecta, ex Sanctis & relig-
iosis ac DEO placitis parentibus Divi-
na praeordinatione in lucem mundi serenis-
simè exorta. O felix & illibata Virgo
MARIA, omni laude & honore di-
gnissima, omni amore & reverentia ab
omnibus amplexanda. Si terrena ex-
cellentia debitum reverentiæ exigit
à nobis, cui nullô iure obligamur, quan-
to magis Mariana Excellentia totum
quod sumus, exiget à nobis cui vtpote
hæreditariæ Dominæ, vniversi omnia
debemus. *MARIÆ itaq; Nomen omnibus* Idem serm. ad No
fidelibus venerandum, devotis semper a-
mandum, Religiosis amplectendum, sæcu-
laribus commendandum, peccatoribus præ-
dicandum, tribulatis insinuandum,

sim-

in periculis omnibus invocandum. Ipsa est propinquissima DEO & charissima DEI Filio nato suo JESV benedicto, potens fiducialiter intercedere pro fidelibus Adæ filijs, ut ignoscat eorum delictis, & succurrat periculis.

Ibid serm. 6. ad Novit. Laus & gloria Altissimo DEO qui maximam gratiam Tibi præstitit o MARIA, præ filiabus hominum in mundo, & nunc sedem statuit iuxta thronum Filij Tui in Cælesti Regno; in eminentiori loco super omnes choros Angelorum & Sanctorum ab æterno Tibi pulcherrime præparato, & in perpetuum felicissime permansuro. O summè Venerabilis Virgo MARIA, æterni Regis Mater & Filia, omnium ore benedicenda, omni honore veneranda, Virginitate candidissima, humilitate profundissima, charitate ferventissima, patientia mitissima. misericordiâ plenissima, oratione devotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima, compassione suavissima, consilio prudentissima, auxilio potentissima. Tu aula DEI, porta Cæli, Paradisus deliciarum, puteus gratiarum, Angelorum gloria, hominum lætitia, forma morum, virtu-

virtutum splendor, lucerna vitæ, spes egenorum, salus infirmorum, Mater Orphanorum. O Virgo Virginum tota suavis & formosa, micans sicut stella, rubens tanquam rosa, nitens vt margarita, lucens vt sol, & luna in Cælo & terra. O Virgo mitis, innocens sicut agna, simplex vt columba, prudens sicut nobilis Domina, serviens vt humilis ancilla. O radix sancta, Cedrus alta, vitis fæcunda, ficus dulcissima, palma latissima, in Te reperiuntur omnia bona, & per Te nobis æterna donantur præmia. Omnes ergo ad Te confugimus sicut filij ad sinum Matris, & orphani ad domum Patris quamdiu vivimus, vt Tuis gloriosis meritis & precibus protegamur ab omnibus malis.

O Mater DEI mei quibus Tibi affectibus gratulabor Maternitatem Tuam Divinam? ô si omniũ mihi corda essent? o si cor ipse totus essẽ, quantum est totum vniversum, vellẽ Te toto me gratulari æterno DEO, toto me Tibi gratulari Filium DEUM. *Benedicta & venerabilis es Virgo MARIA quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris, & quem totus non capit orbis* Miss. de Beat.

bis in Tua se clausit viscera factus homo.

Th. à Kem citat. O MARIA! *monstra Te esse Matrem & respice Filiũ inter adoptivos infimum, respice & non despiciet Filius Tuus, recipe & non seducet inimicus.*

CONSIDERA II. Sanctissimam DEI Matrem non solum per ordinem ad DEUM qui eam tantopere glorificavit, tam sublimiter exaltavit, & nunc *nihil negans honorat*, verum etiam respective ad se, omni cultu esse dignissimam. *Hæc est revera attestatione Sanctarum scripturarum omnium Virginum Virgo prudentissima, omnium fæminarum pudicissima, omnium puellarum speciosissima, omnium Matronarum honestissima, omnium domicellarum venustissima, omnium Reginarum Regina nobilissima, in qua omnis decor Virginalis, omnis virtus moralis, omnis speculatio Theologalis, omnis devotio affectualis, omnis operatio virtutis, omnis perfectio sanctitatis pariter conveniunt, inhabitant & perfectissimè elucent, quæ nec ante se similem nec post se æqualem habet, nec habuit, nec habebit,* Quis ergo non veneretur, tam nobile subiectum

Th. á Kem part. 3 serm. 6. ap Novit.

biectum? quis non amet bonum? quis non honoret sanctum. &c.

O mortales, diligite Mariam quæ & summè nos amat, & summè amabilis est, & sanctissima inter Sanctas. Amate illam quæ semper fuit obiectum suavissimæ DEI complacentiæ. Amate illam quam DEUS semper & super omnes creaturas amavit, Amate illam quæ suâ innocentiâ æternum Verbum è sinu Patris in purissima sua & Virginea viscera detraxit. Amate illam quæ est delicium SSmæ Trinitatis, gaudium Beatorum, purorum omnium Sanctorumq; cordium amor. Honorate illam quæ est pretium omnium operum DEI, Cœli & terræ prodigium, stupor & admiratio totius beatæ æternitatis. Exaltate eam quæ est Regina virtutum, miraculum gratiarum, ornamentum gloriæ, abyssus perfectionum, atq; omnis maiestatis. Amate eam quæ nunquã satis amari potest. Quidquid agamus semper amor erit meritis minor; solus DEUS est qui eius merita suo amore potest adæquare. Cum igitur

illa DEI amorem rapuerit, non debet esse anima quæ illã non amet, eiusq; affectum & protectionem non ambiat, præsertim quia vt dicit Th à Kem: citat: *Dilectio sancta MARIÆ expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimoniæ. Dilectio S. MARIÆ facit mundum contemnere, & Christo in humilitate servire. Dilectio S. MARIÆ ab omni mala societate conservat, & ad Religiosæ conversationis puritatem informat. Dilige erga S. MARIAM & percipies specialem gratiam. Invoca MARIAM & obtinebis victoriam. Honora MARIAM & habebis mercedem perpetuam. Imitare MARIAM auditis laudationum eius præconijs, quatenus & ipse in numero devotorum merearis precibus ejus computari. Studeas solecite in prænominatis virtutum passibus SS. subsequi MARIaM ad consequendam Cælestis gloriæ palmam. Contristare satis de præteritis negligentijs tuis & de defectibus nondum victis, quibus DEUM & creaturas omnes offendisti, nequiter egisti in sæculo, tepidè conversatus es in Christi servitio &c.*

dem ibid. serm, 5

O Vir-

O Virgo incomparabilis, omnibus amabilis & venerabilis. O Genitrix singularis ex Te nati Filij DEI, sed & totius Christianitatis Mater generalis, ac cuique pro sua devotionis affectu valde cordialis & specialis. O Virgo Virginum, Regina Mundi, & Domina Angelorum, trahe me post Te, ne jacens maneam sub onere peccatorum. Effunde gratiam, rorem salvificum de Cælis ministra, vt veraciter merear sentire quod Tu es Mater gratiæ & fons patens misericordiæ. Vtinam ad satisfaciendum desiderio honorandi Te ex totis præcordijs meis, omnia membra mea modo verterentur in linguas, & linguæ in voces igneas, vt modum invenirem glorificandi Te DEI Genitrix in æternum.

Idem in solil. Cap.

Idem ibi Cap.

O felicissima & beatissima mulierum iam prævenio omnium generationum benedictiones, & loco earum omnium, Te millies & infinities beatam deprædico, & esse gaudeo plus quam dicere possim. O Augustissima Mater DEI fiat cor meum immaculatum vt plus amet Te, honoret Te plusquam vlla vnquam creatura possit inhonoratâ vitâ suâ offendere Te.

Gaudeo & exulto ô SS. Virgo quod Te DEVS amet super omnia opera sua, gaudeo quia omnes Sanctos superas honore, quia totum Cælum & orbem illuminas Tuo splendore, quia ad nutum Tuum tota Tibi obedit Cælestis Curia, quia ad Tuum votum impetras à DEO omnia. Gaudeo & de hac re super omnia delector quôd sis sponsa DEI, Mater Verbi, ministra Incarnationis, omnium gratiarum mater, thesauraria, & dispensatrix, ita vt nulla gratia de Cælo in terram veniat, nisi transeat per manus Tuas. *Dic obsecro quod soror* nostra *sis vt bene*
Gen. 12. *sit* nobis *propter Te, & vivat anima* nostra *ob gratiam Tui.* Fratres Tui sumus o Virgo, os Tuum, Caro Tua, Sanguis Tuus, obsecra Filium vt misereatur Fratrum Tuorum, filiorum Tuorum, ac proinde fratrum suorum. &c.

CONSIDERA III. Etiam exinde Divam Matrem Uirginem omni honore, cultu, & devotione, dignissimã esse, quia est generalissima omnium Advocata & nullum esse qui specialem aliquam à DEO gratiam per illi-

us

us intercessione m non impetraverit. *Ideoq; vtile multum scire locum refugij à facie inimici, vbi protegaris à sagittis acutis, vbi lateas à frigoribus & tribulationum procellis. Non est tutior locus ad latendum quam sinus MARIÆ, nec equus velocior ad evadendum manus persequentis, quàm oratio fidei missa in Castellum Regalis domicillæ nostræ S. MARIÆ &c. Etenim orante S. MARIA ruet omnis turba maligna, iuuante MARIA evades pericula cuncta. Ibi pauper habet domicilium, ibi infirmus invenit remedium, ibi tristis accipit solatium, ibi turbatus meretur consilium, ibi destitutus acquirit iuvamen. Bene tibi & multum bene si ita te exhibueris dignum & obsequiosum S. MARIÆ vt eius gratiam obtineas in præsenti, & gloriam cum Electis omnibus in futuro &c. Quapropter quilibet fidelis & devotus, cupiens mundi naufragia evadere, & æternæ salvationis attingere portum, confugiat ad Dominam nostram S. MARIAM &c. Crevit cum ea misericordia nec eam reliquit in Cælo, vt pauperum suorum modo obliviscatur, sed vberius ipsam ac dulcius implevit. Et licet omnium sit altissima atq; felicissimis circumamicta gaudijs, non est tamen humilitatis suæ oblita, per quam meruit dignissimè super omnes sublimari. Ideoq; novit ad minimos servulos suos dignanter se inclinare, gaudens Advocata miserorum fieri, atq; orphanorum Mater appellari.* O dignissima DEI Mater! ô vni-

Th. à K[illegible] part. 3 serm. 5 ad Nov[illegible]

Idem i[illegible] serm. ad No[illegible]

ô vnicum miserorum solatium & præsidium MARIA! benedicta sis per sæcula quia

S. Casim. *Peccatores non abhorres*

Sine quibus nunquam fores

Tanto digna Filio. Quot fuissent

Th. à Kem. *æternaliter condemnati vel in desperatione permansissent obstinati, nisi pro eis interpellasses ad Filium. Dignare me laudare Te Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes Tuos. Suggere quid de Te cogitem, doce quibus sermonibus invicem, innue quibus operibus Te placem.*

part. 3. serm. 3. ad Novit.

August. Medit. cap. 2.

In suplementũ Meditationis vide eundem *Thõ à Kempi part: 3. serm 3. ad Novit. cum tribus sequ:* nec non eiusdem *Lib. de discipl. Claustralium Cap.* 14.

MEDITATIO
De Perseverantia.

CONSIDERA I. Necessitatem istius virtutis sine qua nulla perfectio, nulla salus. Non perfectio; sicut nec virtus vlla sine perseverantia perfecta est, ex S. Laurentio Iustiniano: *Virtus laudem non meretur nisi in ea viriliter perseveretur.* Non salus, quia non incipientibus sed *perseverantibus in finem*

de O. C. 26

nem corona datur; his & non aliis salus æterna appromittitur: *Quicunque perseveraverit in finem hic salvus erit.* Quid profuit Iudæ bene incepisse qui male finiverat Apostolatûs officium *Melius si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26
Quid conduxit Sauli Divina electio, si *proiectus est à facie DEI propter peccata sua?* Quid Salomoni Traiano, Tertuliano, Origeni, Nicolao Diacono, & infinitis aliis etiam Religiosissimis hominibus, sanctissima facta & piissima opera, si ex defectu constantiæ in eis, reliquerunt omnes in dubio æternæ salutis? Revera sicut non satisfacit partem debiti solvens, nec qui partem itineris conficit metam attingit; nec qui partem stadii decurrit, bravium accipit, sic nec qui bene cæpit nisi perficiat præmium meretur, docet Bernard: *Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverentiam, nec obsequium mercedem habet, nec bene-* Epist. ad Ian

neficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola hæc coronat pugnantem remunerat currentem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum &c.

CONSIDERA II. Difficultatem Perseverentiæ (licet defacto maxima sit & vniversalis vtpote extendens se ad quamcunq; virtutem] facile esse superabilem. Tum propter peculiarem assistentiam Divinorum auxiliorum quæ maiora in maioribus perplexitatibus conferuntur, docente scriptura. *Constantes estote & videbitis au-*
2. Paralip. 20. *xilium Domini super vos.* Tum quia *volenti nihil difficile*, Tum quia etiam difficillima quæq; continuato vsu & consuetudine facilè tolerabilia reddi, quotidiana probat experientia, Bone DEUS! quid non faciunt mundani illecti solâ spe præmii plerumq, evanidi, ego pro immortali præmio generosâ dexteritate allaborare cessabo? O Rex Regum fac me tibi sincere ac perseveranter servire in agendo fortia & dura tolerando. *DEVS*
Psalm. 79. *virtutum convertere, réspice de Cælo & visita vineam istam, & perfice eam quam plantavit dextera Tua &c.*

CONSIDERA III. In bonis propositis inconstantiæ vituperium ex scriptura: *Stultus sicut luna mutatur.* Eccli. 27.
& malo laborat recidivo ex quo præservativis remediis uti renuit, quod malum certò gravius est priori, ex scriptura: *Ecce sanus factus* Ioan. 5.
es iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat ob specialem ingratitudinis notam. Hinc talibus dictum est: *Nemo mittens manum ad aratrum* Luc. 9.
& respiciens retro aptus est regno DEI. si enim respicias retrò ad bona opera, cum eis, *qui in se confidebant tanquam justi* irremissibili præsumptionis succisus peccato, cades: si *reversus* Luc. 18.
fueris velut *canis ad vomitum, gravius inde iudicaberis* &c. Heu infelicem sortem incipientium bene, nunquam cœpta perficientium stabiliter &c. Hæc est insaniæ turpissima nota, toties immaculatus reddi ab omni fæditate peccati, & immediate post, reddire ad pristina vitia. O JESV fortitudo nostra *da robur fer auxilium. Confirma hoc DEVS quod operatus es in nobis. &c.* 2. Pert. 2.

PRA-

❧)(❧

P R A X I S

Vniversalis & Quotidiana.

B. STANISLAI CASIMIRITANI,

Ejusdem Congregationis Lateranensis Canonici, Professi, ac Theologi.

CUm Beat⁹ iste, ex Philone doctissimo didicerit *Creata omnia scalas esse ad DEVM* recte sibi ad Cælum ascensum per illa parabat, vt sic illud Evangelicum alioqui impracticabile literaliter dogma: *sine intermissione orate* facilius ad praxim deduceret. Igitur ex quacunq; re obiecta oculis (ne vel obtutus ipsi inanes forent) velut mellea apicula flores virtutũ, honorem æterno Regi gloriæ, sibi augmentum gratiæ, frequentioribus ad Cœlum aspirationibus colligebat & cumulabat. Ita plane sicut S. Fulgentius Episcopus Ruspensis cum interesset Romano Conventui Gothorum Regis Theodorici triumphale festum celebranti magnificentiam, apparatum populi, *& Regum terræ divitias* admirans exclamasse fertur.

Lib. de præm.

Luc. 10.

Quam

Quam pulchra sit oportet Cælestis Ierusalem cum Roma terrestris tantâ pompâ & fulgore resplendeat! & si hic in mundo tantum splendoris datur amatoribus vanitatis, & quæ gloria reservetur oportet, in altero contemplatoribus veritatis? sic Beatus Noster Theologus ex tot commodis *in terrenæ habitationis* diversorio concessis homini peccatori, legitime inferebat Cælestis Patriæ voluptates, ad quam per crebras evibrationes mentis in momenta anhelabat. Et sicut S. Franciscus Agnellum à porco miserè laceratum cernens, ingemuisse creditur: *ah miselle agne quàm tu ad vivum Salvatoris mei mortem repræsentas!* Non aliter STANISLAUS Noster compassivi doloris affectus super *CHRISTVM & hunc Crucifixum* (prout ordinariæ in actu orandi eius demonstrant effigies) vel super aliorum miserorum pressurâ & angustiâ litabat DEO. Imo velut ad se scriptum illud *Basilii* M. intelligeret, adamussim in dies implebat *Accumbens mensæ ora, esitans panem largitori gratias rependito; bibis vinum me-*

S. Basil. hom. in S. Iulit. Mart.

memento eius qui illud tibi dedit ad lætitiam & infirmitatum solamen, tunicam induens gratias agito benigno Datori; suspicis in Cælum & siderum pulchritudinem intueris? procede DEO & cole eum qui omnia hæc in sapientia creavit. Omnia namq; mundi obiecta (quæ aliis ex mala dispositione subiectorum serviunt ad venenum) Nostro B. Cõfessori nutrimento erant ad salutem, vt per actus anagogicos operaretur
1. Cor. 10 iustitiam, & *sive bibat, sive manducet sive aliud quid faciat,* DEO inserviret Hæc erant Exercitia spiritualia continua Nostri B. ComProfessoris, hæ Recollectiones mentis, hæ adiaphoriæ Meditationes, quibus etiam certas vivendi Apostolicè Maximas velut quædam Evangelica Principia ex suo spirituali Directore Th: á Kemp: qui ex ore D. Salvatoris talia depromit, adiungebat:

Lib. 3. de Imit: Christi. Cap. 56.

Si vis ad vitam ingredi? serva mandata
Si vis perfectus esse? vende omnia:
Si vis esse discipulus meus? abnega temetipsũ
Si vis beatã vitã possidere? præsentẽ contemne
Si vis exaltari in Cælo? humilia te in mundo.
Si vis regnare mecum? porta Crucẽ mecum.

Et ne quid deesset perfectioni Apostolicæ etiam modum *bene dirigendæ vitæ* sibi præscripsit ex eodem Magistro Kempensi:

Nemo securus apparet nisi qui libenter latet.
Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet.
Nemo securè præest, nisi qui libenter subest.
Nemo securè præcipit, nisi qui bene obedire didicit.
Nemo securè gaudet, nisi bonæ conscientiæ in se testimonium habeat.

Lib. 1. Cap. 20. de Imit. Christi.

Et infra: Si vis cordetenus compungi intra cubiculū tuum, & exclude tumultus mundi sicut scriptum est: Et in cubilibus vestris compungimini: in Cella invenies quod deforis sæpius amittes: Cella continuata dulcescit & male custodita tædium generat. Si in principio conversionis tuæ bene eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica & gratissimū solatium. Jbi anima devota invenit fluenta lachrymarum quibus singulis noctibus, se lavet & mundet vt Conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longius ab omni sæculari tumultu degit.

Vti-

Utinam & nos tanto animati exemplo in vita Nostri B. Com Pro-
2. Cor. 3. fessi *gloriam Domini speculantes* ad perfectionis culmen per creaturas ascendamus, etiam nobis non secus ac gradus in scala ad loci eminentiam, ad supremæ Maiestatis Monarcham præparabunt accessum, si eis bene vti noverimus & voluerimus ex doctri-
S. Basil. Ep. Seleu. Orat. 1. na D. Basilii Seleucen: *Cum DEUS res creatas in morem scalæ viatoribus adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit.* Arripiamus hanc scalam per quam non minus ac Beatus noster *vsq; ad montem DEI,* elevabimur. Per eiusmodi eiaculatorias evi-
Deut. 28. brationes mentis etiam, *æneum Cælum* expugnabimus; per tales aspirationes (quæ non minus vitæ spirituali ac respirationes vitæ animali necessariæ sunt ac vtiles) ad Cælestem vitam animabimur; per tales reflexiones assurgere poterimus in fervidos in DEVM affectus, & quidem ex occasione cuiuscunq; actionis & obiecti, prout in praxi docet Card: Bona *in via compendij* & compendiatus ex ipso *Viator*

Christianus. & brevius adhuc S. Bonaventura in hæc verba: *Cum videris aliquos in prælatione temporali vel in dignitate constitutos, cogitabis hec esse factum ad Divinam magnificentiam ostendendam & sic in eis DEI potentiam collaudabis. Cum autem videris alios scientiæ insistentes & non solum Creatores sed etiam creaturarum occultissima inquirentes & quemlibet versiculum curiosius ordinantes, hoc esse factum ad manifestandam Divinam sapientiam non ignores, & sic in eis Divinam sapientiam commendabis. Cum vero videris alios temporalibus negotijs insistentes; in eis Divinam laudabis providentiam, per tales quiescentibus, providentem. Si aliquos videris cæteros iudicantes? Divinum judicium time. Si pœnas inferentes? Divinam justitiam cogita. Si rigidos? Divinæ justitiæ expavesce rigorem. Si reprehensores & causarum discussores? futuri Iudicij recordare. Si vero videris Prælatos circa punitionem malorum remissos? in eis Divinam misericordiam commendabis. Si videris aliquos insistere operibus charitatis & pietatis in ipsis laudabis Divinam*

S. Bonav. in stimul. amor. Cap. 10.

nam

nam bonitatem & suam clementiam infinitam se breviter ad omnia diffundentem. Si calorem habueris? recogita erga nos DEI Patris nimiam charitatem qua suum filium voluit incarnari, & pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris? ab omni æstu miseriæ ad refrigerium anhelabis, & sic per singula discurrendo omnia potes & debes reducere in laudem & magnificentiam Creatoris.

Sic tibi scalam ad Cœlum etiam
dum dormitalis vel dormies, parabis quod tibi donare dignetur, sine quo nihil
TRINUS & UNUS
DEVS.
Qui sibi talem elegit Famulum.

Gorczynski
Respirium
Viatorum